88
D
4

P. E. IABLONSKII

OPVSCVLA.

TOMVS IV.

PAVLI ERNESTI IABLONSKII

OPVSCVLA,

QVIBVS

LINGVA ET ANTIQVITAS AEGYPTIORVM,
DIFFICILIA LIBRORVM SACRORVM LOCA
ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE CAPITA
ILLVSTRANTVR;

MAGNAM PARTEM NVNC PRIMVM IN LVCEM
PROTRACTA, VEL AB IPSO AVCTORE
EMENDATA AC LOCVPLETATA.

TOMVS QVARTVS.

EDIDIT ATQVE ANIMADVERSIONES ADIECIT

IONA GVILIELMVS TE WATER.

LVGDVNI BATAVORVM
APVD A. ET I. HONKOOP.
MDCCCXIII.



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IONA GVILIELMVS TE WATER.

Editionem Opusculorum *Iablonskii*, quotquot aut a *Ruhnkenio*, Viro Clarissimo et amico integerrimo, mecum communicata sunt, meaeque curae commendata, aut postea aliunde ad me pervenerunt, ad finem nunc perductam esse, equidem ego vehementer laetor, cum ob caussas alias, tum propter aetatem meam valde provectam, continuis laboribus minus aptam, etsi extremis senectutis incommodis, quod gratus agnosco, nondum obnoxiam. Continentur parte hac ultima Dissertationes reliquae de rebus Historicis et Theologicis, atque Orationes, quarum quidem mihi copia facta est. Spes de acquirendis aliis irrita fuit.

Praeter quasdam Exercitationes, hic recusas, paucas alias, sed ipsi *Iablonskio* non adscribendas, et eapropter in hanc syllogen non illatas, ad me misit, aut earum argumentum mihi significavit, qua erat ille humanitate et aliorum conatus literarios adiuvandi studio excellens, Celeberrimus *Heyne*, cuius mortem, quamvis post diuturnum vitae usum contigerit, merito lugent omnes politiorum literarum amantes, cuiusque prolixam in me voluntatem numquam non celebrabo. Ex isto autem libellorum genere, de quo dixi, sunt (1) Dissertatio de *Metempsychosi Pharisaeorum*, et num illa ex Scriptura Novi Testamenti adstrui possit, quam anno 1725 defendit auctor *Ludovicus Ramm*, a quo

quaeſtionem difficilem, num *Metempſychoſin Pythagoricam* asſeruerint Phariſaei, egregie excusſam esſe, animadvertit *E. A. Schulze* in Prolegomenis ante *Iablonskii* Inſtitutiones Hiſtoriae Christianae, pag. XLV. Maiorem vero habet commendationem a laude haud vulgari, quam ſcriptori impertit *Iablonskius* in epistola ad *Rammium*, huius Disſertationi ſubnexa, in qua haec verba leguntur: „ Dicere vix posſum, quanta laetitia me perſuderis, cum inſtitutum tuum de conſcribenda disſertatione illa, quae nunc in lucem prodit, mihi primum aperires, cumque deinde disſertationem ipſam, diligenter et cum cura abs te elaboratam, mihi legendam exhiberes". (2) Disſertatio Theologica de *Conſiliis Euangelicis* ſeu *Perfectionis*, a. 1736 diſceptatore *Iablonskio* publice defenſa, ſed tamen a *S. I. E. Stosch* conſcripta, nec ea tam gravis ponderis, ut *Iablonskius* in ſocietatem laboris queat advocari. (3) Disſertatio Hiſtorico-Theologica exhibens genuinam *Pauli Samoſateni*, Episcopi Antiocheni, doctrinam, eodem anno praeſide *Iablonskio* defenſa ab auctore *Carolo Collins*, quem tamen in ſcribendo hoc opusculo adiutum esſe a praeceptore, haud difficulter intelligitur. Quamobrem *Iablonskius* tom. 1 Inſtit. Hist. Christ. p. 90 fortasſe ſcribit: „ Videri ea de re potest disſertatio, nostris auſpiciis edita," cet. Quod illic paucis, multis verbis docetur in Disſertatione *Collinſii*, esſe nempe haereſin *Sabellianam* et *Samoſatenianam* re ipſa unam eamdemque. (4) Disſertatio Exegetico-Historica de *Sinapi parabolico*, illuſtrans parabolam Matth. XIII. 31, 32. Est ea quoque praeſide *Iablonskio* a. 1736 publice defenſa ab auctore *Francisco Intze Linsznyai*. Scriptum iuvenile perlegenti, dicam an perfunctorie inſpicienti, ſtatim cuilibet patet, *Iablonskium* ſic ſcribere haudquaquam potuisſe.

Ne postrema horum Opusculorum pars tres priores mole sua nimium superaret, mutandum fuit consilium, omittique debuerunt animadversiones, quas plerisque Dissertationibus et Orationibus argumenti Historici ac Theologici adiungere statueram, ita tamen, ut controversiae, ad disciplinam sanctiorem pertinentes, mea quidem culpa neque renovarentur, neque augerentur. Si vero alia *Iablonskii* Opuscula, in hac collectione non exstantia, ad me mittentur, atque commodam nanciscar occasionem edendi auctarium, istas meas observationes qualescumque et simul annotationum priorum emendationes, quarum nonnullas humanitati amicorum eruditorum me debere lubens gratusque agnosco, in lucem exire curabo.

Ne autem promissi, in annotatione pag. 155 facti, videar immemor, nonnulla monebo de libellis *Iablonskianis*, ad controversiam *Nestorianam* spectantibus, et hic iunctim recusis. Statim post editam a. 1724 Exercitationem de *Nestorianismo*, cui scribendae occasionem dederat *Lacrozius*, alii scriptorem magnis laudibus et honoris testificatione cumularunt, alii contra conviciis calumniisque onerarunt. In scidula ad calcem Exercitationis suae *Iablonskius* haec annotavit: „ de exigua hac mea opella ita perquam benigne iudicat Illustrissimus et Reverendissimus *Guil. Wakeus*, Episcopus Cantuariensis, in literis datis ad Parentem d. IV Iuni styli vet. 1725: *Libellum Filii tui fideliter mihi tradidit Cl. Mazelius. Ego illum cum voluptate legi, et porro cum maiori attentione repetere statui. Continet enim brevi volumine plurima scitu digna, quaeque vix alibi ita apte simul iuncta reperiantur. Opus grandioris aetatis auctore dignum.* Quae sequuntur, tantum amorem et benevolentiam spirant." *Nicolaus Westermannus*, Professor in Academia Viadrina, vir

laudatisſimus, laudat eamdem Exercitationem ut *nobile ſpecimen ingenii* Iablonskiani, in epistola MS., quam asſervo. Vnum adiungam *Maturinum Veysſiere Lacrozium*, virum ſpectatum et cognitum, ab auctore Exercitationis non modo non disſentientem, ſed et eamdem probantem ac defendentem in epistola perquam erudita, quae exſtat in Theſauri Epistolici Lacroziani tomo III p. 175—183, item in Muſeo Bremenſi part. I p. 78 ſqq. Spectat eo, quod ad *Lacrozium* ſcribit *Haſaeus*, in eiusdem Theſauri tom. I p. 149: „ Diatriben tuam elegantem, qua *Iablonskii* nostri, imo *Nestorii* cauſam tuitus es, ſtatim *Muſei* mei — primae parti, tanquam πρόσωπον τηλαυγὲς, inſerui, ea ſpe, fore, ut ſubinde maximi ingenii foetus ad me transmittantur." Ita quidem illi et pauci alii, ſed longe plures Exercitationem improbarunt et aggresſi ſunt, ſcriptorem vero novum haereſeos *Nestorianae* defenſorem dicere non dubitarunt. Ne memorem alios, ſed quos fama obſcura recondit, tres praecipue fuere ſcriptores, qui *Iablonskium* vehementius oppugnarent. Paucis post editam Exercitationem menſibus, *Carolus Gottlieb Hoffmannus*, praeſide *Henrico Klauſingio*, die 20 iulii a. 1725 in Academia Lipſienſi defendit „ Controverſiam *Nestorianam* olim agitatam haud fuisſe logomachiam." Scriptorem hunc non indoctum id ſibi negotii datum exiſtimasſe, ut disſertationem ſuam *Iablonskio* ſigillatim opponeret, lectori cuique manifesto apparet. Confirmant id literae, ab *Hoffmanno* ad eum datae die 18 Iulii a. 1725. Scribit enim: „ Videri audacior poteram, qui inopinatis literis verenda tuarum muſarum irrumpam, et Tibi nec de facie, nec forſitan ulla alia re, notus exiſtam. Miraberis ſane, me peregrinum atque obſcurum hominem ea esſe audacia, ut non ſolum has levisſimas literas ad Te exaraverim, ſed et ſimul dis-

dissertationem academicam miserim, in qua me Tibi adversantem sisto. Sed velim Tibi certe persuadeas, me neque prius neque posterius aggressum fuisse, nisi a multis, qui Te bene norunt, certior factus essem, Te tali fore humanitate pariter ac modestia, ut mea conata meliorem in partem sis interpretaturus. Hac re fretus, spero et ego, me in tota, a me conscripta, dissertatione ita honestati atque modestiae studuisse, ut pene confidam, me Tibi nullam irascendi causam dedisse, nec et unquam eam, quam Tibi debeo, reverentiam atque venerationem ex oculis misisse. Quod si autem, vel me invito, quaedam occurrerent, quae Tibi adhuc viderentur duriora, rogo humillime, velis parum incaute dicta Tua mansuetudine tegere. Si vero nonnulla Tibi viderentur erronea, fatigo Te summis precibus, ut me de eis certiorem facias, et, si monita reperirem probe fundata, promptam παλινῳδίαν a me expectes. Caeterum, me meaque qualiacunque studia Tibi optimum in modum commendo, Te denuo rogans atque obsecrans, ne quid in deterius interpreteris, sed eum potius summo Tuo praesidio atque favore digneris, qui perpetuo erit, — ". Quid responderit *Iablonskius*, colligere est ex epistola altera, ad ipsum ab *Hoffmanno* d. 4 augusti a. 1725 scripta, quae haec est: „ Magna me voluptate affecerunt literae Tuae, quas, amicissime atque humanissime exaratas, ad me perferendas recens curasti, quaeque me de Tua singulari humanitate, modestia atque comitate plane convictum reddiderunt. Summa quidem reverentia, imo, (nisi arrogantius dictum putare velles,) sincero amore atque submisso, iam antea Te prosequebar, nunc vero me totum tenes, habes, possidesque. Tuae enim literae, quibus mihi nihil potuisset accidere optatius, nova dabant humanitatis documenta, quam caeterarum

Tuarum virtutum lumen atque decus merito dixerim. Incensus inde cupiditate Tecum ineundi sanctissimi illius foederis, quod amicitiam vocamus, nihil magis doleo, quam, quod Te quidem revereri, honorare, laudare, et amare contingat, sed Te videre, alloqui, audire, complecti, loci intervallum prohibeat. Interim Te omnibus, quibus possum, precibus humillimis fatigo, velis Tuum erga me conceptum amorem conservare, Tibique certo certius persuasum habere, me eo unice recreari, quod abs Te, tali Viro, diligar, Tuoque favore, quem praesidii loco exosculor, dignus habear. Intellexi simul ex Tuis optatissimis, Te esse in ea sententia, ac si amori meo erga Te nimis indulserim, Teque nimiis atque immeritis laudibus extulerim: sed fide data spondeo affirmoque, laudes eas non solum ex sinceri pectoris affectu promanasse, sed Tuam doctrinam Tuamque virtutem esse quoque longe ampliorem, quam ab impolito meo calamo laudatam invenies. Diligo enim atque veneror Te humillime, sicut mereris, sed hoc ipsum amantis esse putabam, non onerare Te laudibus. Sperabam praeter ea, Te mentem tuam de mea levissima dissertatione mihi esse expositurum, nec me spe mea plane deceptum video, promisisti enim alias literas, in quibus mihi sententiam tuam significabis. Peto atque contendo abs Te magnopere, ut promissa perficias, meque ex Tuae doctrinae ubertate nonnulla haurire permittas: nihil erit, quod discere vellem, quod Tu docere non poteris. Pro quo beneficii genere, me ipsum totum tradere Tibi atque dedere, sancte polliceor, adorans interim summum Numen, velit Te, in emolumentum bonarum literarum, in solatium illustris familiae et in splendorem coetus Reformati, diu sospitem atque incolumem servare, quo et in posterum Tuo favore Tuoque praesidio uti at-

que

que frui queam, qui nullo tempore intermittam, ut re ipſa commonſtrem, me esſe —." Eodem circiter tempore epistolam longiorem ad *Hoffmannum* miſit *Iablonskius*, valde eam dignam, quae hic legatur, cum inde praeclarum in modum eluceant ſumma viri egregii humanitas, laudanda ingenii lenitas, animi candor amabilis, ſtudium veri admirabile. En ipſa epistolae verba: „ Literas quas Tibi debebam promisſas, mentem meam de tota doctisſima Tua Disſertatione declaraturas habuisſes iam dudum, niſi interea temporis Tuae ſupervenisſent, amoris quidem in me et benevolentiae ſingularis plenisſimae, at nimium tamen blandae. Etenim quid Tibi pro tam luculentis amicitiae et affectus argumentis reponendum, unde mihi in tanta rerum ſcribendarum copia incipiendum, ubi deſinendum esſet, non parum hactenus ſollicitus fui. Iam vero, quod bona Tua venia fieri ſpero, et ne Te diutius morer, Vir Clarisſime, et ut nomen meum e tabulis Tuis expungam, ea, de quibus prolixe Tecum agere decreveram, in breve, ut potero, compendium redigam. Quanti ego Te faciam, Vir Doctisſime, et eruditisſimam Tuam Disſertationem, quam non ſemel ſumma cum attentione perlegi, quantopere illum itidem Tuum, quem et publicis et privatis testimoniis expertus ſum, favorem exoſculer, multis nunc non praedicabo. Faxo, ut, ſi occaſio ita tulerit, posthaec rerum testimonia animum meum Tibi plenius declarent. Quod vero ad Disſertationem Tuam, quam Exercitationi meae oppoſuisti, attinet, primo quidem, quod iam per literas testatus ſum, Tuum a me disſenſum publicum animo aequisſimo ferre potui et debui. Ea enim, in quibus a me disſentis, adeo erudite perſecutus es, ut lectio Tuae Disſertationis, etiamſi mihi inimicae, voluptatem tamen non mediocrem mihi attulerit.

Prae-

Praeterea, vides candorem meum, ego de controversia illa, quae nos occupavit, ita iudico, esse illam eruditam magis, quam momentosam. In re ipsa uterque nostrum bene et amice conspiramus. Nam ego a iudicio Ecclesiae numquam recessi. Detestor Tecum illos errores, quos Concilium Ephesinum et Chalcedonense in *Nestorio* condemnavit. Agnosco, phrases illas, quibus in exponendo Incarnationis dogmate usus est *Nestorius*, ita comparatas esse, ut vim huius Mysterii imminuant atque obscurent, idque multis rationibus evici. Quid igitur superest? Illa una quaestio historica, utrum *Nestorius* omnium eorum criminum reus vere sit, quae ipsi exprobrantur, utrum unionem crediderit realem et hypostaticam, an vero mere relativam tantum, utrum verba quaedam *Nestorii* summo iure culpata et reprehensa ex asse mentem auctoris sui expresserint, an vero vocibus incommodis male tantum prolata fuerit melior sententia? Quaestio haec Ecclesias nostras non magnopere tangit. Quid inde lucrabuntur Ecclesiae Lutheranae, si illos errores, quos cum illis condemnamus, a *Nestorio* vere sparsos esse evinceris, aut quid inde decedet Ecclesiis Lutheranis, si *Nestorium* absolvi posse, probassem ego? Hoc ideo monere volui, Vir Clarissime, ut suspicione aliqua me apud Te liberem, qua me Tuo quodam iure onerasse videris, Dissert. p. 10 § IX. Ego cum Dissertationem meam componerem, ad controversias nostri temporis, quod sancte testor, nullo modo respexi, neque etiam earum, per totum libellum, vel minimum vestigium apparet. Omnino historica pertractantur. Occasionem meae Exercitationi praebuit lectio *Euthymii* Graeci, quem amicus quidam ex Oriente ad me attulerat, ubi cum ex creberrima repetitione illius phraseos, cuius historiam postea dedi, intelligerem, quosdam libros apud *Euthymium*

mium ſub nomine *Cyrilli* citari, qui a *Nestorianis* auctoribus esſent conſcripti, quemadmodum eius rei etiam in Exercitatione mea mentionem feci p. 30 in notis, ea quae inter legendum breviter de ista phraſi annotabam, paulatim ita excrescere deprehendi, ut materiam non incommodam neque ſterilem disſertationis praebitura esſe viderentur. Accidit eodem tempore, ut Facultati noſtrae Theologicae aliquod ſcriptum a me elaboratum offerendum esſet. Hanc igitur materiam, iucundam ſimul et curioſam, quam modo meditatus fueram, ſelegi, praemisſa, quod res poscebat, brevi de toto Nestorianismo epicriſi, cuius phraſis illa ſpecimen aliquod et tesſera nuncupari meretur. Haec occaſio fuit ſcriptionis. Obiicies dedicationem, ipſi Exercitationi praefixam, quae ſuſpicionem illam de me apud Te et apud alios excitare potuit, neque omnino fruſtra. Exciderunt mihi illam dedicationem exaranti quaedam, quae poſita nunc nollem, et quae excidisſe mihi, illico, at nimis tamen ſero, indolui, et apud amicos conquestus fui, quamquam etiam illa verba aliter ſint a Te accepta, Vir Clarisſime, quam ſcripta a me fuerunt. Abſit a me, ut *Chemnitio*, inſigni Heroi, cuius merita, ut par est, veneror, abſit, ut aliis viris maximis humilia ingenia tribuantur. Novi me modulo meo et pede metiri. Per humilia ingenia eos deſignavi, qui rationibus claris et evidentibus ſine ulla ratione, quam afferre posſint, ſeſe opponunt, eo tantum fine, ut hypotheſi ſuae ſerviant. Hoc neque Tibi, neque aliis ullo modo accommodari potest, qui ſententiarum ſuarum tam eruditas tamque ingenioſas oſtendere posſunt rationes. Hoc tamen etiam ſcias velim, Vir Clarisſime, nono demum post conſcriptam totam Exercitationem menſe additam fuisſe dedicationem, eamque ſingulari plane occaſione mihi invito fere et reluctanti extortam fuis-

ſuisſe, et ſcopum eius cum ſcopo ipſius Exercitationis nihil plane commune habere. Interim non Tibi iraſcor, Vir humanisſime meique amantisſime, qui mentem meam non percepisti, ſed mihi ipſe ſuccenſeo, qui ſenſa mea parum dilucide explicuerim. Eo quoque referendum erit, quod p. 11 § x ex verbis meis colligis, quod *Cyrillum* et cunctos Patres Epheſinos tecto nomine accuſaverim, quod ſane tam laxo ambitu acceptum revocare paratus ſum. Simili modo non ea mihi fuit ſententia, quam p. 13 mihi tribuis. Numquam dixi, *Nestorium* fuisſe eruditum, neque uspiam de eruditione *Nestorii* tam magnifice locutus ſum, quam Tute, Vir doctisſime p. 18. Ego potius defectum et inſufficientiam in locutionibus eius multis culpavi. In Exercitatione p. 71 obſervavi in *Nestorio* obſcurum et implicitum dicendi genus ambiguitati obnoxium, p. 75 eidem in dicendo imprudentiam obieci, et p. 4 iudicium *Socratis* de ψυχρολογίᾳ *Nestorii* non improbavi unico verbo. His vero non obſtantibus numquam inducar, ut credam, *Nestorium* tale fuisſe vitiorum et ignorantiae monſtrum, quale nobis eum alii, tum inprimis *Petavius* et *Lud. Doucinius* repraeſentare voluerunt. Hae elegantiae et invectivae ad praeoccupandos Lectorum animos compoſitae ſunt, quod tamen a iudiciis ſuis Areopagitae recte abesſe voluerunt. P. 14 Disſert. Tuae *Socratem* appellas ſcriptorem mihi valde charum, neſcio qua de cauſa, ſemel tantum eius testimonio uſus ſum, et qnod de eo addidi iudicium, iudicium est doctisſimi *Valeſii*, quod calculo ſuo comprobat celeb. *Fabricius* Biblioth. Gr. vol. vi p. 119. P. 15 § 1 miraris me de voce Θεοτόκος pauca disſeruisſe, at hoc alienum erat ab inſtituto meo, quod ſupra Tibi expoſui. Festinandum mihi erat, ut ad ſcopum meum pervenirem, et de hac voce eo minus plura addere volui,

lui, quoniam ſciebam, multa a viris doctisſimis in hac re fuisſe disputata. Interim brevibus indicavi (1) vocem hanc recte a Patribus adhibitam fuisſe. (2) Minus recte ideo *Nestorium* eam repudiasſe. Oſtendi tamen (3) *Nestorium* non plane vocem hanc damnasſe, ſed (4) a crebriori eius uſu abſtinere voluisſe, quoniam in ſchola eorum educatus erat, qui Apollinaristis ſeſe vehementer oppoſuerant, quique omnia, quae eius haereſim ſapere videbantur, etiam alioquin in ſe vera, evitare ſolebant, quale quid ipſe probas, doctisſime Vir, pag. 27 init. Obiicis mihi et multis aliis p. 18, *Nestorium* non confudisſe abſtractum cum concreto. Id ipſum tamen quodammodo concedis p. 25. P. 22 obiicis mihi, *Nestorium* etiam de tempore unionis non docuisſe contraria orthodoxiae Christianae. Attuleram pro mea ſententia nonum *Nestorii* Anathematismum, qui certe clarus et perſpicuus est. Et id ipſum probant etiam, quae ipſe p. 21 § VI affers. Non enim hic agitur inter nos de modo unionis, qualem *Nestorius* concepit, ſed de tempore. Diſtinguebant haec veteres, et primo incuſabant *Neſtorium*, quod tempus unionis ſtatueret post nativitatem Christi, vel ut quidam, post Baptismum. Hanc criminationem fuisſe inanem, illa quae Tu loco citato profers, et citatus a me Anathematismus IX planisſime evincunt. Dehinc pergebant ad modum unionis, cui proprie oppoſita ſunt, quae disſeris pag. 21 et 22.

P. 25 ais, me iniustitiam et nimium fervorem in Patribus interpretari, et aegerrime tulisſe, quod *Nestorio* obiecerint, eum fateri myſterium incarnationis esſe abſtruſum et ineffabile. At de illa iniuſtitia et fervore Patrum in mea Exercitatione p. 22 ne verbulum quidem occurrit. Hiſtorice tantum rem retuli, Patres *Nestorio* hoc obiecisſe, nulla

plane addita ἐπικρίσει. Sed diutius non haerebo in istiusmodi rebus, quae minoris momenti sunt, in quibus sententiam meam modo explicandam paucis esse duxi, ad totam rei summam iam accedo. Praecipuum, de quo contendimus, in eo vertitur, an unio naturarum in Christo *Nestorius* statuerit ὑποςατικὴν, *realem et personalem*, an vero σχετικὴν, *moralem*. Ego cum ad Exercitationem meam conscribendam accederem, perlectis praecipuis eius controversiae monumentis authenticis, iisque omnibus, qua potuit fieri attentione, accuratione et fide pensitatis, iudicavi, *Nestorium* quidem multo pertinacius, quam aequum erat, phrasibus suis inhaesisse, vocem itidem ὑποςάσεως et similes repudiasse, interim tamen unionem hypostaticam, (qua arctior dari nulla potest) in Christo credidisse et agnovisse. Hanc in rem propria eius verba exhibui, satis ut opinabar dilucida, ego vero sententiam meam non his tantum locis superstruxi, sed ex aliis quoque *Nestorii* monumentis, ex tota connexione eius doctrinae, ex praeceptis etiam magistrorum elicui, quod tamen ita prolixe ostendere res non erat mei instituti. Tu aliam et contrariam mentem ex scriptis Nestorianorum exsculpsisti, et quod lubenter fateor, hoc ipsum ita erudite, ita eleganter persecutus es, ut etiam atque etiam dubitem, an nunc Exercitatio mea eruditis id persuasura sit, quod ipsi mihi persuaseram, quod aliis etiam persuadere volebam. De me nihil dicam. Effecit doctissima tua Dissertatio, ut mecum constituerem, omne meum hac de re iudicium tantisper suspensum tenere, donec otium aliquod idoneum nactus fuero, quo, libratis ante omnibus tuis obiectionibus, totam hanc controversiam sub incudem revocare licuerit. Gratulor vero erudito orbi, quod ista controversia a me mota tam insigne eruditionis Tuae specimen in lucem protraxerit.

Gra-

Gratulor mihi, quod eadem controversia amicum mihi conciliaverit, cuius memoriam tota vita summo amore et honore persequar, in quo tot egregias dotes, tot virtutes conspicio, quique omnes has virtutes tanta modestia et tanta humanitate exornet. Quoniam Te praesente frui datum mihi non est, enixe Te rogo, ut, quod in hoc rerum statu superest, me tua amicitia, et tuo etiam, si id patietur negotiorum ac studiorum ratio, commercio literario dignari me velis. Te Deus in ornamentum Literarum et Ecclesiae quam diutissime conservet, tuis tam egregiis, tam nobilibus conatibus omnipotenti sua gratia clementissime adspiret, Tibi eam etiam mentem addat, ut me porro amare non desinas —. Vale."
Tale scribendi genus, quali usus erat *Iablonskius*, non poterat non placere *Hoffmanno*, quamvis pars maxima epistolae displiceret, nec disputationi finem faceret. Vtrumque intelligitur ex responso, quod idibus ianuarii a. 1726 datum est, et sic se habet: „Quod tardius, tandem facio. Pudore suffundor, quod nunc ad tuas mira humanitate, singulari modestia, rara comitate, ad me conscriptas literas, quas d XI septembr. superioris anni accepi, responsa dare instituam. Meipsum profecto redarguo, mihique succenseo, quod mei quasi oblitus, officio meo non prius satisfecerim. Sed certo mihi persuasum habeo, Te pro tua humanitate mihi veniam esse daturum, siquidem et longum iter, et nonnulla scripta minora impedimento fuerunt. Ipse, Vir summe reverende, nosti fragilitatem rerum humanarum, ac fortunae volubilitatem, quae nos, ceu pilas, hinc inde agere, nec raro cursui et incepto obicem ponere solet. Ex literis, quas igitur ad me dedisti, secundis nonnulla intellexi, quae a Te, in curatiori perlustratione levissimae meae dissertationis, virgula notata fuerant; probe perspectum ha-

bens, Te ea mecum benevole communicasse, non ut lites mihi moveas, sed ut ea, quae sentires, libere aperires, meaque desideria expleres. Gratissima mente id agnosco, Tibique, non rixandi pruritu, sed maioris illustrationis caussa, haec rescribo, breviter quidem, sed sufficienter; et nisi taedet, tuis insistam vestigiis. I. Probe monuisti, quaestionem de haeresi *Nestorii*, quae inter nos agitur, esse meram historicam. Adsentio quidem, sed nullus dissimulabis, hanc quaestionem historicam vel a nostrae vel a Reformatae Ecclesiae Doctoribus toties in partes vocari, quoties doctrina de unitate personae in Christo proponitur. Huc igitur ea quaeso! referas, quae a me cap. 1 § 2 fuerunt prolata. II. Quod de Te adserere non dubites, Te hoc negotium non suscepisse partium studio; negare non possum, mihi hoc olim suasisse verba, quae in dedicatione occurrebant, quaeque cap. 1 § 9 a me notata sunt, ita, ut ipse hac de re dubitanter scripserim, et non sine causa addiderim: nisi me omnia fallunt. Nunc autem, quum contrarium sustineas, immodesti notam incurrerem, nisi tam probo tamque erudito viro fidem, ea qua par est ratione, denegare vellem. III Benevole mones, ne mihi aliisque persuadeam, Te *Chemnitium* aliosque aeternae famae viros humilibus adnumerasse ingeniis. Sed, Vir doctissime, ipse iam p. 11 scripseram, haec a modesto atque mansueto ingenio tuo longe abesse, meque confidere, Te parumper dure dicta, tali rigore exposita nec velle nec permittere. IV. Obnixe rogo, ne conjecturam a me p. 11 de *Cyrillo* et Patribus Ephesinis factam, in malam partem rapias; ipse fateris, Vir summe venerande, tua verba eam innuere, licet ego eam a mente tua longe remotam, nunc certo credam. V Indigne tulisti, quod Tibi tribuerim, ac si de *Nestorii* doctrina pariter et eruditione magnifice

fice locutus esses. Ignosce quaeso, fautor honoratissime, ut fatear, me non videre, ubi istud p. 12 et 13 fecissem. Dixi enim modo: tale quid ex propriis verbis *intelligi* posse. Eam loc. cit. confuto potius sententiam, quae negat, *Nestorium* fuisse superbum, etc. 2.) Ipse de *Nestorio* haud abiecte sentio, p. 18, eius autem vitia taceri vel negari nolebam, uti nec Tibi succenseo, qui *Cyrilli* errata probe notasti. 3.) Quum verba tua p. 3 legissem, et ea quae p. 5 de *Nestorio* dicuntur, reperissem, haec duo conciliare nesciebam, ut videbis p. 13. VI. Quod *Socratem* p. 14 dixerim auctorem Tibi tam carum, non nego. Colligebam id ex addito elogio, et re ipsa: quum enim tuae sententiae tam aperte faveret, aliter fieri non poterat, quin Tibi carus acceptusque esset. Caeterum nec ego *Socrati* omnem laudem abiudico, eiusque auctoritatem pluris facio: ita tamen, ut *Socratem* Historicum a Theologo probe discernendum existimem; v. p. 5. VII. Quum ab instituto tuo alienum fuisse iudices, plura de voce Θεοτόκος disserere, mirari iam desino. Firmo autem requiescit talo, eum, qui de haeresi Nestoriana aequum iudicium ferre aggreditur, plura de hac voce dicere debere, ut monui p. 15, et facto praestiti. VIII. In ea es opinione, quasi p. 25 illud concessissem ipse, quod Tibi aliisque concedere noluissem, *Nestorium* scilicet confudisse abstractum cum concreto. Sed duo quum faciunt idem, non est idem. Tu enim affirmas, *Nestorium* id fecisse ἀπὸ ἀμαθίας πολλῆς, ut loquitur *Socrates*. Ego vero, in refutanda sententia Nestoriana occupatus, moneo, *Nestorium* non observasse, nec observare voluisse, sed dissimulasse discrimen. Nullus autem dixi, eum differentiam hanc ignorasse, conf. p. 18. IX. Tandem est quaestio, num *Nestorius* de tempore unionis recte sen-

ſerit? Strenue id defendis, ego negabam, ſed, ut ingenue fatear, multa cum haeſitatione. Movent me ſane tua argumenta, quibus alia adiecit propria rei investigatio Suſpendo itaque iudicium, et, ſi rem propius introſpiciam, a memetipſo diſcedere nunquam dubitabo. Ne te, Vir ſumme reverende, diutius a gravioribus retineam, breviter omnia huc usque ſecutus, nunc dicendi finem faciam, Te ſummis atque humillimis precibus fatigans, velis ea, quae in diſſertatione mea Tibi duriora videntur, et venerationis, quam Tibi tuisque praeclaris meritis debeo, limites laedere, tua modestia raraque humanitate tegere, et errata manſuete emendare. Nihil iucundius, nihil gratius, nihil acceptius mihi unquam foret, quam ſi obiectiones meas leviores aliquando librare, ac totam hanc controverſiam ſub incudem revocare velles, ut quidem promiſiſti. Nullum dubium est, totum literatum orbem ex labore tuo eruditisſimo magnum emolumentum capturum, meque ex ubertate eruditionis tuae multa inſignia proficere posſe. *Saligius* ille, cuius in mea disſertatione p. 9 honorificam mentionem feci, animo decrevit, idem inſtitutum exequi, certiorque ab amico certo factus ſum, eum meam commentationem in prolegomenis ad Historiam Eutychianismi (quam quidem plene confecit, ſed nullus bibliopola impenſas huic operi ſuppeditare vult) prolixe confutare velle. Sed huius viri doctrinam, ut et ingenium novimus. Caeterum, Deum Optimum Maximum ſincero pectore adoro, velit Te, venerande ſacerdos, ad ſeram usque ſenectutem conſervare, tuisque negotiis gravisſimis clementisſime adnuere, tuamque ſanitatem firmo roboris robore ſuſtentare: quo et orbis eruditus, et ſancta Sospitatoris noſtri ſponſa, et ſumme venerandus Senex et *Iablonskianae* familiae felicisſimus parens, habeant, quod ſibi diu-

diuturnae felicitati et utilitati ducant. Quumque me ad hunc usque diem, ut mihi quidem blandio, summo tuo favore atque praesidio dignum putaveris, humillime rogo atque contendo, velis et in posterum me tuo praesidio dignari, meamque tenuitatem Tibi de meliori nota commendatam habere. Si quid in me est, quod exiguum erit, quocum Tibi tuisque commodis inservire potero, nunquam meo officio deero, omnique occasione data comprobatum dabo, quod mihi haud levi honori putem, tanto viro debita officia praestitisse. Sique meae arrogantiae veniam dabis, subinde ad Te literas dabo, eum in finem, ut nunquam non declarem, quomodo colam venererque singularem tuum amorem tuumque favorem, cui me totum trado".

Sitne deinde commercium hoc epistolicum continuatum, prorsus ignoro, non item, *Lacrozium* haud vulgaria *Hoffmanno* opposuisse in epistola ante laudata, atque *Iablonskium* non uno in loco sententiam suam a difficultatibus vindicasse, quibus eam premi *Hoffmannus* existimarat. Hic autem, novo libello conscripto, caussam suam conatus est tueri adversus *Lacrozium*, ad quem *Iablonskius* a. 1731 scribit: „Vidisti sine dubio Lipsienses annuntiasse publico, *Hoffmannum* communem nostrum adversarium adversus te aliquid moliri, aut, si relationi fides habenda est, prelo subiecisse". Vid. Thes. Epist. Lacroziani tom. 1 p. 203.

Levis armaturae militibus, in aciem contra *Iablonskium* descendentibus, accensendus est *Paulus Bergerus* in oratione, a. 1726 Wittenbergae habita, et hoc titulo insignita: „*Nestorianismus* haereseos convictus, celeberrimo *P. E. Iablonski* oppositus". Non illic desunt fervor mentis et verborum acerbitas. Quo numero *Bergerum* habuerit *Iablonskius*, docent haec ipsius verba in literis ad *Lacrozium*: „Non raro postremi ag-

gresſoris ignorantia et incredibilis ſtupor me a reſpondendo deterruerunt. Aliter autem fieri non poteſt, ſi reſpondere debeam, quam ut ſupini et ridiculi plane nec pauci numero errores auctoris illius Wittebergenſis a me detegantur, quod non poterit non novas et moleſtas lites mihi excitare. — Video itaque, ſi in arenam deſcendo, mihi tamen tacendum eſſe, aut tota vita in certamine inglorio decertandum. Quia tamen pater, quia alii vehementer inſtant, nec me tranquillo otio frui patiuntur, decrevi reſpondere." In Hiſtoria controverſiae Neſtorianae, quam *Iordanus* adiecit Hiſtoriae vitae et operum *Lacrozii*, part. 1 p. 231 — 239, de *Bergero* ait *Iablonskius*, „lecta illa oratione, ſe quidem ſenſiſſe, virum illum conatui huic imparem prorſus fuiſſe, et cauſſam per ſe non bonam, male defendendo, peiorem adhuc reddidiſſe; ut vix operae pretium videretur illi aliquid reponere." Quis ergo miretur, *Bergerum* aliquoties durius caſtigatum eſſe a *Iablonskio*, qui tamen ſignificavit ſe deinceps lenius cum illo egiſſe, et ſollicite omnia, quae iracundiam aliquam aut excandeſcentiam mentemque exaſperatam redolere viderentur, expunxiſſe, quamvis meruerit, ut ei nonnumquam inclementius reſponderetur." Vid. Theſ. Epiſt. Lacroziani t. 1 p. 202, inprimis Hiſtoriam controverſiae ſupra laudatam p. 237, 238.

Eodem circiter tempore, quo *Hoffmannus* et *Bergerus*, *Iablonskium* quoque aggreſſus eſt *Iohannes Weſſelius*, Theologus Leidenſis, in praefatione libri, quem a. 1727 edidit inſcripſitque: *Neſtorianiſmus* et *Adoptianiſmus* redivivus confutatus. De novo iſto impetu ſic iudicat *Iablonskius* in Hiſtoria controverſiae p. 236: „Virum illum eruditum, etſi omnes Theologiae Scholaſticae argutias et difficiles ſubtilitates in numerato habeat, meam ſententiam, ubi adverſus me diſputat, non recte

recte percepisse, certe minus accurate repraesentasse, indeque nescio quam Pelagianismi labem, praeter meritum, mihi inussisse, ostendi facile potest." Effecerunt vero omnes adversariorum conatus, ut *Iablonskius* a. 1728 ederet Dissertationem de origine et fundamento *Nestorianismi*, utque librum integrum meditaretur, cui titulus: Ingenua in *Nestorianismum* inquisitio. Huius autem operis pars exigua, in qua agitur de meritis *Nestorii* et de controversiae *Nestorianae* genuinis fontibus, a. 1738 in lucem exiit, partes reliquae, quarum argumentum innotescit ex epistolis *Iablonskii*, tom. I Thes. Epist. Lacroziani p. 185, 190, 193 sqq., numquam prodierunt, nec sunt, quod doleo, ineditae ad me perlatae. Nihilo tamen minus testatur *Iablonskius*, in Historia saepius citata p. 237 et 238, se opus illud absolvisse et misisse ad summum suum amicum *Lacrozium*, huiusque de eo iudicium expetiisse, quod cum esset valde benignum, serio se cogitasse de editione operis satis spissi, eiusque initium factum esse a. 1738 vulgando Exercitationem illam primam, de qua dixi, et quam brevi post reliquae excepissent, *nisi novum et minus praevisum supervenisset impedimentnm*; tot igitur impedimentis animo fractum omnibus suis pristinis in hac re consiliis et operi edendo in universum se nunc (a. 1739) valedixisse. Mutati eo tempore consilii auctor suasorque fuit magna vir dignitate et auctoritate in rebus Ecclesiasticis, *Iablonskium* amice monens, ut telam inceptam non eadem ratione, id est, edendis subinde disputationibus Academicis, pertexeret, sed potius opus integrum in lucem prodire iuberet. Cuius rei testis est scriptor Vitae *Iablonskii*, in Europa Nova Literaria tom. XI, quam curavit *Ferdinandus Stosch.* Addit scriptor, voluisse eumdem praeclarum virum, ut toti operi subnecteretur rarior

rior *Derodoni* ſive *de Rodon* liber *de Suppoſito*; qui an recte dicatur, fuisſe in bibliotheca *Iablonskii*, dubium mihi videtur, ut monui in annotatione p. 156 et 242. Quidquid id est, relationi huic finem faciant duae animadverſiones: quarum quidem altera est, etſi *Nestorium* ipſum defendit, eiusque merita in Eccleſiam collaudat *Iablonskius*, numquam tamen ab eo defendi laudarique opinionem falſam et abſurdam, quae de ipſius nomine dici ſolet haereſis *Nestoriana*; altera vero obſervatio ſpectat ad *Bergeri* aliorumque accuſationem de animo *Iablonskii* iniquiori in ſocios Eccleſiae Lutheranae. Qua criminatione nihil falſius confingi potuit. Etenim vir optimus nihil magis optavit, nihil maiori virium contentione egit, non alio conſilio nonnullas ſcripſit Disſertationes et Orationes, quae hac ipſa Opusculorum parte continentur, quam ut vinculum concordiae inter cunctos Protestantes arctius arctiusque conſtringeretur fieretque tamdem indisſolubile: qua ipſa de cauſſa eum ſibi quorumdam Theologorum, non ita eruditorum et modestorum, ut ille fuit, invidiam et livorem contraxisſe novimus atque dolemus.

Si quid curanda editione Opusculorum *Iablonskii* praeſtiterim in uſum bonarum literarum, erit quod laeter; ſi homines docti aut illius errores, aut inprimis meos, humaniter corrigant, aequis his cenſoribus gratias agam, quantas maximas potero; iniquorum vero cenſorum iudicium ſusque deque habebo.

Vale, Lector benevole, et mihi fave.

Scripſi Leidae, d. XII Ianuarii a. MDCCCXIII.

QUAR-

QVARTA HAC PARTE

CONTINENTVR

Dis-

EXERCITATIONES,

AD ANTIQVITATEM ET HISTO-
RIAM ECCLESIASTICAM
PERTINENTES.

SPICILEGIVM OBSERVATIONVM DE MIRACVLO LEGIONIS FVLMINATRICIS [*].

§ I. Nemo est paulo humanior, aut qui historiam Ecclesiae Christianae vel a limine tantum salutavit, cui miraculum, *Legioni Fulminatrici* adscribi solitum, dictum aut auditum non fuerit. Rei huius, ut breviter me expediam, talis refertur et ab antiquis et a recentioribus historia. *Imperator Marcus Aurelius Antoninus*, cui nomen Philosophi inditum fuit, *acri cum Quadis*, *Germaniae populo*, *bello implicitus*, *locorumque difficultatibus ita septus*, *ut cum universo exercitu in extremo versaretur discrimine*, *ipse cum suis in summa aquae penuria*, *fervido sole*, *torridoque solo*, *saeva siti laborans*, *hostibus interim pugnae copiam non facientibus*, *consiliis suis omnibus excussus*, *novissima quaeque exspectabat*. *Hoc rerum cardine accedit ad eum Praetorianorum Praefectus*, *submonens*, *esse in exercitu Legionem Meli-*

[*] Invenitur in Miscellaneis Lipsiensibus Novis, vol VIII part. 3 pag. 417 — 454. In exemplo autographo, quod hic sequor, alia omissa sunt, alia emendata, alia addita, etiam in scidulis adiectis.

litenam, e Christianis constantem militibus; nihilque esse, quod hi, qui Christiani dicuntur, precibus suis impetrare non valeant. Qua re cognita, Marcum ab eo petiisse narrant, ut Deo supplicarent. Illi igitur, cum, genibus humi positis, totos se ad supplicandum convertissent, derepente fulminum coelo ruentium impetus, et grando ignis specie ac similitudine, hostes, in fugam versos, magnam partem interemit, et insperata prorsus frigidissimorum imbrium copia Romanos, siti confectos, focillavit (*a*). Addunt alii, *Legionem Melitenam*, ex hoc mirabili eventu, cognomen *Fulminatricis* consecutam esse; Imperatorem vero, qui, exercitu recreato, et ad quidvis audendum iam parato, hostes facile in fugam coniecit, coetui Christianorum mirabiliter conciliatum fuisse, eosque, literis ad Senatum datis, quibus res omnis, uti gesta erat, enarrabatur, laudibus eximiis ornasse. Qui primi eventus huius mentionem fecerunt, in referendis illius circumstantiis sive adiunctis parciores sunt et modestiores. Successu temporis alii ad ornandam historiam adeo memorabilem, rebusque Christianorum tam exquisite faventem, plura paulatim addiderunt. A tempore vero seculi IV, historia haec, quo nunc retulimus modo, ab omnibus per longam seculorum seriem constanter credita, et ut indubie vera admissa est, donec tandem post instauratas literas, seculo XVI et XVII, viri (*b*) et doctrina et ingenio mirabilem in modum perpoliti, post institutum serium et accuratum huius rei examen, observassent, non leve esse scriptorum veterum, qui

(*a*) *Hermannus Witsius* in Diatriba *de Legione Fulminatrice Christianorum* § 5.

(*b*) *Iosephus Scaliger* Animadversion. ad *Eusebii* Chronicon p. 222, 223. *Henr. Valesius* in notis ad *Eusebii* Histor. Eccles. Lib. V cap. 5.

qui nobis historiam hanc literis prodiderunt, et inter ſe, et cum monumentis historiae certisſimis, disſidium: quod alios (*c*) compulit, ut in rem eamdem omni mentis niſu, et qua potuerunt industria, ſollicite inquirerent; unde factum est, ut hodie quivis veritatis amans, dummodo vires ingenii eum non plane destituant, ſi mediocrem tantum diligentiam adhibere velit, de toto hoc negotio iudicium certum tuto ferre queat. § 2.

(*c*) Nota ſunt virorum eruditisſimorum in hoc argumento ſcripta edita. *Hermanni Witſii* Diatribe *de Legione Fulminatrice*, ſubiuncta eiusdem *Aegyptiacis*; *Danielis Larroquani* Disſertatio *de miraculo, Legioni Fulminatrici perperam adſcripto*, ad calcem *Adverſariorum Matth. Larroquani* edita; quibus iungenda omnino *Petri Kingii* et *Gualtheri Moylii* ſuper eodem Disputatio, quae, ex Anglico in Latinum ſermonem converſa, Venerabilis *Moshemii* Syntagmati Disſertationum, ad disciplinas ſanctiores pertinentium, adiecta legitur, eiusque annotationibus aucta, pag. 623 — 891. Denique *Guilielmus Whiſtonus* Diatribam Anglicam *of the Thundering Legion* etc. luci expoſuit, Londini a. 1726. [*].

[*] Praeter *Moshemium*, in Commentariis de rebus Christianorum ante Conſtantinum M. p. 248 — 253, *Schroeckhium*, Christliche Kirchengeſchichte, III. Th. ſ. 146 — 152, aliosque rerum Ecclesiasticarum ſcriptores recentiores, comparentur *I. Frickius* in Meletematibus variis (Vlmae 1756) p. 539 — 567, et *I. A. Fabricius* de ſalutari luce Euangelii p. 138, 139, coll. p. 228 — 232, idemque ac *Reimarus* in not. ad *Dionem Casſium* t. II p. 795, 796, 1184. — Legionis XII *Fulminatricis* ſive *Fulmineae*, a tempore inde Augusti Imp. notae, non tantum ſervata eſt memoria in lapidibus literatis apud *Gruterum*, ſaepius a viris doctis dudum memoratis, ſed et in aliis apud *Gudium* p. CLXIX. 1, CLXXI. 5, CLXXII. 9; CLXXXIV. 1. Mirum accidit, eruditisſimos Monumentorum veterum Matthaeianorum editores, *Venutium* et *Amadutium*, tom. II p. 2, quantum ad originem nominis *Fulminatricis legionis*, opinionem vulgatiorem ſecutos esſe.

§ 2. Ex obſervationibus virorum egregiorum, ſole meridiano clarius pateſcit, partem historiae huius talem esſe, ut a prudente homine in dubium vocari prorſus nequeat. Nam exercitum Romanum, cui praeerat ipſe Imperator, *M. Aurelius Antoninus*, in bello adverſus Quados, ab hostibus in angustis montium faucibus circumventum, ſummaque inopia aquae presſum, in extremum paene venisſe discrimen, ut tantum non de ſalute deſperandum esſet, uno ore testantur illius et ſecuti aevi ſcriptores non pauci, idque monumenta alia, quae aetatem tulerunt, ſatis confirmant. Neque etiam negari a quoquam poterit, in malis his extremis, ſingulari optimi Numinis beneficio, pluviam exoptatam, et vere auream, militem Romanum mirifice recreasſe, eique ad propellendum hostem vires novas addidisſe. Id enim non modo testimonio historicorum omnium nititur, ſed et praeter hos testem habemus omni exceptione maiorem, Imperatorem ipſum, qui magni huius beneficii Divini memoriam, et nummis eo fine percusſis, et in *columna Antoniniana*, Romae etiamnum ſuperſtite, ad ſeros posteros transmittere aequum duxit. Eodem tempore numerum Christianorum, qui castra Romana ſequerentur, fuisſe non exiguum, multis modis testatum, et a viris doctis (*d*) probatum est. Potestne autem cuiquam esſe dubium, cultores Christi, in exercitu *Aurelii Antonini* militantes, cum viderent, ad quas incitas et ipſi, et totus exercitus, cum ipſo Imperatore redacti esſent, piis, fervidis, continuisque precibus miſericordiam Dei implorasſe, et cum aliqua fiducia ereptionem e tantis malis ab illius infinita bonitate ſibi pollicitos esſe? Etenim mores illorum temporum, quibus Christiani non nas-

(*d*) Vide *Witſii* Diatriben laudatam § 42, 43, 44.

nascebantur, sed fiebant, ex intima quippe et invicta mentis convictione ad fidem Christi conversi, ex eo quod hodie fit, aestimare utique atque diiudicare haud oportet. Et si res ita se habuit, quod mihi dubiis obnoxium non esse videtur, ex eo concludere nobis summo iure licebit, Christianis firmiter persuasum tum fuisse, pluviam deinde ad recreandum exercitum insecutam, non ordini cuipiam causarum secundarum naturali, verum speciali misericordiae et benignitati Divinae, precibus suis commotae, in acceptis unice ferendam esse. Certe Romanos, cultui idolorum adhucdum deditos, ita sensisse, pluviam hanc non caussis naturalibus, verum favori Deorum singulari, eorumque auxilio extraordinario attribuisse, monumenta illius aevi, omni fide digna, plenissime testantur. Culpari igitur nullo iure optimi cultores Christi possunt, quando pluviam illam mirabilem, in qua illo aevo omnes atque singuli, fideles et infideles, exquisitam quamdam Divinae providentiae ac benevolentiae industriam libenter agnoscebant, in suis precumque suarum rationibus posuerint. Quid? an tam conspicuos beneficentiae Divinae effectus tribuerent magicis artibus, incantationibus, aut etiam precibus non puris neque sanctis infidelium? Bene noverant, *Deum peccatores non audire* (e); nihil itaque supererat, nisi ut memores promissionis Divinae (f), *multum valituram deprecationem iusti assiduam*, pie crederent, preces suas, e corde puro, in fide viva, et assidue, ad Deum fusas, multum etiam nunc apud eum effecisse, atque ex eius infinita gratia sibi totique Romano exercitui salutem peperisse. Cum vero iidem domum reversi es-

(e) *Iohannis* Euang. IX. 31.
(f) *Epistola Iacobi* V. 16.

esſent, eaque de re, multa cum gratiarum actione, Deique gloriam praedicantes, inter ſuos ſaepe et libenter retulisſent, mirum profecto non est, quod illa perſuaſio inter cultores Christi ubique ſe diffuderit, et animis eorum alte infixa ſederit.

§ 3. Huc usque omnia bene. Sed fieri vix aliter poterat, cum res tanta apud Christianos omnes, ſive esſent ſortis primariae, ſive plebeii, ſive docti esſent, ſive indocti, ſeu prudentia valerent, ſeu minus, crebris iactaretur repetereturque ſermonibus, quin veris paulatim admiſcerentur talia, quorum falſitatem nunc pervidere et demonſtrare etiam valemus. Non dubito quidem, multa primum ex errore et ignorantia, bona fide, tamquam indubie vera vulgata et ſparſa pasſim fuisſe, quae ſecus omnino ſe habuisſe, eruditorum diligentia manifestum fecit; ſed neque id prudens quisquam facile inficiabitur, accesſisſe ad priorum errores, tempore praeſertim ſeriori, aliorum pias ſcilicet fraudes, quibus lectori fucum facere ſtuduerunt. Ad istiusmodi in historia hac falſa, quae ſoli errori et ignorantiae originem ſuam debent, referendum exiſtimem, quod Legio illa, ex militibus Christianis tota compoſita, quae precibus ſuis, Romanis quidem a Deo pluviam ſalutarem, in hostes vero ſaeva fulmina impetraverit, in perpetuam eventus huius memoriam *Fulminatrix* cognominata fuerit. Primus, apud quem rei huius mentionem deprehendimus, est *Claudius Apollinaris*, Hierapolitanus in Phrygia Episcopus, ſcriptor eiusdem aevi, et qui Imperatori *Marco Aurelio Antonino* Apologiam pro Christianis obtulit. Is autem, incertum (*g*) in quo li-

(*g*) Quoniam *Euſebius* non ſcribit, ex quo Epiſcopi Hierapolitani libro locus ille ſit deſumtus, *Gualtherus Moy-*

libro, ea de Legione Fulminatrice ſcripſerat, quae *Euſcbius* affert in Hiſt. Eccleſ. Lib. v cap. 5, videlicet, *τὴν δι' εὐχῆς τὸ παράδοξον πεποιηκυῖαν λεγεῶνα, οἰκεῖαν τῷ γεγονότι πρὸς τοῦ βασιλέως εἰληΦέναι προσηγορίαν* Κεραυνοβόλον *τῇ* Ῥωμαίων *ἐπικληθεῖσαν Φωνῇ*, *Legionem ipſam, cuius precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo* Fulminatricem, *ſermone Romano, ab Imperatore cognominatam esſe.* Credisne, lector, meritisſimum hunc virum, ac veteribus impenſe laudatum, talia ſcripturum fuisſe, niſi optima fide, et conſcientiae dictamen ſecutus, egisſet? An non res haec contigerat ſpectante ipſo Imperatore, et praeter eum ſpectantibus tot hominum millibus, quorum plerique, ut credere par est, adhuc in vivis erant, et qui ipſum, non ſine ingenti ignominia, fraudis ac mendacii coarguere potuisſent? Aliter ergo, ut videtur, ſtatuere haud licet, quam *Apollinarem* ea, quae ſcripſerat, ut vera admiſisſe et indubitate credidisſe. Et tamen, rem hanc a veritate penitus remotam esſe, viri doctisſimi (*h*) ſic demonſtrarunt, ut iusta dubitandi cauſa ſuperesſe nemini queat.

§ 4. Nam quis ſibi perſuadeat, tempore illo, in castris Marci Imperatoris, Legionem militasſe, totam e Christianis conflatam, eamque cernentibus

Moylius in Disceptatione de miraculo Legionis Fulminatricis p. 765. edit. Moshem. locum ipſum ſuſpectum reddere conatus est, non disſentiente *Petro Kingio* ibid. p. 768. Tale quid tamen pronunciare ego non auſim.

(*h*) *Scaliger* et *Valeſius*, ubi ſupra, *Daniel Larroquamus* in Diatribe laudata, *Pagius* in Critica Annalium *Baronii*, ad A. C. 174. num. II. Inprimis vero argumentum hoc exquiſita diligentia excusſum videbis in *Moylii* et *Kingii* Disceptationibus amoebaeis de miraculo Legionis Fulminatricis p. 758 ad 776.

cunctis, ritu suo, Deo supplicasse? Non erat utique in exercitu Romano Legio, cui ob tale beneficium nomen huiusmodi imponi potuisset. Sed et istud certum est, militem Romanum, aut fulmina tum temporis nulla omnino vidisse, aut certo illis salutem suam in acceptis haud tulisse Nam in *columna Antoniniana*, aeterno fideque dignissimo rei huius monumento, quam accurate aeri incisam *Bellorius* Romae edidit, pluvia quidem exoptata, a Romanis avide atque cum gaudio excepta, animadvertitur, sed fulminum nulla ibidem adsunt vestigia. Hinc *Tertullianus* (*i*) ad miraculum hoc provocans, pluviam omnino, at fulmina nulla commemorat. Inprimis id liquido demonstrarunt viri summi, fuisse quidem inter legiones exercitus Romani (*k*) aliquam et unicam tantum, quae nomen *Fulminatricis* gesserit, sed illud diu ante *Marci Antonini* aetatem inditum ei fuisse, unde fieri non potuit, ut nomen idem bello demum Quadico acceperit. Vt tamen, quae sentio, candide profitear, non crediderim, ea quae de fulminibus in hac historia narrantur, penitus et in universum conficta esse. Solent imbres aestivi, copiosi praesertim ac vehementes, fulmina plerumque secum vehere. Vero mihi perquam simile videtur, id etiam in imbre illo Quadico, qui omnibus visus est mirabilis, usu venisse. Verum quoniam fulmina, imbri huic admixta, videntur fuisse rara, et cito transiisse, ex quibus nec miles Romanus commodum, nec hostis detrimentum percepit, illius in *columna triumphali* mentionem fieri non placuit. Pluvia sola exercitui Romano salutem impertiit. Rumor autem de fulminibus imbri admixtis, non tantum

(*i*) In Apologetico cap. v, et ad Scapulam cap. IV.
(*k*) Vide inprimis *Valesium* loc. cit.

tum ubique et confeſtim ſparſus fuit, quod ex teſtimonio *Apollinaris* colligere licet, verum etiam a multis ita acceptus, ac ſi fulmina militi Romano non minus auxilium praeſtitisſent, quam imber. Huiusmodi rumor, etſi veritati minus conſentaneus, etiam ad aures *Apollinaris*, ut credere par eſt, pervenit. Ipſi certe ſcriptores (*l*) pagani, ad famam hanc vulgandam, et quoquo verſus ſpargendam, non minus contulere, quam Chriſtiani. Alia hujus generis malo tacitus praeterire, ut ad id progredi queam, cujus cauſa hanc potisſimum in me opellam ſuſcepi.

§ 5. Eſt nempe alius error, qui in hanc hiſtoriam ſe inſinuavit, et qui rebus, illo tempore geſtis, multo evidentius contradicit. Narrant nempe ſcriptores Chriſtiani, Imp. *M. Aurelium Antoninum*, viſo miraculo, per preces Chriſtianorum a Deo impetrato, ipſis mirifice conciliatum fuisſe, eorumque cauſam per literas Senatui commendasſe. Veroſimile eſt, *Claudium Apollinarem*, de quo dixi § 3 et 4, rem hanc *Marco* Imperatori in memoriam revocare voluisſe. *Tertullianus* certe, qui non diu poſt floruit, in *Apologetico*, quem Proconſuli Africae et Praeſidibus Provinciarum obtulit, de re hac loquitur, ut certa et penitus indubia. Verba eius cap. v ita ſe habent: *At nos e contrario edimus Protectorem; ſi literae Marci Aurelii gravisſimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbri, diſcusſam conteſtatur.* Ex *Tertulliano* id refert *Euſebius* (*m*), et ex utroque narrant ſcriptores alii ſequioris aevi,

(*l*) *Capitolinus* in Vita M. Aurelii Antonini cap. 24. *Claudianus* de ſexto Conſulatu Honorii v. 342 et ſeqq.

(*m*) Hiſt. Eccleſ. Lib. v cap. 5, et in Chronico, Lib. I p. 45, et Lib. II p. 170, edit. Scaligeri.

aevi, quos non moramur. Extat sane *Epistola Marci Imperatoris ad Senatum Romanum, qua testatur, Christianos victoriae Romanorum contra barbaros causam fuisse*, subnexa *Apologiae Iustini Martyris*, quae vulgo dicitur *secunda.* At dudum iam est, quod fraus nimis aperta, quam impostor indoctus in fingenda illa Epistola admisit, viris de his literis praeclare meritis (*n*) suboluit, qui proinde eam ab homine non Graeco, verum semibarbaro, conscribillatam esse, merito iudicarunt. Non equidem nego, extitisse olim literas, ab Imperatore ad Senatum datas, quibus ipsi victoriam de Quadis reportatam, et quibus mediis illa impetrata fuerit, ordine significavit. Forte Christiani quidam, cum persuasum ipsis esset, omnia precibus suorum obtenta esse, sibi imaginati sunt, Imperatorem rei huius ignarum non fuisse, neque id in literis ad Senatum reticuisse; quae fama ad alios postea dimanavit, ac tamdem in literas quoque relata est. Vnde dubitandum non est, *Tertullianum* quoque, ad istas literas Marci Imperatoris provocantem, fide egisse optima, etsi deceptum ab aliis, inque erroris societatem inductum. At non est cordatus quisquam, et rerum tempore illo gestarum bene gnarus, qui persuaderi sibi sinat, *Marcum* Imperatorem beneficium illud, cui exercitus, et ipsa Respublica Romana, salutem suam tum debuit, pietati precibusque Christianorum adscribere, eorumque hoc nomine causam Senatui de meliori nota commendare voluisse.

§ 6. Etenim certum est, si ulla est in rebus histo-

(*n*) *Scaliger* loc. cit., *Salmasius* in notis ad *Capitolinum*, To. I scriptorum historiae Augustae p. 383, *Blondellus* et *Huetius*, citati a *Witsio* in Diatriba laudata, § 59, *Pagius* loc. cit., et *Spanhemius* in Historia Christiana secul. II, col. 662.

ſtoricis, et ipſis adeo monumentis publicis, fides et certitudo, Imperatorem ipſum, et dum in ancipiti adhuc verſabatur res Romana, et post acceptum iam divinitus inſigne liberationis beneficium, longe aliter ſenſiſſe. Pro candore ſuo id fatetur *Euſebius*, quando, *Gentilium ſcriptores*, inquit (*o*), *utpote a religione nostra disſidentes, hoc quidem miraculum commemorarunt; non tamen id nostrorum precibus factum eſſe, confeſſi ſunt.* Imperatorem tum quidem temporis, ne magicis quidem artibus uti dedignatum eſſe in castris, iisque, ubi voti eſſet compos factus, non parum tribuiſſe, quidquid etiam ſcriptores quidam, tum veteres, tum recentiores, cavillentur, res ipſa loquitur, et testimoniis invicti roboris etiam probabitur infra § 9. Sed cum artibus magicis praeſtigiatorum, qui ſibi familiare quoddam cum Diis commercium, et vim quoque mirabilem ad cogendos eos, arrogabant, Imperator tamen preces etiam ſuas ad Deos Romanos coniungendas eſſe, conſultum putavit. *Iulii Capitolini* ea de re haec ſunt verba (*p*) in vita eius cap. 24: *Fulmen de coelo precibus ſuis contra hostium machinamentum extorſit, ſuis pluvia impetrata, cum ſiti laborarent.* Locus extat de re eadem inprimis luculentus, apud *Themistium*, eximium Oratorem et Philoſophum, haec ſcribentem (*q*): *Cum Antonini, Romanorum Imperatoris, ſiti laboraret exercitus, manus ille ad coelum erexit, hac ego manu, inquiens, ſupplex te placare volui* — *eaque prece divinum ſibi placaſſe Numen, ac ſtatim, ſerenitate facta, magna imbrium copia ad militarem ſedandam ſitim erupit. Cuius rei deſcriptam in imagine*

(*o*) Hiſtor. Eccleſ. Lib. v cap. 5.
(*p*) Scriptorum Hiſtoriae Auguſtae Tom. I.
(*q*) Orat. XV p. 191, edit. Harduini.

gine picturam videre memini, in qua media in phalange pictus erat Imperator, milites vero, imbrem galeis excipientes, divinitus concesso liquore, sitim explebant. Et re ipsa, Imperatorem hunc *Iovi*, ac sigillatim *Iovi pluvio*, tamquam qui preces suas exaudiverit, seque voti compotem reddiderit, grates publice persolvisse, testis est locupletissimus *Columna Antoniniana*, immortale rei huius, quam distincte repraesentat, monumentum. Aliunde notus est *Iupiter Pluvius*, de quo eruditi monuerunt (*r*). Neque tamen uni tantum Iovi se pro tanto beneficio obstrictum esse, solemniter testatus est; verum huic adiunxit etiam *Mercurium*, cui in castris quoque, cum periculum adhucdum immineret, sacra facta fuisse, conceptis verbis docet *Dio Cassius*, nobilissimus historicus (*s*). Et extat in Gaza Regia Pariensi (*t*) quoque Nummus argenteus, inscriptus: *M. Antoninus Aug. Tr. P.* XXVIII. *Visitur caput Antonini laureatum. In postica* Relig. Aug. Imp. VI cos. III, *id est*, Religio Augusti. *Cernitur Mercurius stans, qui dextra pateram, et sinistra caduceum tenet. Tribunitiam potestatem* XXVIII *anno* CLXXIV *iniit. Quare cum Xiphilinus scribat, dicere Dio-*

(*r*) Ex. gr. *Gatakerus* ad *Antoninum* Lib. V § 7, *Berglerus* ad *Alciphronis* Lib. III Epist. 35 [*].

(*s*) In Excerptis *Xiphilini*, in vita *Marci Antonini* p. 262, edit. Graec. Rob. Stephani. [t. II p. 1183].

(*t*) *Antonius Pagi* in Critica Annalium Baronii ad A. C. 174. num. II. *Morellus* in specimine rei antiquae Nummariae p. 203.

---

[*] Conf. *Reimarus* ad *Dionem Cassium* t. II p. 1183, *Walchius* vol. II Act. Soc. Lat. Ienensis p. 211, 212, *Valckenaerius* ad *Herodotum* V. 62.

Dionem, Marcum hanc pluviam Mercurio, cuius cultus studiosus erat, attribuisse, is nummus Dionis fidei testis. Vnicum hic moneo, *Xiphilinum* tantummodo referre, in castris Marci Imperatoris Aegyptium quemdam *Mercurio* sacra fecisse. At nummus, a *Pagio* productus, liquido declarat, Imperatorem huic numini beneficium pluviae attribuisse, idque semper et solemniter, in monumentis etiam publicis, testari voluisse. Hisce tamen diu ante scriptis, coepi dubitare, an iste nummus huc pertineat, et an Mercurio aërio hoc beneficium reapse ab Imperatore et Romanis fuerit adscriptum. Vt ut est, poteritne credi, Marcum in literis ad Senatum datis, totius huius rei gloriam, a se et militibus suis, ipsisque Romanorum Diis, ad Christianos, quos antea persecutus erat, et persequi posthac etiam perrexit, eorumque Deum transferre voluisse? Mihi certe id non videtur. Quid? an non literis hisce aperte contradixissent ea, quae de hac re testatus ipse semper est, et quae de eo testantur scriptores allati? An non iis contradicerent monumenta huius rei publica, et ipsius Imperatoris iussu in perpetuam memoriam erecta? An non contradixisset persecutio, qua innocentes Christianos quaquaversum (*) miseris modis affligi, atque excruciari passus est? inprimis cum certo certius sit (*u*), anno ab excepta mi-

(*u*) Vide *Pagii* Criticam, ad A. C. 177. num. 3 [**].

---

[*] *Iustinus* Martyr in Apologia II p. 106 sqq. occasionem scribendi natam sibi ait ex iis, quae nuper admodum acciderant sub Vrbico, et ubique locorum pariter a Praesidibus fiunt. Conf. *Eusebius* lib. IV Hist. Eccl. c. 17, 26.

[**] Minus recte *Dodwellus* in Dissertatione de paucitate Martyrum,

miraculosa pluvia tertio, Christi secundum aeram vulgarem CLXXVII, persecutionem adversus Christi gregem (*v*), ex decreto ipsius Imperatoris, multo atrocius ac terribilius saeviisse, quam antea eo imperante umquam.

§ 7. Sic satis inde liquere puto, *Marcum* Imperatorem, adversus Quados militantem, neque pluviam illam beneficam precibus Christianorum imputasse, neque deinceps coetui ipsorum conciliatum fuisse. Persecutiones enim, adversus Chistianum gregem, imperante Marco, passim excitatae (*x*), nonnisi cum illius imperio et vita finem sortitae esse videntur. Quae si ita se habent, quaeri non citra rationem poterit, quomodo cum his, quae adstruximus, bona fides, pietas solida, studiumque veri, Christianorum illius et secuti aevi, conciliari queat. Id igitur negotii hic mihi datum esse puto, ut rationes aperiam, quae evincant, maiores nostros, cum beneficium pluviae, exercitui Romano, adversus Quados militanti, tam salutaris, suorum precibus tribuerunt, et favorem Imperatoris ab eo tempore sibi conciliatum fuisse, scripserunt, nihil egisse a bona fide veraeque pietatis studio alienum. Et primo quidem

(*v*) Epistola Lugdunensium et Viennensium de suorum Martyriis, apud *Eusebium* Lib. V. c. I.

(*x*) Cessarunt nempe anno primo Commodi Imp., Marci filii et successoris. Vide *Moylii* Disceptationem p. 816 et 836.

rum, quae est inter Cyprianicas XI, existimat, mortem violentam Christianorum Lugdunensium et Viennensium accidisse a. 167. Sed a *Pagio*, meliora docente, non dissentiunt *Ruinartus*, cuius sunt legendae annotationes ad Acta Martyrum sincera p. 60—71, collata Praefatione Generali p. XLI—XLIII, et *Moshemius*, cum alibi, tum lib. I Observat. Sacrarum c. 3 § 10, 11.

dem ante omnia illud mihi hoc loco repetendum est, quod § 2. iam inculcavi, milites Christianos, in exercitu Imperatoris adversus Quados stipendia merentes, qui suae pietatis, et fervidarum precum, continuo ad Deum fusarum, bene sibi conscii erant, beneficium pluviae non potuisse non precibus suis, et auxilio veri Dei, per preces has impetrato, in acceptis referre, eosque postea famam rei huius quoquoversum propagasse. An non credere proclive est, Christianos, ubicumque locorum viverent, magnum hoc Dei beneficium, de cuius veritate erant intime persuasi, et cui in ipsa urbium omnium regina, Romae, aeternum monumentum erat consecratum, inter suos assidue celebrasse, eiusque memoriam liberis posterisque suis serio et saepe inculcasse? Id eorum, quae dicenda mihi nunc sunt, fundamentum pono solidum et firmum. Si deinde reperti sunt, qui fundamento, nexu saltem specioso et verosimili, facta superstruxerunt, quae re ipsa huc non spectant, id vehementer non mirandum, nec causae Christianorum detrimentum adferre censeri debet.

§ 8. Inter haec facta primo loco commemorandum puto, quod omnes scirent, Marcum Imperatorem cultores Christi aliquando favore singulari prosecutum, idque decreto publico, epistola, vel rescripto, ad commune Asiae concilium, solemniter testatum fuisse. Rescriptum hoc, quod, iussu Imperatoris, Ephesi propositum fuerat, paucis annis post, *Melito*, qui in vicinia Sardensium Ecclesiae praeerat, Apologetico suo ad L. Aurelium Verum Imperatorem inseruerat, ex quo idem repetit *Eusebius* (y). Provocat ad illud *Tertullianus*, Melito-

ne

(y) Hist. Ecclesiast. Lib. IV c. 13.

ne nonnihil iunior, in Apologetico c. v ſcribens: *Sicut Marcus Aurelius non palam ab eiusmodi hominibus* (Christianos innuens) *poenam dimovit; ita alio modo palam disperſit, adiecta etiam accuſatoribus damnatione, et quidem tetriore.* Reſpicit nempe ad haec Reſcripti Caeſarei verba: „Quodſi quis adhuc „ pergit cuiquam illorum negotium faceſſere, ex eo „ quod Chriſtianus ſit, delatus quidem, crimine „ abſolvatur, tametſi conſtet, eum re ipſa Chri-„ ſtianum eſſe. Delator autem ipſe poenas luat". Quando autem *Tertullianus* ſcribit, *Imperatorem accuſatoribus damnationem addidiſſe, et quidem tetriorem*, id quidem in ipſo Reſcripto non legitur, verum in animo videtur habuiſſe, quod non ita diu ante, imperante Commodo Marci Aurelii filio, Romae evenerat. Illic enim (z) *Apollonio, cuidam e fidelibus ſuscitatus erat accuſator, homo quidam perditisſimus, ſed miſer iste, intempestive ſuſcepta accuſatione cum ex Imperatoris Edicto, capitalis poena in eos, qui talia detuliſſent, eſſet conſtituta, confestim fractis cruribus occiditur.* Reſcriptum illud ad commune Aſiae concilium *Euſebius* (a), qui *Antoninos*, Pium et Philoſophum, non ſemel inter ſe confudit, tribuit Antonino Pio; eiusque errorem ex eruditis quidam fecere ſuum. Verum titulus, quo in Reſcripto Imperator deſignatur, *Imperator Caeſar, M. Aurelius Antoninus. Aug. Armenicus, Pontifex Maximus, Tribunitiae Poteſtatis XV, Conſul III*, quod ſagaciter ſubodorati ſunt (b) viri do-

(z) *Euſebius* Hist. Eccleſ. Lib. v cap. 21, ubi conſulendae ſunt notae *Valeſii*.

(a) Hist. Eccleſ. Lib. iv cap. 13.

(b) *Valeſius* ad *Euſebium* Lib. iv c. 13. *Pagius* ad A. C. 152, num. iv et v.

doctissimi, arguit luculenter, eius auctorem esse, non *Antoninum Pium*, sed *Marcum Aurelium Antoninum*. *Valesius* existimavit, Rescriptum hoc publicatum fuisse anno primo imperii *Marci*. Idque veri specie destitutum non est. Videtur enim Imperator, cum *Antonini Pii*, a quo fuerat adoptatus, res gestae in recenti memoria essent, in ipsis imperii sui initiis, Christianis favorem, quo ille eos complexus erat, denegare quoque noluisse. Et id sane verba huius Rescripti testantur: *Porro de his hominibus plurimi Provinciarum rectores Divo Patri nostro antea scripserunt. Quibus ille rescripsit, eiusmodi homines nulla molestia afficiendos esse, nisi forte contra statum imperii Romani aliquid moliri viderentur.* Verum rationes, quibus *Pagius* evincere annisus est, Rescriptum istud in annum imperii Marci nonum, aerae vero Christianae CLXIX, reiiciendum esse, tanti roboris esse mihi videntur, ut validi nihil reponi illis queat. Rescriptum itaque Marci Imperatoris, favoris et benevolentiae in Christianos plenum, nonnisi quinque annis pluviam illam mirabilem in Germania antecessit, unde tanto facilius Christiani persuadere sibi potuerunt, Imperatorem a suis animo non fuisse nec esse alienum, ipsosque potius, ubi occasio ferret, protectione sua dignari solitum fuisse. Quodsi autem tempore belli Quadici eo esset Imperator in Christianos animo, uti profecto non poterat non omnibus videri, perquam simile etiam vero erat, Imperatorem hunc pluviam salutarem, precibus Christianorum obtentam, quippe quod illis esset persuasissimum, in literis ad Senatum hac de re scriptis, cum commendatione Christianorum, omissurum non fuisse, etsi verba, quibus in illa Epistola usus est Imperator, nemo ex veteribus retulerit.

B 2 Nam

Nam adulterinae illius Epistolae, de qua § 5 diximus, nulla hic haberi potest ratio.

§ 9. Videtur autem Imperator, circa tempus belli Quadici, aut paulo ante, artibus Philosophorum quorumdam, a causa Christianorum sensim ac veluti per gradus alienatus fuisse. Mutatae huius Imperatoris in Christianos voluntatis vestigia non ita obscura, in libris, quos de rebus ad se ipsum pertinentibus scripsit, deprehendere licet Illos vero, durante bello Quadico, e calamo Imperatoris profectos fuisse, testem habemus Imperatorem ipsum, in fine Libri I et II, idque (*c*) eruditi viri dudum observarunt. In illis igitur et hae Imperatori de Christianis excidere (*d*) voces: Οἵα ἐςὶν ἡ ψυχὴ ἡ ἕτοιμος, ἐὰν ἤδη ἀπολυθῆναι δέῃ τοῦ σώματος, καὶ ἤτοι σβεσθῆναι, ἢ σκεδασθῆναι, ἢ συμμεῖναι. Τὸ δὲ ἕτοιμον τοῦτο, ἵνα ἀπὸ ἰδικῆς κρίσεως ἔρχηται μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριςιανοὶ, ἀλλὰ λελογισμένως καὶ σεμνῶς, *Cuius quidem indolis ea est anima, quae parata est, iam statim, si oportuerit, e corpore migrare, et vel exstingui, vel dispergi, vel permanere. Ita paratam dico, ut a proprio iudicio promtitudo haec profluat, non ab obstinatione mera, prout Christianis facere in more est, sed ut mortem obeas considerate et composite.* Vides, Imperatorem admirabilem Christianorum illius aevi constantiam, qua ad subeundam, propter nomen Domini veritatisque coelestis confessionem, mortem quamvis, etiam atrocissimam et ignominiosissimam, parati semper erant, contemnere et propemodum deridiculo habere. Laudat eos, qui, ubi oportet e vita migrare, ad id parati sunt, dummodo id fiat, ἰδικῇ κρίσει, id est, *rational et firmo pro-*

(*c*) Vid. *Fabricius* Biblioth. Graec. Vol. IV p. 24, 25.
(*d*) Libro XI τῶν εἰς ἑαυτόν, § 3.

propriae mentis iudicio, non vero ἐκ παρατάξεως, quam Christianis tribuit. Haec vox *Lucae Holstenio* nondum videbatur hactenus recte explicata, unde, in Dissertat. II in loca quaedam Concilii Nicaeni (*e*), optat, *ut enucleatius disquiratur, quid ista verba*, κατὰ τὴν ψιλὴν παράταξιν, *sibi velint*. Versio Latina, etiam in editionibus *Merici Casauboni* et *Thomae Gatakeri*, vocem hanc Latine reddidit *obstinationem*. Et multa praeclare viri illi doctissimi, de obstinatione, quam Christianis tribuunt Gentiles, in notis ad h. l. commentantur. Sed neque mihi tamen vox illa Graecam plene exprimere videtur. Observandum igitur, Imperatorem παράταξιν Christianorum opponere τῇ ἰδικῇ κρίσει, *proprio mentis iudicio*. Vbi igitur est παράταξις, ibi quis, secundum Imperatorem, non proprium mentis suae, sed alienum iudicium sequitur. *Obstinatio* vero potest soletque oriri ex proprio mentis iudicio et proposito. Nempe παράταξις est verbum tacticum, et saepe sumitur de acie, ubi unicuique suus locus suaque functio a duce exercitus assignatur. Simili notione passim τάξις, τάττειν, παρατάττειν, ἀντίταξις, ἀντιτάσσεσθαι, usurpantur, ut exemplis docuit *H. Stephanus* in Thesauro Linguae Graecae. Non licet militi in exercitu proprium mentis iudicium sequi, cuncti imperio ducis parent, ex cuius ordinatione omnia pendent. Per παράταξιν igitur, Christianis tributam, Marcus Antoninus designat id, quod Christianis omnibus, tum temporis, Doctores Ecclesiastici, a teneris unguiculis, aut ab ipsis professionis fidei Christianae primordiis, inculcare et animis infigere solebant, *moriendum esse, si* ne-

(*e*) In Annotationibus *Valesii* ad Scriptores Ecclesiasticos Tom. III p. 201.

necessitas postulet, propter confessionem fidei Christianae, ad confirmandam et obsignandam illius doctrinam, hancque esse viam ad veram gloriam, aeternamque animae beatitudinem. Concludebat inde Imperator, Christianos, dum constanter et cum gaudio mortem oppeterent, non tam obtemperare dictamini rectae rationis, et propriae mentis iudicio, quam mandatis Ecclesiasticis Doctorum suorum, quae altas in ipsorum animis radices egissent. Hanc doctrinam, Christianis cunctis continuo commendatam, Imperator vocat παράταξιν, iudicans, illam ad moriendum summam promtitudinem, ex tali apud Christianos origine derivatam, rationi adversari, ac vere stultam esse. Idem hac de re iudicium tulerat quoque *Epictetus*, Imperatori nostro perdilectus. Ignotus non est egregii huius ceteroquin Philosophi locus in Dissertationibus *Arriani* (*f*): Ὑπὸ μανίας μὲν δύναταί τις οὕτω διατεθῆναι πρὸς ταῦτα, καὶ ὑπὸ ἔθους, οἱ Γαλιλαῖοι (g), *Furore quidem sic aliquis affici potest adversus illa* (mortem nempe etc.) *et consuetudine, sicut Galilaei*, id est, *Christiani*. Hunc igitur ad modum de Christianis sentiebat Marcus Imperator, eo fere tempore, quo illi pluviam salutarem, qua exercitus Romanus in Quadorum angustiis tantopere recreatus fuit, precibus suis impetratam esse, et credebant, et gloriabantur. Latuisse videtur Christianos, nunc minus benigne de ipsis iudicasse Imperatorem, quam paucos ante annos.

§ 10. Accidit autem eodem tempore aliud, quod Christianos in persuasione illa, de conciliato sibi suisque

(*f*) Lib. IV cap. 7 p. 621 edit. Vptoni.

(*g*) Crediderim, scribendum esse, ὡς Γαλιλαῖοι. Et sic verti [*].

[*] *Vptonus* in notis p. 257. legi vult, ὡς οἱ Γαλιλαῖοι.

que Imperatoris savore, non parum confirmare aptum erat. Imperatores Romani, quippe qui simul summi Pontifices Reipublicae Romanae essent, ad illud usque tempus, cerimoniarum religionis patriae et avitae tam tenaces esse consueverant, ut ritus externos sacraque peregrina omnia, non sine affectatione quadam, occasione quavis contemnerent, animumque ab illis valde alienum multis modis testarentur. Et hunc eorum morem inveteratum saepe effecisse, ut aut ipsi adversus pium Christi gregem persecutionem decernerent, aut saltem ab aliis tetras adversus eos suscitari persecutiones, patientius, quam aequum erat, ferrent, concedent mihi facile aequi rerum aestimatores, et quibus historia Reipublicae cum Romanae, tum Christianae, illius temporis incognita non est [*]. De Augusto Imperatore id *Suetonius*

---

[*] Satis exploratum est, *ante* et *post* tempora Augusti nonnumquam sacra peregrina omnino prohibita esse. Alterum apparet e *Cicerone* lib. II de Legibus c. 19 et 25, *Tacito* lib. III Annal. c 85, atque e Senatusconsulto Marciano, cuius meminit *Livius* lib. XXXIX c. 18, ubi notavit *Drakenborchius*, sed quod integrum exstat et illustratur in Appendice Liviana tom. VII p 197 sqq. Alterum manifestum fit ex variis Imperatorum legibus, post tempora Augusti latis. Comparetur *Bynkershoekii* dissertatio de cultu religionis peregrinae apud veteres Romanos, in Opusculis varii argumenti p. 237—297, sed qui pariter docet, vix umquam Romanos cultum privatum sacrorum peregrinorum vetuisse, nisi ea viderentur contraria saluti ac securitati publicae Augusto non prorsus placebat Maecenatis consilium, volentis, ut Imperator auctores religionum peregrinarum odio suppliciisque prosequeretur, non deorum modo gratia, quos qui contemnat, sine dubio neminem alium magni faciet, verum etiam, quia, novis numinibus introductis, multi ad usum legum peregrinarum alliciuntur, et adeo damnum imperio affertur. Rem narrat *Dio Cassius* lib. LII c. 36 p. 689. Tantum vero aberat, ut hoc consilium Augusto placeret, ut Rescripto suo ad Praesides Provinciarum defenderet coetus Iudaeorum, religionis caus-

nius (*h*) observat in eius vita: *Peregrinarum cerimoniarum, sicut veteres ac praeceptas reverentissime coluit, ita ceteras contemtui habuit.* Et interpositis nonnullis, haec addit: *In peragranda Aegypto, paulum deflectere ad visendum Apin supersedit, sed et Caium nepotem, quod Iudaeam praetervehens apud Hierosolymam non sacrificasset, collaudavit.* Eaque de causa, regnante hoc Imperatore, sacra Aegyptiorum Roma eiecta esse, historia (*i*) docet, cum in hanc

(*h*) *Suetonius* in Augusto, cap. 93. Pro *sacrificasset* rectius fortasse alii *supplicasset*.

(*i*) *Dio Cassius* Lib. LV p. . edit. Stephani [c. 6, p. 735 ed. Fabricii].

---

caussa per Asiam habitos, cum neque luxus neque turbandae pacis periculum inde metuendum esset. Vid. *Philo* Alexandrinus tom. II Operum p. 568, 569, 592, ed. Mang. Cum igitur Romani Imperatores plerumque fuerunt faciliores in toleranda quavis religione, vero non est dissimile, vexationum publicarum caussam praecipuam non tam fuisse odium religionis Christianorum, quam crimen Maiestatis, immerito ipsis impactum, et subinde latius latiusque extentum, ita quidem, ut tempore Neronis, quod testatur *Suetonius* in eius vita cap. 32. lege Maiestatis omnia dicta factaque tenerentur, quibus modo delator non deesset. In suspicionem istius criminis adducebantur Christiani, quoniam vanis temerariisque honoribus Imperatores venerari recusarant, v. gr. eos dicere deos dominosque, iurare per genium Principis, et quae sunt ejus generis alia. Conf. *Tertullianus* ad Scapulam c. 2, Apologet. c. 29, 32, 34, 35, ibi notae, *Minucius Felix* c. 3, *Eusebius* H. E. IV. 15, Acta sincera Martyrum, a *Ruinarto* edita, p. 86, Observatu dignum est, Christianos frequenter iisdem affectos esse suppliciis, quibus affici solebant rei Maiestatis. Scribit *Iulius Paullus* lib. VI Sentent. Recept tit. 29, his, qui Lege Iulia Maiestatis tenentur, olim in perpetuum aqua et igni interdictum esse, deinde vero humiliores bestiis obiectos, vel vivos exustos, honestiores capite punitos. Quae *Paulli* verba satis illustrantur a ICtis elegantioribus, *Cuiacio* et *Schultingio* p 526 Iprud. Anteiustinianae. Exempla autem ex Annalibus Christianorum Ecclesiasticis notiora sunt, neque hic repetenda.

hanc urbem, furtivo quasi gradu, iterum (*k*) irrepsissent. Simile quid scriptor idem (*l*) de Tiberio refert: *Externas cerimonias, Aegyptios Iudaicosque ritus, compescuit: coactis, qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Iudaeorum iuventutem, per speciem sacramenti, in provincias gravioris coeli distribuit. Reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, urbe submovit, sub poena perpetuae servitutis, nisi obtemperassent.* Quibus verbis lucem accendit *Tacitus*, ubi (*m*), *Actum et*, inquit, *de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis: factumque patrum consultum, ut quatuor millia libertini generis, ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis, et, si ob gravitatem coeli interissent, vile damnum: ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.* Vides Imperatores hos religiones peregrinas, Aegyptiam et Iudaicam, quibus aliquanto post annumerata [*] est Christiana, contemsisse, eaque de

(*k*) Nam antea iam, anno V. C. 696, Cosf. Pisone et Gabinio, sacra Aegyptiorum pulsa fuisse, docet *Tertullianus* in Apolog. cap. 6 [Conf. *Fabricii* annotatio ad *Dionem Cassium* tom. 1 p. 252.]

(*l*) *Suetonius* in Tiberio, cap. 36.

(*m*) Annalium Lib. 11 cap. 85.

---

[*] Benignius tamen de Christianis eorumque sacris fuisse Tiberii iudicium, quam de Iudaeis et Aegyptiis, colligas e testimonio *Tertulliani*, Apolog. cap. 5 scribentis, nuncium de Christianis in Syria Palaestina, quem acceperat, detulisse Imperatorem ad Senatum *cum praerogativa suffragii*, Senatum aliter iudicasse, Caesarem vero in sententia sua mansisse et *comminatum* esse *periculum accusa-*

to-

de caufa, earum profesfores, aliqua faltem ratione, perfecutos fuisfe. De Imperatoribus hosce fecutis confimilia dicere posfumus; fed, ut tempori parcamus, malumus tranfire ad *Hadrianum*, de quo vitae eius fcriptor (*n*) testatur: *Sacra Romana diligentisfime curavit, peregrina contemfit, Pontificis Maximi officium peregit.* Et norunt historiae Ecclefiasticae ftudiofi, *Hadrianum* perfecutoribus Christianorum aliquamdiu indulfisfe, frenumque laxasfe, donec libri eorum Apologetici, confcripti ex. gr. a Quadrato et Ariftide [*]; aliam ipfi mentem indidisfent. De Antonino Pio fcriptum reliquit, cui historiam vitae eius debemus (*o*), dignum eum fuisfe, *qui rite comparetur Numae, cuius felicitatem, pietatemque et fecuritatem, cerimoniasque femper obtinuit.*

§ 11. **Nulla est dubitandi ratio, Marcum Imperatorem, cum et Reipublicae Romanae praeesfet,** et

(*n*) *Spartianus* in Hadriano, cap. 22.
(*o*) *Iulius Capitolinus* in Antonino Pio, fub finem.

---

toribus Christianorum. Eadem narrant *Eufebius* lib. II H. E. c. 2, in Chronico p. 203, et *Orofius* lib. VII c. 4, fortasfe auctorem habentes *Tertullianum*, cuius quidem fides historica in hac causfa, in dubium vocata a *Tanaquillo Fabro* lib. II Epist. 12, quem complures, in iisque *Havercampus* p. 57 et 58, fecuti funt, non uno argumentorum genere a viris fummis eximie vindicata est. Comparentur fcriptores, laudati a *Fabricio* in Codice Apocrypho N. T. tom. I p. 214 fqq. et de Luce falutari Euangelii p. 221, 222, item *Moshemius* de rebus Christianorum ante C. M. p. 93, et *Rutgerus Schutte*, Theologus praeclare eruditus, tom II Annalium Sacrorum (*Heilige Jaarboeken*) p. 14—20. Quidquid ftatuatur aut de fide narrationis Tertullianeae, aut de prolixa Tiberii in Christianos voluntate, numquam ille, quod fciam, ulla lege vel ratione quacumque alia, ut *Iablonskius* fignificat, Christianis nocuit.

[*] Illorum Apologias, pro Christianis oblatas Hadriano, memorarunt *Eufebius* in Hist. Eccl. lib. IV cap. 3 et *Hieronymus* de Script. Eccl. cap. 19.

et Pontificatum Maximum gereret, eadem via initio quoque incesſiſſe. Erat praeterea Philoſophiae Stoicae ſectator acer, noveratque esſe illius et hoc praeceptum (*p*), Σπένδειν καὶ θύειν, καὶ ἀπάρχεσθαι κατὰ τὰ πάτρια ἑκάςοις προσήκει, *Libare et ſacrificare, et offerre primitias, unumquemque decet ritu patrio.* Stoici de natura Divina non eadem ſentiebant cum vulgo, aut cum religionis Ethnicae ſacerdotibus; ſed volebant tamen, in ſacris inhaerendum ritibus et cerimoniis, a maioribus inſtitutis; et ab omni in religione innovatione ſedulo cavendum esſe. Id ipſe Imperator ſatis ſignificat, quando in libris de ſe ipſo ad ſe ipſum, inter ea, quae in patre *Antonino Pio* laudat, ſibique ad imitandum ante oculos ponit, et iſtud commemorat (*q*), τὸ περὶ τοὺς θεοὺς μὴ δεισιδαῖμον, *cultum Deorum ab omni ſuperſtitione remotum.* Solent autem ſcriptores illius aevi, Graeci Latinique, δεισιδαιμονίας, ſive *ſuperſtitionis* nomine, ſacra cum primis cerimoniasque peregrinarum religionum intelligere. Verum tempore belli Quadici, cum res Romanorum ancipites valde esſent, Marcus Imperator perſuaderi ſibi pasſus est, ut ab illa morum ſeveritate, qua et ipſe uſus erat, et omnes eius deceſſores, primus recederet, et peregrinis ſacris et religionibus ſe indulgentiorem praeberet. Obſervare id non neglexit ſcriptor (*r*) vitae eius, ait namque: *Tantus autem terror belli Marcomannici fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romamque omni genere illuſtraverit, retardatusque a bellica profectione ſit.* Operae pretium esſe puto, disquirere hic,

(*p*) *Epictetus* in Enchiridio cap. 38.
(*q*) Lib. I § 13.
(*r*) *Iulius Capitolinus* in Marco Aurelio Philoſopho, cap. 13.

hic, et paulo diſtinctius exponere, quidnam ſcriptor ille per *peregrinos ritus* deſignare voluerit.

§ 12. *Peregrinorum rituum* nomine deſignari primo exiſtimo cerimonias Magicas, ab illis peractas, qui Theologiae ſpeciem quamdam myſticam ſive arcanam profitebantur, quae deinde, postquam ſollicite exculta esſet, *Theurgiae* nomen accepit, de qua apud *Iamblichum*, *Proclum*, *Eunapium*, et horum ſimiles alios, plurima leguntur. Cerimoniae hae, legibus Romanorum prohibitae, et apud viros honestos ſummo in contemtu erant. Sed eas tamen Marcus Antoninus Imperator, qui in imperii ſui initiis eas vehementisſime ſpreverat et deridiculo habuerat, postea eventum belli Quadici metuens, et, ut ipſe ſibi perſuadebat, in magnas angustias compulſus, ſuperſtitioſorum quorumdam hominum vocibus auſcultans, mutata iam ſententia, eas in univerſum reſpuendas haud esſe arbitrabatur. Negarunt quidam veteres, et inter eruditos nostros recentiores plerique, auſpiciis Marci Antonini, inque eius castris, ſacra Magica ad impetrandum Deorum favorem adhibita fuisſe. Et ſane Imperator ipſe ſententiae eorum robur non mediocre addit, quando in libris de ſe ipſo ad ſe ipſum, illo circiter tempore ſcriptis, et hoc de ſe profitetur (*s*), παρὰ Διογνήτου, τὸ ἀκενόσπουδον καὶ τὸ ἀπιστητικὸν τοῖς ὑπὸ τῶν τερατευομένων καὶ γοήτων περὶ ἐπῳδῶν καὶ περὶ δαιμόνων ἀποπομπῆς, καὶ τῶν τοιούτων λεγομένοις, *a Diogneto didici, ſtudium in res inanes non conferre, fidem abrogare iis, quae de incantationibus, daemonumque profligationibus, ac id genus aliis rebus, praeſtigiatores et impostores referunt.* Verum aut Imperator hicce discrimen conſtituit inter plures magiae ſpecies, quarum nonnullas plane contem-

(*s*) Lib. I § 6.

temsit ac penitus improbavit, aliquam vero Philosopho haud indignam censuit, quod vero non admodum dissimile est; aut, quod fere praetulerim, metu perculsus periculi, sibi et imperio Romano imminentis, posthabito aliquantisper proprio mentis suae iudicio, monitis precibusque amicorum nonnullorum obtemperavit. Res ipsa certe negari nulla prorsus ratione potest. *Dio Cassius*, qui imperante Marco vixit, sub Imperatoribus vero insecutis floruit ac tamdem ad Consulis Romani dignitatem pervenit, ea de re haec memoriae (*t*) mandavit: *fama est, Arnuphin, Magum Aegyptium, qui una cum Marco erat, Mercurium qui est in aëre, aliosque daemonas, quibusdam artibus magicis invocasse, ac per eos pluviam extorsisse.* Et hoc ipsum nummi huius Imperatoris, de quibus dictum est § 6, egregie confirmant. *Suidas* etiam quaedam ad hanc rem spectantia refert, non indigna, quae et hic legantur (*u*). *Iulianus*, ita scribit, *ante dicti filius, vixit sub Marco Antonino Imperatore. Scripsit et is Theurgica, de modo res magice consecrandi, Oracula versibus, et quaecumque sunt huius scientiae arcana. Quidam tradunt, hunc, Romanis aliquando siti laborantibus, effecisse, ut atrae nubes, subito coactae, ingentem imbrem cum crebris tonitribus et fulguribus effunderent: idque sapientia quadam effecisse Iulianum. Alii vero Arnuphin, Aegyptium Philosophum, edidisse hoc miraculum ferunt.* Vides magiam *Iuliani*, et de quo etiam non dubito, *Arnuphis* Aegyptii, nihil aliud fuisse, quam *Theurgiam* Philosophorum scholae Platonicae iunioris.

Tan-

(*t*) In Epitome *Xiphilini* p. 260 edit. Graec. Rob. Stephani [tom. II p. 1183 edit. novae].

(*u*) In Lexico, articulo Ἰουλιανός.

Tangit rem eamdem auctor vitae Heliogabali hisce (v) verbis: *Cum Marcomannis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrime profligaverat, dictum est a quibusdam, per Chaldaeos et Magos Antoninum Marcum id egisse, ut Marcomanni P. R. semper devoti essent et amici.* Noti etiam sunt versus Claudiani (x):

Laus ibi nulla ducum, nam flammeus imber in hostem
Decidit: hunc dorso trepidum flammante [*] ferebat
Ambustus sonipes.

Et mox:

Tum contenta polo mortalis nescia teli
Pugna fuit. Chaldaea mago seu carmina ritu
Armavere Deos: seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

§ 13. Nihil vero effusam Marci Imperatoris eo tempore superstitionem aeque arguit, atque turpe illud obsequium, quod Alexandro Abonotichitae, famoso illa aetate praestigiatori et impostori, cuius vitam a *Luciano* descriptam habemus, praestare dedignatus non est. Rem ipsam *Lucianus* nobis hunc in modum (y) narrat: *Cum iam sibi Alexander non me-*

(v) *Lampridius* in Heliogabalo, cap. 9.
(x) *Claudianus* de Consulatu VI Honorii, v. 342 et sqq.
(y) *Lucianus* in Alexandro sive Pseudomanti T. I p. 895 edit. Salmur. [tom. II p. 253, 254 ed. Hemsterhusii].

[*] *Flammante* probavit *N. Heinsius*, sed *Burmannus* edidit *fumante*.

mediocrem in regiam aulamque Caesaream, aditum patefecisset ingressumque; ad celebrem virum Rutilianum, vigente Germanico bello, mittit Oraculum, quo tempore Divus Marcus cum Marcomannis et Quadis confligebat. Iubebat autem Oraculum, ut duo leones cum multis aromatibus magnificisque victimis in Danubium vivi immitterentur. Sed praestat ipsum Oraculum referre:

Istri gurgitibus celsi Iovis imbribus aucti
Iniiciant binos Cybeles, edico, ministros,
Ortas monte feras, tum quas alit Indicus aër,
Flores atque herbas bene olentes, moxque futura est
Et victoria, pax et amabilis, et decus ingens.

His factis, ut praescripserat, cum in regiones hostium enatasſent leones, barbari eos tamquam canes, peregrinosve lupos, fustibus confecerunt. Tum protinus magna nostrorum strages est edita, viginti fere millibus simul extinctis. Deinde secuta sunt ea, quae Aquileiae contigerunt, cum parum abfuit, quin illa urbs caperetur. Et tamen res haec digna visa est Imperatori, cuius memoria in Columna Antoniniana triumphali conservaretur. Observavit hoc vir praestantissimus, mihique dum viveret amicissimus, *Mathurinus Veyssiere la Croze*, cuius verba (z) operae pretium fuerit hic adscribere: *Voluptati puto erit, hic rem uni Luciano memoratam*, (in Columna Antoniniana) *graphice depictam agnoscere, tranantes videlicet e superiori narratione leones, et ipsum Marcum*

(z) In Specimine observationum historicarum in *Lucianum*, inserto Miscellaneorum Berolinensium Tomo I p. 32. Adiuncta est ibidem, in Figura 2, rei huius effigies, desumta ex *Bellorii* Columna Antoniniana Tab. XIII.

eum Imperatorem, summi Pontificis officio fungentem, et praecepta in Oraculo aromata in ipsa Danubii ripa adolentem. De eo tamen vulnere, τραῦμα vocat Lucianus, Romanorum exercitibus a Germanorum copiis illato, frustra aliquid apud eorum temporum scriptores quaesiveris, deperdita iam dudum Dionis eius aevi historia, unde procul dubio Luciano maxima lux affunderetur. Ego non dubito, quin eventus hic pluviam illam mirabilem antecesserit, ac Imperatori maximum terrorem iniecerit, etsi tamen Imperator monumentum illius in Columna triumphali extare voluerit. Poteritne iam in dubium vocari, Marcum Imperatorem, in bello Quadico, ad placandos Deos, artes etiam peregrinas magicas adhiberi voluisse?

§ 14. Non minus tamen certum est, per *ritus peregrinos*, quos implevisse Marcum Imperatorem *Capitolinus* affirmat, designari etiam saepissime sacra Aegyptiorum, Iudaeorum et Christianorum, quod ex locis § 10 adductis, abunde perspicitur. Et *Capitolinum* quidem in animo habuisse Aegyptiacae gentis sacra, res ipsa aperte loquitur. Ex iis enim, quae observavimus, constat, Marcum Imperatorem in exercitu habuisse *Arnuphin* Aegyptium, qui Mercurium aërium ritibus magicis invocaverit, et, ut Imperator credi voluit, ab eo pluviam beneficam extorserit. Mercurius ille, omni procul dubio, fuit Aegyptius, quod ex eo etiam satis intelligitur, quod dicatur aërius. Is enim est Aegyptiorum *Arnubis*, quod (*a*) alio loco pluribus adstruximus. *Arnuphin* Aegyptium hunc placasse, discimus ex *Dione*, et huic Imperatorem postea beneficium pluviae salutaris in acceptis tulisse, testatur nummus eius, eodem tem-

(*a*) In Pantheo Aegyptiorum, Lib. v cap. 1.

tempore percusſus, cuius feci mentionem § 6. Est ceteroquin *Arnuphis* nomen vere Aegyptiacum, quod, ſine ulla qualicumque vel unius literae mutatione, Coptice ſcriptum Ⲁⲣ- ⲛⲟⲩϥⲓ (*Ar-nuphi*) ſignificat ἐυεργέτην, *benefactorem.* Et vero admodum ſimile est, ipſi ab hoc beneficio, pluvia nempe ſalutari, artibus eius magicis, vel theurgicis, uti exiſtimabatur, impetrata, cognomen adeo honorificum et ſplendidum fuisſe inditum. Adſunt porro indicia non adeo obſcura, Imperatorem etiam post id temporis ſacra Aegyptiorum coluisſe, et reverenter celebrasſe. Nam aliquanto post, in Aegyptum profectus (*b*), *apud Aegyptios civem ſe egit et Philoſophum, in omnibus ſtadiis, templis, lucis.* Quin adeo Romae Imperator hic cultorem Serapidis ſe profiteri dedignatus non est, quippe quod clare testatur (*c*) lapis hic:

SERAPI. SACR
IMP. CAES. AVG
PIVS. FELIX. COS. IIII
P. P.

Et (*d*) alter iste etſi mutilus:

SERAPIDI DEO
M. AVRELIVS ANTONIN
IFEX MAX. AEDEM

ut

(*b*) *Iulius Capitolinus* in eius vita cap. 26.
(*c*) Apud *Gruterum* in Theſauro Inſcriptionum, pag. LXXXV num. 2.
(*d*) Ibidem num. 6.

ut (*e*) vota taceam, pro salute huius Imperatoris, eidem deo Aegyptio nuncupata, lapidibusque incisa. Illud vero obseruatione dignum inprimis est, et ea, quae diximus, egregie confirmat, quod sacra Aegyptiorum, legibus Romanorum Imperatorumque edictis toties prohibita, tempore Marci Imperatoris in urbem inuecta ciuitateque donata fuerint. Commodum igitur, Marci filium et succesforem, sacris his magnopere fauisse, eaque solemniter celebrasse, literis prodidere (*f*) scriptores historiae Romanae. Quam in rem memorabile est, quod in vita Antonini Caracallae ita relatum legimus (*g*): *Sacra Isidis Caracallus Romam deportavit, et templa ubique magnifica eidem Deae fecit. Sacra etiam eius maiori reverentia celebravit, quam antea celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, cum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut et Anubin portaret, et pausas ederet, nisi forte iste addidit celebritati, non primus invexit.* Satis itaque liquet, a temporibus demum Marci Aurelii Imperatoris, et filii eius Commodi, peregrinas Aegyptiorum cerimonias in Vrbem inuectas, et cum Romanornm patriis celebratas fuisse. Ab eo tempore etiam usu venit, ut festi Aegyptiorum dies sacris Romanorum solemnitatibus adderentur, et cum his publice et libere celebrarentur, cum antehac legibus prohibitae et ex Vrbe proscriptae essent. Festi hi dies, in vetusto Kalendario Romano, dicuntur *dies Aegyptiaci:* quod argumentum (*h*) peculiari Dissertatione persecutus sum. § 15.

(*e*) Apud *Gruterum*, ibidem num. 3, 4.

(*f*) *Lampridius* in Commodo, cap. 10, et *Spartianus* in Pescennio Nigro, cap. 6.

(*g*) *Spartianus* in Antonino Caracalla, cap. 9.

(*h*) In Commentatione *de diebus Aegyptiacis*, etc. *in Mi-*

§ 15. Ex his, quae expoſui, perſpicue iam colligi poſſe arbitror, bonos pioſque Christi cultores, qui ſeculo II et III vixerunt, fide optima, ſibi aliisque etiam perſuaſiſſe, post pluviam ſalutarem, pro exercitu Romano a Deo obtentam, Imperatorem eum in modum ſuae religionis hominibus favere coepiſſe, ut etiam eorum cauſam Senatui commendaverit, et benignnm de iis iudicium tulerit. Nam 1) notum erat omnibus, prorſusque certum, Imperatorem, paucis ante pluviam illam celebratisſimam annis, in edicto, ad commune Aſiae Concilium dato, partes Christianorum publice et ſolemniter tuitum fuisſe, et perſecutionem quamcumque a cervicibus eorum depulſam voluisſe. Vide § 8. Mihi porro, 2) argumentis pondere non destitutis, conſtat, ab anno illius edicti publice Epheſi propoſiti CLXIX usque ad a. CLXXVII, quo perſecutio piorum Christi cultorum, in Gallia aliisque Provinciis Imperii Romani, vehementisſime recruduit, Eccleſiam Christianam pace iucunda fruitam fuisſe, niſi forte hinc inde clamores populares, odiumque Praeſidum in Provinciis quibusdam, gregi Christianorum molestias crearunt, quae tamen ad Imperatorem referri nequeunt. Sed pluribus haec perſequi, huius loci non est. 3) Inter Christianos illius aevi dubio omni vacabat, pluviam illam adeo deſideratam, Romanisque tam ſalutarem, piis et continuis ſuorum precibus unice deberi. Conf. § 2. Non ambigo praeterea, Christianos, etiam in exercitu, dum duraret expeditio Quadica, hac de re tam fidenter locutos fuisſe, ut ipſorum hi ſermones alios, et forte Imperatorem ipſum, latere non potuerint. Quin imo videtur haec fuisſe cauſa, quod

Miscellaneis Berolinenſibus Tom: VII p. 406 ſqq. [tom. II Opusculorum p. 274 ſqq].

quod Romani, non ſine aliqua affectatione, pluviae beneficium diis ſuis in acceptis tulerint, eiusque rei memoriam in monumentis publicis conſervarint. Accedit ad haec 4) quod fama percrebruisſet, et quaquaverſum divulgasſet, Imperatorem praeter morem aliorum Principum, qui ante ipſum imperio Romano praefuerant, ſacra peregrina admiſisſe, illaque in castris ſolemniter celebrari voluisſe, § 10 ad 15. Sub nomine vero *peregrinorum ſacrorum*, pasſim, tum intelligi quoque conſuevisſe *Christiana*, et per ſe facile intelligitur, et ceteroquin notius est, quam ut operoſa probatione, quae ſane non deficit, nunc opus ſit. Poteruntne Christiani merito vituperari, qui fortasſe famam hanc in ſuum quoque commodum verterint interpretatique ſint? Et cum 5) aliter fieri haud potuerit, quam ut de tota re, uti gesta erat, ad Senatum Romanum referret Imperator, an non, poſitis illis, quae modo obſervavimus, proclive erat cogitare, Imperatorem beneficii, per preces Christianorum impetrati, quod hi firmiter ſibi perſuadebant, utique in literis ſuis obliturum non fuisſe. Multa ad haec, quae dixi, addi inſuper posſe, quis est, qui non intelligat? Sed ratio lectoris habenda, temporique parcendum est. Ac praeterea ſagacitati Lectoris aliquid relinquere iure merito oportet.

§ 16. Sed neque hoc ſilentio involvi debet, ſcriptores nostros, qui ſeculo II et III floruerunt, in praedicando hoc eventu, multo fuisſe parciores et modestiores, quam forte credere posſes. Cui nunc non dictus ille Hylas? At profecto aliter omnino res ſe habuit, prima illa Christianorum aetate. Nam ſi ſcriptores omnes ſeculi II et III perluſtres, non deprehendes, quemquam eventus huius mentionem fecisſe, aut de eo gloriatum fuisſe, praeter *Apollinarem*, Phrygiae Episcopum, de quo § 3, et *Tertullianum*, Carthaginienſem in Africa Presbyterum. Et

Et *Eusebius* (*i*), ubi ait, historiam hanc a nostris simpliciter et ingenue literis mandatam fuisse, alios tamen praeter hosce duos proferre non valuit, quantumvis a multis illustribus religionis nostrae defensoribus, ubi causam illius, magno animo, omnique ingenii virtute, et doctrinae copia, tuiti sunt, id merito expectasses; sed frustra. Nempe *Apollinaris* in extrema Phrygia, et *Tertullianus* in Africa scribens, relationes hac de re acceperunt, ex errore et inconsiderate incrustatas et adulteratas, atque bona fide ea, quae acceperant, et ut acceperant, literis consignarunt. Sed postquam alii rem hanc accuratius investigarunt, postquam certo intellexerunt, rumoribus his Columnam Antoninianam, aliaque rei huius monumenta publica, aperte contradicere, indignum iudicarunt, religioni suae figmentis aut incertis rumoribus narrandis praesidium vel auctoritatem aliquam conciliare. Ipse *Eusebius*, scriptor seculi IV, postquam loca ea de re *Apollinaris* et *Tertulliani* attulisset, haec addit: *sed de his quisque pro arbitratu suo statuit.* At vero, qui hunc secuti sunt, scriptores Ecclasiastici, tum illo ipso, tum sequioribus seculis, de re eadem secure prorsus loquuntur, tamquam de ea dubitare opprobrium esset. Aut ostenderunt illi, se non tam veritati, quam potius in omnibus, etiam cum veritatis dispendio, honori Ecclesiae Christianae tantum litare.

(*i*) Hist. Eccles. Lib. v cap. 5.

DISSERTATIO

DE

ALEXANDRO SEVERO, IMPERATORE ROMANO, CHRISTIANORVM SACRIS PER GNOSTICOS INITIATO [*].

§ 1. Res est a ſcriptoribus hiſtoriae Eccleſiaſticae iam dudum obſervata, et extra omnem dubitationis aleam poſita, Alexandrum Severum, Imperatorem Romanum, Principibus immenſi illius imperii optimis merito annumerandum, Chriſtianis eorumque ſacris impenſe faviſſe, adeo ut ex Imperatoribus Romanis usque ad Conſtantinum M. (*a*) non fuerit

(*a*) Quod ego de Alexandro hic affirmavi, de Valeriano pronunciavit ſimiliter *Euſebius* Hist. Eccleſ. Lib. VII c. 10. Sed is videtur omnium eorum, quae Alexander in gratiam Chriſtianorum fecit, prorſus ignarus fuiſſe.

[*] Edita est haec Diſſertatio in Miſcellaneis Lipſienſibus Novis, vol. IV part. I p. 56—94. Sententiae *Iablonskii* non pauca opponit *Moshemius* in Comment. de rebus Chriſtianorum ante C. M. p. 463—467, repetita ac probata a *Schroeckhio*, *Hamelsveldio*, aliis-

rit quisquam, qui tot tamque insignita benevolentiae ac beneficentiae specimina ipsis praebuerit. Nihil dico, quod eruditis cognitum non sit ac perspectum; sed id ipsum tamen paucis mihi repetendum, praemittendum, et in aliqua luce collocandum erit, quia, ad probandum illud, quod nunc in me suscipio, argumentum, viam egregiam et commodam mihi sternet.

§ 2. Favoris, quo Alexander Christianos complexus est, hocce indicium sane illustre est, quod eos, religionis causa, malis affici penitus noluerit. Id enim testatur scriptor (*b*) vitae eius, *Aelius Lampridius*, omni fide dignus, cuius haec sunt verba: *Iudaeis privilegia reservavit. Christianos esse passus est*. Vbi negligendum non puto, quod, de hoc *Lampridii* loco disserens, observavit vir de historia Ecclesiastica praeclare meritus (*c*): *videri rem hanc, de qua testatur* Lampridius, *pretii exigui, verum de*

(*b*) *Lampridius* in Alexandro Severo, cap. 22. Nolim vero hic disputare, utrum vitae Alexandri verus et genuinus auctor sit *Lampridius* ille, cui in editionibus vulgatis tribuitur, an vero potius illa restituenda sit *Aelio Spartiano*, uti contendit *Salmasius*, ad historiae Augustae scriptores, aut *Iulio Capitolino*, quod mavult *Dodwellus* in Praelectionibus Camdenianis. Vide Sectionem praeliminarem III. Ego sequor scripturam vulgatam nostrorum Codicum.

(*c*) Mémoires de Mr. *de Tillemont* sur l'Histoire Ecclesiastique Tom III p. 250, edit. Paris.

aliisque historiarum Ecclesiasticarum scriptoribus recentioribus. Comparentur tamen, quae, pro sententia sua a difficultatibus *Moshemii* vindicanda, monuit *Iablonskius* in nova hac et ab ipso locupletata dissertationis editione, cum alibi, tum maxime in annotatione ad § 10.

de nullo tamen ex praedecesſoribus Alexandri idem memorari, etſi inter illos quoque plures ſunt, qui a perſecutione abſtinuerint: voluisſe itaque ſcriptorem illum procul dubio ſignificare, Alexandrum Christianis libertatem religionis et conſcientiae plenam induliſſe, idque acta Imperatoris huius clare loqui Mihi aliquando, hac de re cogitanti, in mentem venit, fieri potuisſe, ut inimici Christianorum adverſus eos conſilia immitia Imperatori ſuggesſerint, hic vero talia conſilia aſpernatus fuerit, et conſtanter reiecerit, idque potisſimum *Lampridium* ſubindicare voluisſe.

§ 3. Verum intra hos limites favor boni Imperatoris in Christianos minime ſubſtitit. Id quod Alexandrum in gratiam Christianorum fecisſe affirmavi, fecerunt et alii, tum ante, tum post Imperatoris huius tempora. Verum plus omnino fecit Alexander. Non tantum enim praeterea pasſus est, ut Christiani aedes haberent, cultui ſuo peragendo conſecratas, et vulgo notas; verum etiam ius ipſorum in has aedes, ob rationes non religioſas, ſed civiles, in controverſiam vocatum, adverſus cives Romanos asſeruit. Testatur et hoc *Lampridius* (*d*): *Cum Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat occupasſent, contra popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit, melius esſe, ut quomodocumque Deus illic colatur, quam popinariis dedatur.* Hoc Imperatoris iudicium favorem quemdam eius exquiſitum in cauſam et ſacra Christianorum oppido luculenter prodit. Quin imo veroſimile mihi etiam atque etiam ſit, cultores Christi adverſus popinarios Romanos tale quid auſuros publice numquam fuisſe, niſi de indulgentia et benevolentia Imperatoris erga ſe aliquo modo certi fuisſent.

§ 4.

(*d*) Cap. 49.

§ 4. Talia porro idem ſcriptor, in vita Alexandri, de eo refert, ex quibus tuto colligere nobis licebit, Imperatorem neque doctrinae Christianorum, neque disciplinae eorum Eccleſiasticae, ignarum fuisſe. Nam quod ad doctrinam religionis nostrae, eam praecipue, quae circa agenda verſatur, attinet, videmus ista de eo literis conſignata (*d**) esſe: *Clamabatque ſaepius, quod a quibusdam, ſive Judaeis, ſive Christianis, audierat, et tenebat: idque per praeconem, cum aliquem emendaret, dici iubebat:* quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Quam ſententiam usque adeo dilexit, ut et in Palatio, et in publicis operibus praeſcribi iuberet.* Quam bene porro disciplina Christianorum Eccleſiastica Imperatori huic perſpecta fuerit, ea indicio esſe posſunt, quae auctor ille (*e*) in haec verba obſervavit: *Vbi aliquos voluisſet vel Rectores Provinciis dare, vel Praepoſitos facere, vel Procuratores, id est rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut, ſi quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus, ſi non probasſet, ſubiret poenam capitis: dicebatque, grave esſe, cum id Christiani et Iudaei facerent, in praedicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus.* Quis non, ista ſerio perpendens, fateri cogatur, Imperatorem haec, quae toties in ore habebat, aut in ſacris nostris voluminibus, aut in aliis nostrorum ſcriptis, lectitasſe, aut ex ſermonibus Christianorum, quos familiari uſu cognitos habuerit, ſaepius audivisſe, et memoria tenaci excepisſe.

§ 5.

(*d**) Cap. 51.

(*e*) Cap 45. Conſulendae ad hunc locum ſunt notae *Caſauboni*, qui ritum hunc, de quo loquitur Imperator, ex Epiſtolis *Cypriani* egregie illuſtrat.

§ 5. Postremum hoc, quod nempe Alexander Imperator Christianis familiariter usus fuerit, eosque de rebus ad religionem spectantibus disserentes libenter audiverit, ea ipsa, quae modo e *Lampridio* descripsimus, evidenter testantur, idque aliis insuper documentis confirmari ac comprobari potest. Si fidem habere liceret vitae Alexandri nostri, quam ceu ab *Encolpio*, non ignobili seculi III historico, scriptam, et, uti iactatur, e Graeco Anglice versam, Londini a. 1549 edidit *Thomas Eliotus* (*f*), Imperator ille, ardore videndi magni Origenis incensus, eum Alexandriâ ad se arcessivit, et cum eo sermones de religione plures habuit. Verum (*g*) foetus ille adulterinus, auctori bono pessima fide suppositus, ab eruditis merito contemnitur, neque etiam adeo difficile est (*h*), originem fabellae illic venditatae divinando assequi. Sed iis tamen, quae de familiaritate Alexandri cum Christianis asserui, plenissime confirmandis, sufficere possunt verba haec *Eusebii*, de Maximino Thrace, Alexandri in imperio Romano successore, quae ex versione *Valesii* adscribam: *Qui gravi odio succensus adversus familiam Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persecutione excitata, solos Ecclesiarum antistites, utpote Euangelicae praedicationis auctores, interfici iussit* (*i*). Ex his enim liquet, eos, quibus Imperator in ipso palatio suo quotidie familiariter usus est, Chri-

(*f*) Vide *Seldeni* notas in *Eutychium* p. 174, 175, et *Tillemontium* l. c. Tom. III p. 524.

(*g*) Vid. *Fabricii* Bibliothecam Graecam Vol. III p. 327 sq.

(*h*) Nempe fabulae huic exsculpendae ansam praebuerunt, quae de Mamaea, Imperatoris matre, retulit *Eusebius*. Vide infra § 13.

(*i*) Histor. Eccles. Lib. VI c. 28.

Christianorum ſacris addictos fuisſe, et Maximinum, cum fautores Alexandri e medio tollere vellet, in Christianos, atque omnium maxime in Episcopos, tamquam certisſimos Alexandri amicos, crudeliter ſaeviisſe.

§ 6. Quae cum ita ſint, fieri profecto aliter non potuit, quin Imperator ille Christi cultores, diuturno uſu ſibi bene cognitos, honoraret, doctrinam religionis ipſorum, cuius excellentiam perſenſerat, maiorem in modum miraretur et ſuſpiceret, atque, quod ex his per ſe conſequitur, auctorem religionis adeo Divinae impenſe veneraretur, et cultum, quem religio talis praecipit, omni alii Numinis cultui longe anteponeret. Et hanc fuisſe re ipſa Alexandri mentem, *Lampridius*, toties iam in ſubſidium vocatus, testimonio non uno nos docet. Mitto, quod iam ſupra ex hoc auctore obſervavi, § 3, Alexandrum Imperatorem locum quemdam publicum, adverſos popinarios Romanos, Christianis addixisſe, in quo Deum, ſecundum religionis ſuae praeſcriptum, libere et tuto colere posſent, quamquam et id praeſens hocce argumentum non parum illuſtret. Nam de nihilo non est, quod viri docti et in antiquitate Eccleſiastica egregie exercitati obſervare nos iubent, tempore demum Alexandri Severi Christianos Romae eccleſias publicas, ſoli huic uſui destinatas, habere coepisſe. Certe ante hanc aetatem vix ac ne vix quidem, vestigium rei illius certum oſtendi poterit. Sed a temporibus Alexandri (*k*), hiſtoria nobis exemplorum affatim ſuppeditat. Verum illud at-

(*k*) Testimonia ea de re copioſa congesſerunt *Ioſephus Medus*, in peculiari Schediasmate, ſaepius, etiam inter Opera eius, edito, et *Ioſephus Binghamus*, cuius posterioris inprimis conſuli posſunt Origines Eccleſiasticae Lib. VII c. I.

attentione noſtra cumprimis dignum cenſebunt mecum omnes, quod Imperator noster cultum Christi publicum in ſedem Imperii introducere, et auctoritate ſua communire, in animo habuerit. Ita enim apud *Lampridium* legimus (*l*): *Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. —— Sed prohibitus est ab iis, qui, conſulentes ſacra, repererunt, omnes Christianos futuros, ſi id optato evenisſet, et templa reliqua deſerenda.* Credo ego, hoc ipſum, ut omnes Christiani fierent, quaeſivisſe et in votis habuïsſe Imperatorem: ſed cum idem hoc praeviderent etiam alii, ac magnopere metuerent, quibus avita urbis ſuae ſacra curae cordique erant, cultum Christo publicum obtinere haud potuisſe. Quae autem fuerit in his vera boni Imperatoris mens et ſententia, omnium optime ex eo intelligitur, quod idem vitae eius (*m*) ſcriptor literis de ipſo prodidit: *Matutinis horis in Larario ſuo (in quo et divos Principes, ſed optimos, electos, et animas ſanctiores, in queis et Apollonium, et quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Christum, Abraham, et Orpheum, et huiuscemodi (n) deos, habebat, ac maiorum effigies) rem divinam faciebat.* Nempe etſi cultum publicum, legibus Romanis approbatum, Christo impetrare non posſet, privato tamen ſtudio, et pietate domestica, ſacra ipſi facere voluit.

§ 7. Postremum hunc *Lampridii* locum paulo diligentius et accuratius conſiderandum esſe arbitror. Et complura ſane hic ſeſe mihi offerunt, de quibus non-

(*l*) Cap. 43.
(*m*) Cap. 29.
(*n*) *Salmaſius* pro *deos* mavult legere *ceteros*. Propius vero ad ductum ſcripturae vulgatae accedere, ſi ſcribatur *alios*, monui iam ſupra Disſert. III § 14 in notis [tom. III Opusculorum p. 401].

nonnulla disserere, operae pretium fuerit. Quoniam vero, dum haec scribo, in *Partem primam Voluminis tertii Novorum Miscellaneorum Lipsiensium* incido, inque ea num. IV eruditam inprimis de hoc *Lampridii* loco, Dissertationem offendo, video, mihi in hoc argumento breviori multo esse licere, atque initio cogitaveram. Inveniet illic lector eruditus, quo sitim suam restinguat. Ego eapropter paucis hisce contentus ero, quae sine notabili causae meae detrimento paetermitti non possunt. Et 1) quidem observari id velim, *Lararium Alexandri*, de quo *Lampridius* loquitur, et in quo Christum Imperator coluit, fuisse Lararium maius, consecratum Divis Principibus, optimis et electis, atque *animabus sanctioribus*, quibus cultus offerebatur plenus et supremus. Id enim doctissimus auctor Dissertationis, cuius modo feci mentionem, egregie probavit § 10, idemque iis, quae a me § 4 monita iam fuere, illustrari quoque et confirmari poterit.

§ 8. Vti igitur satis liquere existimo, Alexandrum Imperatorem Christo Domino cultum obtulisse supremum, ita tamen 2) ex *Lampridii* hac de re testimonio non colligi debere reor, Alexandrum illo ipso tempore, quo Servatorem nostrum in Larario coluit, idololatriae manifestae reum fuisse, id est, honorem sive eumdem, sive paene similem, tum manibus bonorum Principum, tum animabus sanctioribus Orphei, Apollonii, aliorumque habuisse, quem Christo et ipse exhibuit, et ab aliis exhiberi quoque discupivit. Equidem Larario in palatio suo Princeps noster, cum Reipublicae Romanae et summus Imperator idemque Pontifex maximus esset, carere utique non potuit, idque statuis et imaginibus divorum, more Romano, ornatum esse oportuit. At vero quidnam in Larario illo rerum gereret, et quomodo rem Divinam faceret, id quidem, praeter arcanorum

par-

participes, reliquos omnes ſtudioſe celare voluisſe videtur. Obſervat certe non citra gravem rationem vitae eius ſcriptor, eum *matutinis horis in Larario ſuo rem Divinam fecisſe.* Quid enim? An non ipſa haec *matutina ſacra* Alexandri, quae ab *antelucanis et nocturnis Christianorum* non admodum diverſa fuisſe cenſeo, religionem Imperatoris ſuſpectam reddunt? ſacra enim huius generis antelucana et nocturna, legibus Romanorum e civitate proſcripta, ſeculo ſecundo et tertio Christianis vulgo crimini dari conſuevisſe novimus Qua de re pluribus perdocte disſerere illuſtrem *Boehmerum* (*o*), eruditos non latet. Rem eamdem, ſed verbis contumelioſis, in muliere (*p*), quam coetui Christianorum, quod non temere ſuſpicor, addictam fuisſe fingit *Appuleius* (*q*), verbis his tangit: *Tunc* mulier, *ſpretis atque calcatis Divinis numinibus, in vicem certae religionis, mentita ſacrilega praeſumtione Dei, quem praedicaret* (*r*) *unicum, confictis obſervationibus va-*

(*o*) Disſertatione II Iuris Eccleſiastici, § 2 et 3.

(*p*) *Guilielmus Warburtonus*, nominis celeberrimis criptor in Anglia, erudite obſervavit, *Appuleium* ſacris Chriſtianorum inſigniter fuisſe infestum, eorumque cauſae libris ſuis nocere voluisſe. Ingenioſe idem monuit, *Aemilianum* illum, adverſus quem Apologiam ſuam ſcripſit, inter cultores Christi nomen ſuum profesſum fuisſe. Vide les Disſertations ſur l'union de la Religion, de la Morale etc. par *Silhouette*. Exemplo, quod illic *Warburtonus* protulit, iungas nunc alterum, quod hic dedimus.

(*q*) Metamorph. Lib. IX p. 223, edit. Elmenhorſt. [p. 620, 621, ed. Oudendorpii.]

(*r*) Id enim inter praecipua crimina erat, quorum Christiani tum temporis rei peragebantur. In Actis ſinceris Martyrum, a *Ruinarto* editis, p. 281, iudex Rogatianum Christianum ita alloquitur: *Illud tibi maxime praecavendum est, ne*, confesſione unius Dei, *plurimorum deorum in tuam perniciem iram incurras.*

vanis, fallens omnes homines, et miserum maritum decipiens, matutino mero (merum sive vinum intelligit Eucharisticum, adeoque matutinis Christianorum sacris illudit) *et continuo stupro corpus mancipat.* Quis hic non crimina ficta, Christianis illa aetate toties impudentissime obiecta, illico agnoscat? Vides igitur, Lector, *sacra matutina*, Christianis ab *Appuleio* exprobrata. Et talia fuisse quoque sacra, quae Alexander Imperator, in Larario suo, cum selecto, ut videtur, Christianorum domesticorum numero, concelebravit, non ita gravate largietur, quisquis omnia hactenus dicta meditate pensitaverit. Neque profecto hanc de Alexandri Imperatoris religione suspicionem esse plane novam, et nunc demum luci expositam, fidem faciunt, quae *Lampridius* (*s*) de eo observat: *Antiochenses et Aegyptii Alexandrini lacessiverunt eum conviciolis, Syrum Archisynagogum eum vocantes et Archierea.* Scio, haec etiam in alium sensum exponi posse. Sed quid, quaeso, prohibet, quo minus eadem et meae sententiae favere dicam? Sufficitne hoc, Imperatorem suspectum fuisse religionis peregrinae? Cuiusnam indolis vero illa fuerit, ex superioribus abunde perspici arbitror.

§ 9. Accedat ad priores illas observationes 3) nunc et ista, videri Alexandrum, in addiscendis Christianae religionis praeceptis, usum fuisse magistris, coetui Gnosticorum adscriptis. Illius rei id mihi indicio est satis luculento, quod, cum Imperator Christum ut Deum colere vellet, *Lampridio* teste, eius sive statuam, sive imaginem in Larario suo collocaverit. Aperte hoc Gnosticorum sectam et cultum redolere persuasus sum. Etenim Catholicos nul-

(*s*) Cap. 28 fin.

nullas ea aetate habuisse imagines Christi (*t*), argumentis pluribus evinci facile potest. Ipsi potius talium imaginum et usum et cultum Gnosticis in acceptis ferre solent. Testem adfero *Irenaeum*, qui (*u*) de Gnosticis haec observat: *Gnosticos se autem vocant, et imagines, quasdam quidem depictas, quasdam autem de reliqua materia fabricatas, habent, dicentes formam Christi, factam a Pilato illo in tempore, quo fuit Iesus inter homines.* Ex *Irenaeo* fere desumsit *Epiphanius* (*v*), quae eadem de re haec memoriae prodidit: *Habent porro Carpocratiani depictas coloribus imagines, quidam etiam aureas, aut argenteas, vel ex alia materia factas, quas esse Iesu effigies affirmant, easdemque a Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat.* Tangit quoque rem hancce *Augustinus* (*x*). Et haec quidem prima omnino est mentio imaginum Christi, quae in historia Ecclesiastica observatur. Quod de imagine ipsius Christi Domini dixi, nova quadam luce perfundetur, ubi animum ad alias imagines, quas Alexander ad imaginem Christi in Larario suo adiunxit, appulerimus. Inveniemus namque imagines *Abrahami*, *Apollonii* et *Orphei*. De *Abrahamo* plura hic disserendi, latissimum mihi apertum esse video campum; ego vero, ut tempori parcam, id unicum tantum monebo, memoriam eius praecipue in singulari apud Gnosticos omnes fuisse veneratione, unde etiam contigit,

(*t*) Praecipua, huc pertinentia, exposui supra in Dissert. III § 2 ad [tom. III Opusc. p. 377 sqq.].

(*u*) Adversus Haereses Lib. I cap. XXV § 6 edit. Massueti.

(*v*) De Haeresibus num. 7.


(*x*) Haeresi XXVII § 6.

git, ut nomen eius in *Gemmis* horum hominum *Abraxeis* nonnumquam (*y*) legatur Eadem vero ratio, quae effecit, ut nomen eius in Gemmis hisce, fidei suae Christianae tesseris, exstare vellent, ipsos quoque impellere potuit, ut imagines eius in coetibus suis ostenderent et asservarent. Quod ad *Orpheum* vero attinet et ad *Apollonium Tyaneum*, multis modis testatum est, eorum nomina in schola illa Philosophica, ex qua prodierunt Gnostici, in maximo semper honore et pretio fuisse, quod, si operae pretium foret, sique id esset huius loci, extra omnem dubitationis aleam collocari perquam facile posset. Et Gnosticos cum imaginibus Christi coniunxisse imagines Philosophorum atque Poëtarum, sibi prae ceteris eximie carorum atque venerabilium, quales sunt *Orpheus* et *Apollonius*, scriptores illi, quos iam semel, paulo ante, ad testimonium vocavi, pariter asseverant *Irenaei* verba haec sunt: *Imagines Christi coronant, et proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum — Pythagorae, et Platonis, et Aristotelis, et reliquorum* Earumdem imaginum mentionem facit quoque *Epiphanius*, qui observat praeterea, homines hos imagines suas occultas habuisse; *Augustinus* his imaginem quoque *Homeri* superaddit

(*y*) In Collectione Gemmarum Abraxearum Montfauconiana, edita in eius Thesauro Antiquitatum Tom. III Part. II Lib. III cap. V Tabula CLXV, occurrit Gemma, inscriptionem bene longam exhibens. Paucissima certe in illa intelliguntur, et in his ingenium Gnosticorum facile agnoscitur, qui res suas, sibi suisque solis cognitas et perspectas, aliis vero obscuras et inexplicabiles, esse volebant, quod veteres testantur. Nomen tamen *Abraham*, vel, ut Graeci scribunt, Ἀβραάμ, distincte ibi legitur. Adscribamus celeberrimi editoris haec verba: *Inscriptio longior tum solum intelligitur, cum haec effert*, χαριζόμενον ὄνομα Ἀβραάμ, *qui dedit nomen Abrahamo*, alludens nempe ad *Genes.* XVII. 5.

dit (z). En imagines, illis, quas in Larario suo cum imaginibus *Christi* sociavit Alexander, profecto simillimas. Neque vero mihi praetereundum hic est, quod iidem auctores, semel atque iterum nunc laudati. observant, imagines tales Christi, Poëtarum itidem et Philosophorum, Gnosticis usitatas, Romam advexisse *Marcellinam*, mulierem disciplina Carpocratianorum, id est, Gnosticornm, imbutam, eamque temporibus Aniceti, Episcopi Romani, plurimos homines veneno doctrinae suae corrupisse. Ab eo igitur tempore, quod in medium seculi II ingruit, Gnostici Romae habuerunt coetus suos, in quibus imagines Christi, et dilectorum sibi Poëtarum ac Philosophorum, gregalibus suis ostendebant. Et poteritne cuiquam superesse adhuc dubium, quin, ex istis Gnosticorum coetibus, imagines, de quibus loquitur *Lampridius*, in Lararium Imperatoris Alexandri fuerint translatae?

§ 10. Cogitationibus his, etsi haudquaquam inanibus, tantum tamen non indulsissem, nisi eas singularem in modum et confirmari et illustrari viderem per Gemmam elegantem, quam e thesauro suo edidit vir quondam amplissimus *Iacobus de Wilde*, num. CXXXVII; quae mihi totum huius rei mysterium clare aperire videtur. In Gemma hac cernitur Monogramma Christi notissimum, hunc in modum effictum:



In-

(z) Testimonia trium auctorum hic adductorum, *Irenaei*, *Epiphanii* et *Augustini*, evolvi possunt, in locis supra iam citatis.

Inſcriptio, quae Monogramma istud ambit, in Gemma talis legitur: SAL. DON. ALEX. FIL. MA. LVCE. Eamdem plane veroſimiliter Gemmam illuſtrare voluit vir illustris *Carolus du Fresne*, in Disſertatione de inferioris aevi numismatibus, quam tamen, haec ſcribenti, evolvere mihi non licuit. Sed bene est, quod in *Gisberti Cuperi*, viri ſummi, notis in *Lactantium* (*a*) ista invenerim, ex quibus de ſententia illustris illius ſcriptoris Gallici iudicium ferri potest: *De monogrammate autem Christi, in nummis expreſſo, agit illustris* du Fresne *num.* 24. *Disſertationis laudatae, quae ut elegantia ſunt, ita tamen puto, eum non recte explicare Gemmam, in qua illud cernitur, et ſimul legitur:* SAL. DO. N. ALEX FIL. LVCE. *Neque enim illa ullo modo referri potest ad Alexandrum Mamaeae filium, ſed ad Alexium, quo nomine varii posterioribus temporibus Imperatores fuerunt, ſpectat; et* LVCE *aeque commodo ſenſu exponi potest* LVCEBIT, *ut ita ſimul quaſi vota ſuscipiantur pro Alexio, Imperatoris filio: quamquam nec* LVCE *respuam, quia illud in aliis nummis apud* Choulium (*b*) *obviam est.* Ex hisce viri doctisſimi verbis colligere licet, illuſtrem Gallum Gemmam, de qua disſeruit, oculis ſuis non ſubiecisſe. Nam literas has MA, ex quibus tamen genuinus inſcriptionis nostrae ſenſus magna ex parte pendet, plane omiſit (*c*). Sunt autem illae in-

(*a*) De mortibus Perſecutorum p. 239.

(*b*) Veroſimile est, *Cuperum* in mente habuisſe illos apud *Choulium* nummos, qui exhibent *Lucet.* Vide § 22 huius Disſertationis.

(*c*) Viro de Republ. literaria immortaliter merito, *Io. Laurentio Moshemio*, in Commentario de rebus Christianorum ante Conſtantinum M. p. 463 voces hae meae viſae

indicio certisſimo, nullisque machinis eludendo, Gemmam hanc ſculptam esſe in honorem et memoriam

ſunt audaculae, quod non miror. Etenim, quia certo ſibi perſuaſit, Alexandrum Severum religionem Christi aliis minime praetulisſe, argumentis meis vim non potuit tribuere niſi admodum tenuem. Exiſtimat autem, ſententiam hanc meam unice niti Inſcriptione hac Gemmae Wildianae, SAL. DON. ALEX. FIL. MA. LVCE et appicto Monogrammate Christi. Fateor, me ex illa Gemma praecipuum ſententiae meae quaerere praeſidium. Neque vim omnem huius argumenti in dubium vocat vir omni laude dignisſimus. Sed ad frangendum argumenti huius robur excipit, literas has MA non necesſario deſignare *Mamaeam*. Ego vero, pace manium ſummi viri, auſim asſeverare, voces has ALEX. FIL. MA. de nemine, quam de *Alexandro Filio Mamaeae* legitime accipi posſe. Verum quidem est, quod vir doctisſimus regerit, *plura utriusque ſexus nomina dari, quae a binis his literis* MA *incipiunt*. Quis hoc neget? At in Gemmis, uti generatim in Inſcriptionibus, nomina ita contracta, aut, ut loquimur, abbreviata, non leguntur, niſi ſint valde illuſtria, omnibusque confestim nota, ut in illis lector haerere haud posſit. Quem vero excogitabimus illuſtrem omnibusque illico notum ALEX. FIL. MA. praeter *Alexandrum Filium Mamaeae?* Credo omnes, qui in legendis Gemmis, Nummis, et Inſcriptionibus antiquis, aliquod impenderunt tempus, facile hic mihi esſe asſenſuros. Neque, quantum quidem ſcio, docti, quibus Gemmae nostrae integrae legendae et expendendae copia fuit, eam aliter legerunt aut interpretati ſunt. Ipſe *Cuperus* reliquis haud dubie ſe iunxisſet, niſi, in eius apographo Inſcriptionis, literae MA defuisſent. Potest his addi, quod rei caput est, *Franciscum Vettorium*, doctisſimum Italum, nummos protulisſe *Alexandri Severi* Imperatoris, in quibus idem Monogramma Christi, quod in Gemma nostra viſitur. Cum nummi illi certo pertineant ad Alexandrum Imperatorem, cur idem negaremus de Gemma? Schediasmata *Vettorii* manibus non trivi, ſed rem hanc didici ex ephemeridibus literariis annorum 1747 et 1753.

riam Alexandri, *Filii Mamaeae* ſive *Mammaeae* [*]. Illustris *du Fresnius*, quamvis literas istas non vidisſe videatur, bene tamen animadvertit, Gemmam pertinere ad Alexandrum Mamaeae Filium. Nec dubito, quin *Cuperus*, qua fuit ille incomparabili doctrina, idem fecisſet, ſi literas MA in Gemma legisſet. Ambo autem pro DON diviſim legerunt DO. N. *Domino noſtro*. Sed de hac re deinde dicam.

§ 11. Vir ille amplisſimus, qui eximiam hanc Gemmam e theſauro ſuo integram edidit, et curate depictam nobis exhibuit, eam totam, rectisſime profecto, ita legit atque interpretatur: *Salus Donata Alexandro*, *Filio Mamaeae*, *Luce* A. XP. Ω. *id est*, *Christi*. Quis iam neget, inſcriptionem hanc iis verbis esſe conceptam, quae aliquam fidei in Christum profesſionem, idque non obſcure, prae ſe ferant? Quis vitio dederit viro quondam egregie erudito, et de optimis literis bene merito, *Tobiae Eckhardo*, quod in *Collectione testimoniorum non Christianorum de Christo*, postquam Gemmam Wildianam attulisſet, haec ſubiunxerit p. 157: *Posſit haec Gemma veriſimile praebere argumentum, fuisſe hunc Alexandrum cum matre Mamaea clam religioni Christianae addictum, metu tamen etiam coluisſe in Larario profana Numina. Et cum propter-*

[*] In Muſeo Numario Milano - Viscontiano Part. 1 p. 70 monuit Clar. C. *Saxius*, Alexandri Severi *uxorem* fuisſe *Iuliam Mamaeam*, et huius nomen *conſtanter in numis* una litera M ſcribi. Fuit illa *mater* Alexandri Imp., *uxor* autem *Salluſtia Barbia Orbiana*. Alterum nemini dubium est; alterum docuit *Ez. Spanhemius* de P. et V. Num. t. 11 p. 299, 300. In numis omnibus, quos aut ipſe quondam vidi in Muſeis Viscontiano, Caroli Alexandri Ducis Lotharingiae, aliisque, aut a viris eruditis vulgatos novi, legitur *Mamaea*, an vero *conſtanter* in ceteris omnibus, vix audeo affirmare, niſi ectypon numi, ut multorum inſcriptiones, apud *Franc. Mediobarbum* in Roman. Imper. Numismatibus p. 317, 326, 327, minus accuratum cenſeatur.

pterea maxime, quod erga matrem unice pius esset, ut scribit Eutropius Lib. II *cap.* 14, *qui per annos* XIV, *sine ulla subiectorum querela, et sine sanguine, imperarat, Herodian. Lib.* VI *cap.* 9, *Maximini dolo fuerit interemtus, posteaque Imperator Maximinus Christianos, praesertim eorum doctores, in odium Alexandri Severi graviter vexarit, hinc etiam colligi posse videtur, quod opinio Christianae fidei occasionem praebuerit rebellandi exercitui.* Quae quidem tanto libentius adscripsi, quod iis, quae supra adstruxi pluribus, mirifice consonent. Redit tum vir eruditus ad Gemmam nostram, deque ea haec observat: *Christiani enim hoc usi sunt signo; sed an aetatem Severi attingat, quod α et ω addiderint, exquirendum.* Operae pretium puto, his nonnihil immorari, et verum Gemmae adeo memorabilis sensum in lucem protrahere.

§ 12. Ego in Gemma nostra non modo *argumentum verisimile*, uti scribit *Eckhardus*, sed etiam indicia certa et omni exceptione potiora invenio, Alexandrum Imperatorem sacris Christianorum clam initiatum fuisse. Documentum huius rei clarissimum in medio Gemmae conspicitur, Monogramma nominis *Christi*, quale in nummis Constantini M. et secutorum Imperatorum, uti nec minus in aliis Christianorum monumentis, toties oculis nostris se offert. Non equidem ignoro, quae viri eruditi de origine, antiquitate, varioque usu figurae illius, quam vocamus *Monogramma Christi*, disputare soleant. Verum enim vero, quamvis libenter largiar, figuras quasdam, nostro Monogrammati persimiles, reperiri etiam in monumentis Ethnicorum, idque ante ipsius Christi in terra nati tempora, literae tamen Graecae, Monogrammati in Gemma, ab utroque latere additae, α et ω, dubium hic penitus omne tollunt. His enim literis Monogramma nostrum veluti communitum, in nummis Imperatorum Christianorum,

et

et in aliis pariter monumentis Ecclesiasticis priscae aetatis, occurrere solere, satis norunt, qui deliciis his capiuntur. Neque etiam obscurus potest esse cuiquam integer Monogrammatis, talem in modum expressi, sensus, qui hic est: *Christus existens* A *et* Ω, ex *Apocalypsi Ioannea* c. I. 8, 11, XXI. 6, XXII. 13. Tale igitur Monogramma, in Gemma etiam nostra spectandum, dubitare nos non sinit, a Christianis et in usum Christianorum fuisse sculptum.

§ 13. Citra necessitatem vero ambigitur, possitne credi, tesseram hanc Christianismi, α et ω, cum Monogrammate sociatam, aetatem Alexandri Imperatoris attingere. Nam notae huiusmodi symbolicae et aenigmaticae fidei Christianae, aetatem Alexandri non solum attingunt, sed et superant, quod, ne in aliis conquirendis argumentis nunc prolixior sim, vel ex testimonio *Clementis Alexandrini* (*d*) satis intelligi potest. Is enim, loquens de Gemmis, quas etiam Christiani in annulis gerere solebant, talem fidei alumnis regulam commendat: *Sint nobis signacula columba vel piscis —— et si sit aliquis qui piscetur, meminerit Apostoli, et puerorum, qui ex aqua extrahuntur*; alludens ad *Matthaei* Euangelium IV. 18, 19, et *Lucae* V. 10. Quiquis, lectis his verbis, per se illico intelligit, signa haec, de quibus loquitur *Clemens*, tesseras esse symbolicas fidei ac religionis Christianae, quibus in Gemmis, aliave supellectile, uti tum solebant cultores Christi, similes literis α et ω, in Gemma Alexandri. *Columba* enim, cuius symbolum commendat doctor Alexandrinus, vel alludit ad columbam Noachi, folium ex olea decerptum ore praeferentem *Genes.* VIII 11, eoque typum oculis ingerit Christi Domini, per quem Deus pacem terrae annunciavit et largitus est: vel significat descensum Spiritus Sancti in Christum, in ba-

(*d*) In Paedagogi Lib. III cap. II.

baptismo eius obſervatum, columbae asſimilati, quo emblemate maiores noſtros in primitiva Eccleſia frequenter uſos esſe, non ignoramus. Tanto magis vero ſymbolum hoc columbae cum ſymbolo literarum α et ω comparari poteſt, quia, quod (*e*) veteres etiam obſervant, vox Graeca περιςερά, *columbam* deſignans, ſi ſingularum literarum valorem in numerando ſpectes, eſſicit numerum DCCCI, quem numerum etiam literae α et ω ſignificant. Et vero in huiusmodi vocum, literarum et numerorum luſibus Gnoſtici mirum in modum ſibi placebant: quod veteres noſtros ſcriptores Eccleſiaſticos non latuit. Sed redimus ad ſymbolicas in Gemmis ſculpturas a *Clemente* commendatas. *Piscis* ergo, cuius ſymbolicam repraeſentationem auctor idem probat et commendat, ſymbolum maioribus noſtris erat frequens et valde tritum fidei in Chriſtum, idque duas cumprimis ob rationes. Alteram quidem ipſe *Clemens* nobis ſuggerit, quando ait: *Meminerit puerorum, qui ex aqua* (nempe in baptismo) *extrahuntur.* Alteram vero exponit nobis *Tertullianus* (*f*), tempore *Clementi* aequalis, ſcribens: *Nos pisciculi, ſecundum* ἰχθῦν *noſtrum Jeſum Christum, in aqua naſcimur.* Piscis nimirum veteribus ſymbolum erat non tantum hominis Chriſtiani, per baptismum Servatori ſuo conſecrati, ac veluti ex aqna extracti, ſed ipſius etiam Chriſti Domini, eo quod vox Graeca, *piscem* ſignificans, ἰχθύς, literas initiales nominis Chriſti continet, hoc modo:

Ι	Ἰησοῦς	*Ieſus*
Χ	Χριςός	*Christus*
Θ	Θεοῦ	*Dei*
Υ	Υἱός	*Filius*
Σ	Σωτήρ	*Servator.*

Sae-

(*e*) Vide infra § 20.
(*f*) Lib. de Baptiſmo cap. I.

Saepe igitur in vetustis Christianorum monumentis conſpicitur imago piscis, uti pasſim in *Antonii Boſii*, atque *Pauli Aringhii Roma Subterranea.* Vide tamen, ſi placet, *Boſii Roma Sotterranea* p 514, 515, ubi occurrent tibi et vulgare Christi *Monogramma*, ſupra depictum deſcriptumque, et *columba*, etiam cum ramo oleagineo, et *piscis* denique, omnia in aliquot monumentis, ſive ſeorſim, ſive iunctim, efficta. Sed haec in libris indicatis ubique perſaepe conſpiciuntur. Nempe haec omnia aequipollent, ideoque in monumentis Christianorum antiquis inter ſe permutantur, ſuntqne ſemper tesſerae fidei et profesſionis ipſorum religioſae. Nonnumquam loco piscis, ipſas has literas ΙΧΘΤΣ in eorum monumentis expresſas videas, quae eamdem ſignificationem habent, quam A. Ω. Et literarum expresſarum uſum crediderim ego antiquiorem esſe uſu figurarum, quae rem eamdem quidem, ſed multo obſcurius et prorſus aenigmatice referebant, ubi tamen annulos ſemper excipio, quippe in quibus figurarum ſymbolicarum uſus est, ut norunt omnes, temporis antiquisſimi. Ceterum uſus huiusmodi et literarum et figurarum ſymbolicarum, ſi tempora ſpectes antiquiora, frequentior in Gemmis Gnosticorum Abraxeis, uti vocantur, apparet, quam in monumentis aliorum Christianorum Et cum Gemmae hae ipſae, certe quae ex iis antiquae et genuinae ſunt, referentes etiam literas has A. Ω., aetatem Alexandri ut plurimum antevertant, concedendum mihi erit, de antiquitate ſymboli huius inter Christianos dubitari iure non posſe.

§ 14. Postquam idoneis argumentis evictum atque conſtitutum est, mediam Gemmae nostrae figuram nihil aliud exhibere, quam Monogramma Christi; ſponte conſequitur, inſcriptionem, quae Monogramma in orbem circumdat, cum eo esſe coniun-

gendam, ut quae ſic demum ſenſum plenum et perſpicuum nobis offerat. Omnia igitur, quod ſupra monitum iam est, cum *Wildio* ſic legenda cenſemus: *Salus donata Alexandro, Mamaeae filio, luce Chriſti.* Non de nihilo est, *Alexandrum* hic appellari *Filium Mamaeae*, cuius rei pudere non poterat Principem, qui matrem ſuam usque ad vitae finem, incredibili veneratione, et maiori propemodum, quam decebat Imperatorem, proſecutus ſemper est. Itaque apud *Julianum* Imperatorem (*g*) Silenus ſibi temperare non potest, quin haec obiiciat Alexandro: *ὦ μωρὲ, καὶ μέγα νήπιε, τηλικοῦτος ὤν, οὐκ αὐτὸς ἦρχες τῶν σεαυτοῦ, τὰ χρήματά διδοὺς τῇ μητρί, o inſigniter ſtulte, qui cum ad tanti imperii maiestatem provectus eſſes, res tuas tamen gubernare non potuisti, ſed omnes facultates tuas matri concredidisti.* Nota ſatis ſunt, quae eamdem in rem, apud vitae eius ſcriptores, *Herodianum*, *Lampridium*, aliosque inſuper, pasſim leguntur. In Obſervationibus Gallicis illustris *Spanhemii* ad Caeſares Iuliani pag. 99, numisma viſendum [*] est, in quo exhibentur capita, hinc Alexandri Imperatoris, illinc Iuliae Mamaeae, addita hac inſcriptione: IMPERATOR ALEXANDER PIVS AVGVSTVS. IVLIA MAMAEA AVG. MATER AVG. Vides hic, Imperatorem ipſum *Mamaeam* in nummis imagini ſuae iunxisſe, eamque honoris cauſa voluisſe, aut certe pasſum esſe vocari *Matrem Augusti*; potestne igitur mirum cuiquam videri, quod ipſe In Gemma nostra appelletur *Filius Mamaeae.* Ex paucis, quae hac de re dicere mihi hic licuit, colligi non immerito potest, testiſicationem hanc obſervantiae et reverentiae, qua ſem-

(*g*) In Caeſaribus p. 313.

[*] Conf. Idem de P. et V. N. tom. II pt 299.

ſemper, etiam in monumentis publicis, matrem ſuam proſequi voluit, Alexandro Imperatori propriam fuisſe et plane peculiarem, quam ob rem dubitari tanto minus poteſt, Gemmam iſtam ad Alexandrum Imperatorem referri posſe et debere.

§ 15. Verum praeterea a ſcopo me non aberraturum esſe puto, ſi dixero, Chriſtianos, qui Gemmam hanc in honorem et memoriam *Alexandri* Imperatoris ſculpi curarunt, venerationem quoque, qua *Iuliam Mamaeam*, Imperatoris matrem, tamquam illuſtrem coetus ſui ſociam, proſecuti ſunt, una teſtari voluisſe. Non ſine gravi ratione, eruditorum permulti (*h*) ſibi perſuadent, foeminam hanc Auguſtam ſacris Chriſtianorum clanculum addictam fuisſe, eorumdemque amorem filio ſuo inſtillasſe. Eius certe rei inſigne documentum dedit, cum (*i*) ſub ultima vitae tempora, Antiochiae degens, *Origenem*, quo nemo inter doctores Eccleſiae Chriſtianae cunctos tum erat celebrior, ad ſe evocavit, ut cum ipſo de rebus, ad religionem ſpectantibus, ſermones conferre posſet. Haec mihi videtur cauſa fuisſe, cur *Euſebius*, poſtquam Alexandri Imperatoris mentionem unico tantum verbo fecerat, ſive quod de Chriſtianismo eius ipſi plane nihil conſtitisſet, ſive quod eum communionis cum haereticis hominibus ſuſpectum

(*h*) Videri hic posſunt les Mémoires de Mr. *de Tillemont* Tom. III p. 524, uti et Disſertatio *Frid. Spanhemii* Filii, de Iuliae Mamaeae temere credito Chriſtianismo, in Operibus Tom. II col. 400, quamquam illic ſententiam hanc oppugnet. Neque quemquam poenitebit, evolvisſe Disſertationem Celeberrimi *Zeibichii*, ſupra iam laudatam, § 23, 24, 25.

(*i*) Posſunt et hic conſuli les Mémoires de Mr. *de Tillemont* Tom. cit. p. 524. Adde notas ad eumdem Tomum p. 763 ſq.

ctum crederet, *Mamaeam* tamen (*k*) laudibus his condecorare aequum censuerit: *Porro mater Alexandri Imperatoris, Mamaea nomine, pia inprimis ac religiosa foemina*, etc. Diceres, *Lampridium*, cuius, quantumvis idolorum cultoris, diligentiae eximiae praecipua Christianismi indicia, quae in Alexandro observavimus, debentur, haec *Eusebii* verba prae oculis habuisse, cum de Mamaea (*l*) scriberet: *Cum* Alexander *puer ad Imperium pervenisset, fecit cuncta cum matre, ut et illa videretur pariter imperare, mulier sancta, sed avara atque argenti cupida.* Equidem Mamaeae virtutem et pietatem celebrarunt etiam alii scriptores exotici; sed credi tamen non sine magna probabilitatis specie potest, *Lampridium* ea, quae de propensa Alexandri voluntate in Christianos fere solus memoriae prodidit, sicuti et quae ad commendandam memoriam *Mamaeae* interspersit, in gratiam potissimum Constantini M., cui vitam Alexandri dedicavit, scripsisse.

§. 16. Pergimus nunc ad alia, quae in Gemma attentione nostra videntur digniora. Excutiendum igitur, quae sit *lux Christi*, qua salus Alexandro donata dicitur. Nam quae adversus hanc lectionem obiici possent, et ab illustri *Cupero* reipsa obiecta fuere, postea § 22 melius examinabuntur. *Lucem* vero poni pro *die*, scriptoribus Romanis usitatum et perquam familiare est. Ita *Ovidius* Fastorum Lib. IV v. 625:

Luce secutura tutos pete, navita, portus.

iterum v. 629:

Ter-

(*k*) Hist. Eccles. Lib. VI cap. 21.
(*l*) In vita Alexandri, cap. 14.

Tertia post Veneris cum lux ſurrexerit Idus.

et v. 901:

Sex ubi quae restant, luces Aprilis habebit.

Hinc opponuntur *lux* et *nox* apud *Ovidium* Heroid. ep. 13 v. 104, *anxia nox* et *anxia lux*, in eiusdem lib II Metamorph. v. 802. Ne quis fortasſe dicat, hunc vocis uſum esſe Poëticum, adiungam, *Ciceronem* in Orat. pro Milone cap. 35 ſcribere: *Centeſima lux est haec ab interitu P. Clodii*, et apud auctorem ad Herennium lib. IV cap. 36 legi: *Luce noctem, nocte lucem exſpectatis.* Erit igitur *lux Christi* idem, quod *dies Christi*, id est, dies honori et memoriae Christi Domini conſecrata. Nam etſi *lux* Latinis ſcriptoribus diem quemcumque generatim ſignificat, ſolent tamen voce hac libentius et frequentius uti, ubi ſermo est de diebus festis, ſacris, et religioni conſecratis. Ita vocem hanc adhibet *Propertius* Lib. II *Eleg.* I. v. 5:

Luce ſacra requiescat humus, requiescat arator.

et vs. 29:

Vina diem celebrent. Non festa luce madere
Est rubor. ——

Non dubito itaque, ſubinnui in Gemma diem, quem Christianorum pietas et religio ſacrum Christo Domino esſe voluit. Posſet ſane haud incommode intelligi feria hebdomados prima, quam, praeeunte *Iohanne* Apostolo, *Apocalypſeos* cap. I. 10. Κυριακὴν, ſive *Dominicam* appellare conſuevimus. Illa enim rectisſime diceretur *lux Christi*, quod exprimit *Grae-*

Graecorum ἡμέραν Κυριακὴν, qua significatur dies, memoriae Christi, ac speciatim gloriosae eius resurrectionis, dicata. Sed crediderim tamen, et credent mecum, opinor, alii quoque, festum hic designari aliquod prorsus solemne, adeoque anniversarium potius, quam vertente quavis hebdomade recurrens, qualia illo aevo in Ecclesia celebrari iam solebant. Vero itaque simillimum videri poterit, intelligi hic *Dominicam Paschatis*, qua solemus, redeunte quovis anno, recolere memoriam resurrectionis Christi e mortuis. eamque veteres solent appellare *reginam dierum*, *Festum salutis nostrae*, quod Gemmae, in qua *Salus* dicitur *donata Alexandro luce Christi*, pulchre convenire videtur. Vocatur et *Dominica gaudii*, *maxima dierum*, *prima et domina dierum*, *solemnitatum domina*, et quae sunt aliae huius generis denominationes, apud antiquos scriptores Ecclesiasticos passim reperiundae, et (*m*) a doctis antiquitatum Christianorum scriptoribus diligenter observatae atque congestae.

§ 17. In hac explicatione *lucis Christi*, tanto libentius acquiescerem, non ignorans, solemnitatem Paschalem, in Ecclesia Occidentali, fuisse quoque (*n*) baptismi administrandi tempus statum et solemne, nisi tot rationibus, quas infra § 20 sq. exponam, permotus, nunc certo intelligerem, Gemmam nostram ex officina Gnosticorum prodiisse, et ritus ipsorum coetibus proprios aperte prae se ferre. Illis autem, teste *Clemente Alexandrino* (*o*), dies

(*m*) Consuli hic poterunt *Casp. Suiceri* Thesaurus Ecclesiasticus, voce Πάσχα, col. 622, et *Ios. Binghami* Origenes Ecclesiasticae Lib. xx cap. v § 7.

(*n*) Vide *Binghamum* Lib. xi cap. vi § 7.

(*o*) Lib. i Stromatum p. 340 [p. 408.]

dies XI mensis Aegyptiorum *Tybi*, id est, VI *Ianuarii*, longe erat sanctissimus maximeque solemnis, quippe quo (*p*) memoriam nativitatis et baptismi Christi, et aliorum praeterea eius beneficiorum atque operum, religiose celebrabant, et cui etiam vigiliam nocturnam, lectione verbi et precibus transigendam, praemittebant. Postquam vero dies hic VI *Ianuarii*, primo quidem a Gnosticis, ac deinde etiam successu temporis, a tota quaquaversum Ecclesia Orientali, ut

(*p*) Videtur *Clemens*, prima fronte, hanc memoriam, die VI Ianuar. a Gnosticis celebrari solitam, ad solum baptismum Christi restringere. Nam postquam dixerat de die Nativitatis Christi, haec illico addit: *Οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου, καὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι. Basilidiani vero eius quoque diem baptismi celebrant*, diem nempe VI *Ianuar.* vel XI *Tybi*, uti mox deinde scribit. Verum recte ad mentem et verba *Clementis* attendenti, patebit facile, eum re ipsa memoriam nativitatis Christi, de qua paulo ante dixerat, minime excludere. Ait enim de Basilidianis, *καὶ τοῦ βαπτίσματος τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι*, quasi diceret, Basilidianos non *diem nativitatis* Christi tantum, sed etiam *baptismi* celebrare d. VI Ianuarii. Certum est praeterea, ex testimonio *Clementis*, Basilidianos omnium primos solemniter in Ecclesia celebrasse diem VI *Ianuarii*. Et valde verosimile est, ipsos solos solemnitatem hanc peregisse, in uno suo coetu, ultra seculum integrum. Deinde ab his demum, et satis sero, diei huius solemnitatem mutuata est Ecclesia Orientalis, idque paulatim et successive tota, forte quia credidit, sibique persuaderi sivit, consuetudinem hanc Gnosticorum solemnem et diuturnam niti traditione antiquissima, in coetu ipsorum conservata. Quia vero tota Ecclesia Orientalis die hoc VI. *Ianuarii*, quem a Gnosticis certissime mutuata est, junctim celebravit memoriam et nativitatis et baptismi Christi, videtur utique et hoc a Gnosticis accepisse. Argumentum illustratum videre etiam poteris, in Collectionis hujus Dissertatione I § 7, 8. [tom. III Opusc. p. 328 sqq.]

ut dies natalis Christi, celebrari solemniter coepit, merito vocari potuit *lux Christi*; ita enim dies natalis speciatim dici consuevit. Sic *Paulinus Nolanus* (q), loquens de natali Felicis Martyris, scribit Carmlne xxii:

Ista luce tamen nobis nobis pia gaudia laetum
Ver faciunt.

Carmine xxiii init:

Ecce dies nobis anno revoluta peracta
Illustrem Felicis nomine lucem.

et Carmine xxiv (*r*):

Lux huius natalis adest. —

Sicuti igitur *lux Felicis* hic idem est [*] atque *natalis* Fe-

(*q*) In Operibus *Paulini*, pag. 575, edit. Rosweydi.
(*r*) Ibidem pag. 598.

[*] *Lux natalis* apud *Ovidium* iii Fastor. 397 significat diem, qua quis natus est, non item in libris *Paulini* aliorumque Poëtarum et Scriptorum Christianorum, qui *diem natalem* intelligunt *diem martyrii*, sive tempus, quo Christiani mortem violentam obierunt. Vt uno duntaxat utar testimonio, ipse *Paulinus* Nolanus, Natali xiii v. 117 sqq. canit:

Et merito sanctis iste *Natalis dies*
Notatur, in quo lege functi carnea
Mortalitatis exuuntur vinculis,
Et in superna regna nascuntur Deo,
Secumque laetam spem resurgendi ferunt.
Ego semper istum sic honoravi diem,
Magis hunc putarem ut esse *Natalem* mihi,
Quam quo fuissem natus incassum die.

ad

Felicis, ita per *lucem Christi* quid vetat intelligere et huius natalem diem? Possumus quoque et hoc addere, Ecclesiam Orientalem eumdem huncce diem vocasse etiam ἡμέραν τῶν φώτων, *diem luminum*, cuius denominationis istam rationem reddit *Gregorius Nazianzenus* (*s*): *Etenim sanctus luminum dies*, — *quem hodie Divino beneficio celebravimus*, *initio quidem Christi mei*, *hoc est*, *verae lucis*, *omnem hominem in mundum venientem illuminantis*, *baptismum habet*: *meam autem quoque purgationem* (nempe per baptismum) *operatur*, etc. Quam denominationem si dies hicce, quod mihi vero perquam simile videtur, a Gnosticis accepit, nunc tanto melius intelligitur, quam eleganter *lux Christi*, in Gemma, nuncupatus fuerit.

§ 18. Nunc iam facile perspici potest, qualisnam sit illa *salus*, quam *Alexandro* donatam fuisse *luce Christi*, Gemma testatur. Non enim hic cogitanda aut valetudinis pristinae recuperatio, aut alius qualiscumque boni, corporei, caduci ac perituri, largitio; sed salus, quam Christus, in carne manifestatus, mundo peperit, et cuius credentes in eum, per fidem et baptismum, participes fiunt, *Marci* XVI. 16. *Baptismum* igitur *in aliquem conferre*, est, ut sty-

(*s*) Oratione XXXIX in initio [*].

---

ad q. l. *Muratorius* multa notavit tom. I Anecdotorum ex Ambrosianae Bibliothecae Codicibus p. 78, 79, atque in adiecta Dissertatione p. 195 sqq. Comparetur *C. Sagittarii* Dissertatio de Natalitiis Martyrum, recusa in Syntagmate I Dissertationum Philologicarum, curante *T. Crenio* Rotterod. a. 1699.

[*] In nova operum *Gregorii Nazianzeni* editione, quam debemus studio Monachorum Benedictinorum (Paris. 1778), tom. I p. 677, rectius Graeca Latine redduntur: *Sanctus luminum dies* — *originem quidem a Christi mei baptismate ducit*, cet.

ſtylo veterum utar, *ſalutem* alicui *donare*. Est enim baptismus, ſecundum *Augustinum* (*t*), *Sacramentum novae vitae*, *ac ſalutis aeternae*, vel ſecundum *Cyprianum* (*u*), *lavacrum aquae ſalutaris*, ex quo nempe acquiritur (*v*) *nativitas ſalutaris*. Eam ob cauſam *Cyrillus Hieroſolymitanus* asſerit (*x*), ad baptizatos pervenire *ſalutis non ſimilitudinem*, *ſed veritatem* Atque illud ipſum *Gregorius Nazianzenus* auditoribus ſuis continuo ante oculos ponit, quando ipſis omni mentis contentione perſuadere cupit, ut ad baptismi gratiam, ſublata quacumque mora, festinent (*y*). *Tibi ipſi*, inquit, *priusquam urgeat necesſitas*, *medere*; *tui ipſius miſerere*; — *tibi ipſi revera ſalutare medicamentum adhibe*. Et iterum (*z*): *Esto tardus ad omne malum*, *celer vero festina ad ſalutem*. Et interpoſitis quibusdam (*a*): *Temporis occaſionem arripe*: — *baptizare*, *et baptizatus ſalutem accipe* — *ſalutem conſequare*, *qua nihil ſublimius praeſtantiusque est*. Neque vero minus magnifica ſunt, quae de ſalutari gratia baptismi ſolent praedicare Gnostici, quod nos abunde docent (*b*) *Excerpta ex Theodoto Valentiniano*, *et doctrina Orientali*, quae Operibus *Clementis Alexan-dri*.

(*t*) Libro II contra Cresconium, cap. 13.

(*u*) Ad Donatum pag. 2 edit. Oxon.

(*v*) Epist. XIII pag. 29 eiusdem edit.

(*x*) Catecheſi Myſtagogica II num. VII p. 314 edit. noviſſimae.

(*y*) Oratione XL, Operum Tom. I p. 644.

(*z*) Ibid. p. 654.

(*a*) Eadem Orat. p. 656.

(*b*) In *Fabricii* Biblioth. Graeca Vol. V p. 174, 176 et ſq. §. 76, 77, 78.

drini [*] fubiici folent, et ex illius Hypotypofeων libris defumta esfe creduntur. Ea igitur fuit *falus donata Alexandro*, cuius monumentum exftare voluerunt Gnostici, aut forte Alexander ipfe, hanc Gemmam. Quam bene *falus* illa convenit *luci Christi?* Haec veteribus dici confuevit, quod monitum iam est, ἡμέρα τῶν Φώτων, *dies luminum*, illa Φωτισμὸς, *illuminatio*, quod in Orationibus *Gregorii Nazianzeni* XXXIX et XL toties legitur. Et erat in Ecclefia Orientali *lux Christi* natalis, five dies VI *Ianuarii*, folemne baptismi adminiftrandi tempus, quod, in Orationibus modo laudatis, *Gregorius* plus femel nos docet. Videtur autem Ecclefia illa et hoc accepisfe a Gnosticis, uti ab iisdem univerfam huius diei folemnitatem mutuata est. Exftant inter Gemmas Gnosticorum Abraxeas quaedam, quas non posfum non pro tesferis eorum baptismalibus agnofcere, et nifi me opinio vehementer decipit, videor mihi in una alterave mentionem invenisfe diei XI *Tybi*, vel VI *Ianuarii*, tamquam diei, quae, in coetibus Gnosticorum, folemnitati baptismali dicata esfet. Sed ea de re loco alio plura disferendi opportunitatem aucupabor, ubi Deus vitam, valetudinem et vires clementisfime indulferit et prorogaverit, et ubi maturius explorandis, digerendis, et poliendis meis de hoc argumento cogitationibus, idoneum tempus impendere licuerit [**].

§ 19.

---

[*] Tom. II Operum *Clementis Alex.* p. 966 fqq. ed Potteri.

[**] Pauca, eo pertinentia, monuit *Iablonskius* tom. II Opufculorum p. 273; plura fortasfe dicturus erat in commentario ad Gemmas Gnosticorum, quem promittit, cum infra p. 72, tum in Exercitatione de nominis *Abraxas*, vel *Abrafax*, vera et genuina fignificatione § 7, tom. VII Mifcell. Lipfienfium Novorum p. 75, 76. Commentarius tamen iste, quod fciam, numquam in lucem exiit, neque MS. ad me pervenit.

§ 19. Testatur itaque Gemma, Alexandrum Imperatorem, baptismo tinctum, eoque ſacris Christicolarum initiatum fuisſe. Sed pasſim, ubi res ita tulit, in ſuperioribus monui, coetum Christianorum, ad quem Imperator ſe adiunxit, fuisſe haereticorum Gnosticorum. Quod cum videri fortasſe posſit maiori adhuc luce indigere, argumenta, quae id mihi perſuaſerunt, ordine proferam, et in unum agmen congeram, ut de robore, quod iis inest, tanto certius iudicari queat. Et primo quidem, ſi vel indicia huius rei, quae nobis Gemma offert, tantisper ſeponamus, ea tamen nobis de Imperatore Alexandro refert nobilisſimus vitae illius ſcriptor *Lampridius*, ut vix aliis testimoniis opus esſe putem, qua de re ſatis dictum est § 9. Neque est, ut iis, quae dicta iam ſunt, plura addantur.

§ 20. Vbi deinde Gemmam, quam prae manibus habemus, curatius et ſtudioſius contemplamur, illa, quae medium locum occupat, figura Monogrammatis Christi, cum additis literis A et Ω, novum documentum oculis meis ingerit. Non quidem nescius ſum, quod ipſe § 12 et 13 pluribus urſi, notam hanc fidei Christianorum, in permultis eorum monumentis antiquis, hodieque conſpici; ſed non potui tamen non ibidem monere, viris eruditis dubium videri, posſintne literae hae A et Ω, quando tesſeram fidei Christianae exhibent, reperiri in monumento, quod aetatem Alexandri Imperatoris attingat. Et certe, quamvis ſymbolicae huius generis tesſerae Christianismi reperiantur aliae, et a genio illius aevi in univerſum alienae non ſint, neſcire me tamen fateor, num detur aliquod tantae aetatis monumentum, ad Christianos *Catholicos* pertinens, ubi literae illae, de quibus nunc disputamus, pictae aut ſculptae deprehendantur. Sed monumenta *Gnosticorum*, aetatem Alexandri non modo contingentia, verum etiam

ex-

excedentia, ostendere bene multa possum, in *Gemmis* nempe *Abraxeis*, quae literas has A. Ω. complectuntur, et non sine affectatione aliqua saepius repetunt. Verum id quidem, ne in nimium excrescat haec Dissertatio, alii loco et tempori reservare me oportet. Et ne quis mihi obiiciat, me explicationem meam *Gemmarum Abraxearum*, quas pro monumentis Christianorum Gnosticorum haberi velim, aliis invitis, citra idoneam rationem, obtrudere, addam scriptores Ecclesiae vetustos, qui idem observarunt, quique propterea crebriorem et affectatum quemdam literarum A. et Ω usum Gnosticis, ceu ipsis proprium, obiecerunt. Ex his duos tantum seligam, *Irenaeum* et *Tertullianum*, utrumque Alexandro Imperatore antiquiorem, sed quibus tamen usus symbolicus harum literarum, in scholis Gnosticorum, ignotus haud fuit. *Tertulliani* haec sunt verba (*c*): *Non defuerunt post hos*, Valentinum, Ptolemaeum, Secundum et Heracleonem, Gnosticos, *Marcus quidam et Colarbasus, novam haeresin ex Graecorum alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse literis inveniri; imo totam plenitudinem et perfectionem veritatis in istis literis esse dispositam. Propter hanc enim caussam Christum dixisse: Ego sum* A *et* Ω. *Denique Iesum Christum descendisse, id est, columbam in Iesum venisse, quae Graeco nomine quum* περιστερὰ *pronuncietur, habeat secundum numerum* DCCCI, quot

(*c*) Auctor appendicis ad *Tertullianum* de Praescriptione haereticorum p. 253. Equidem docti plerique appendicem hanc abiudicant *Tertulliano*; sed optimi talium rerum arbitri censent tamen, eius auctorem illi esse coaevum. Ita *Pagius* ad A. C. 171 num. IV et Abbas *de Longerue* in Dissertat. de origine haeresium Valentini, Cerdonis et Marcionis p. 273.

quot numeros nempe conficiunt etiam A. et Ω. Paria habet *Irenaeus*, ut videri possit, ex eo id accepisse *Tertullianum*. Verba *Irenaei* (*d*) adscribo: Iesus *habebat in se omnem elementorum numerum, quem manifestavit, cum ipse venisset ad baptismum,* ἡ τῆς περιστερᾶς κάθοδος, ἥτις ἐστὶν Ω καὶ Α, ὁ γὰρ ἀριθμὸς αὐτῆς, μία καὶ ὀκτακόσιαι, *columbae* (περιστερᾶς) *descensio, quae est* Ω *et* A. Περιστερὰ *enim conficit* DCCCI. Et alio loco (*e*): Dicunt *Iesum constare ex omnibus numeris, et propter hoc* A *et* Ω *vocari eum.* Satis ex his, ut alia taceam, apparet, A. et Ω. signum Gnosticis fuisse mysticum, idque eos non modo pictis ipsis his literis expressisse, sed adhuc aenigmatice magis, picta columba, quia nempe vox Graeca, columbam designans, περιστερὰ, si literarnm singularem valorem in numerando spectes et computes, producit DCCCI, quam summam efficiunt pariter literae A. Ω. Addere his liceat, spectare huc quoque celebratissimum Gnosticorum IAO, vel IAΩ, cuius nominis πολυθρυλλήτου veram rationem assecuti non videntur eruditi. Nihil enim aliud, nisi hoc significat: *Iesus* (qui est) A *et* Ω.

§ 21. Si nunc porro animum advertamus ad *lucem Christi*, cuius memoriam in Gemma Alexandri celebratam vidimus, an non sua sponte cuivis talis oboritur cogitatio, per illam apposite maxime intelligi natalem Christi, quo is mundi lucem primam adspexit, et quo postea beneficii huius commemorationem instituere voluit Ecclesia. Cum vero certum et in confesso sit, commemorationem hanc, in Ecclesia antiquiori, ubivis institutam fuisse d. vi *Ianua-*

(*d*) Lib. I contra haereses cap. XIV § 6, [ed. Massueti, sed in Grabiana I. 10. 4].
(*e*) Lib. eodem cap. XV § 2. Vide et § 1.

nuarii, non minus certum et hoc est, diei istius solemnitatem omnium primos celebrasse Gnosticos, quippe quod testantem *Clementem Alexandrinum* vidimus § 17, eo tempore, quo solis adhuc Gnosticis dies ille festus erat. Neque etiam credo, ullo idoneo argumento probari posse, tempore Alexandri Imperatoris, praeter Gnosticos, fuisse in Ecclesia universa alios, qui diem illum religiosa celebritate colerent. Vti vero aevo illo, quo sculpta est Gemma nostra, Gnosticis adhuc proprium erat, celebrare natalem Christi, et quidem d. VI *Ianuarii*, ita ad illos quoque pertinuisse putandum est, credentibus eodem hoc die, seu *luce Christi*, *salutem donare*, quod in Gemma legimus, id est, eos per baptismum Christo et Ecclesiae devovere. Romae ceteroquin scimus, apud *Catholicos*, solemnitati huic baptismali aliud statutum fuisse tempus, festum nempe Paschatis. Et quamvis in Oriente mos ille, acceptus ut auguror a Gnosticis, ut in Festo *Theophaniae*, vel natalium Christi, baptismus solemniter administraretur, aliquamdiu servatus fuerit, labente tempore tamen successive sublatus est, forte, quod haec subiret animos cogitatio, institutum id deberi haereticis. *Leo M.* certe, Episcopus Romanus, cuius cum Priscillianistis, de grege Manichaeorum et Gnosticorum, certamina diuturna in historia Ecclesiastica illustria sunt, hac de causa sancivisse videtur (*f*), ne posthaec in Festo Epiphaniae Baptismus celebraretur, quod, uti credo, a temporibus Marcellinae, foeminae gregis Carpocratiani, hinc inde in Italia, Sicilia et Hispania obtinuerat Decreverat autem idem ante Leonem *Siricius*, qui Ecclesiam Romanam rexit ab

(*f*) *Leo M.* in Epistola XVI, quae est ad universos Episcopos per Siciliam constitutos cap. I, II usque ad VII, pag. 462 sqq. edit. Quesnelli.

ab anno 384 ad a. 398, in *Epistola* (g) *ad Himerium Tarraconensem*, in Hispania, *Episcopum*, sed hunc eadem ratio, quae postea Leonem, ad id videtur impulisse. Nam et ipsi certamina intercessisse cum Manichaeis (*h*), in vita eius observatur. Et eius tempore haeresin Priscilliani turbas in Ecclesia plurimas concitasse, ex historia Ecclesiastica discitur. Neque hoc quoque omittendum est, me, perpensis diligenter momentis omnibus, aliter existimare non posse, quam Gemmam nostram monumentum esse, conditum in memoriam baptismi Alexandri Imperatoris, ipsique postea eo fine donatum, ut esset tessera communionis ipsius cum Ecclesia Christiana. Hanc esse ut plurimum veram indolem, hoc ingenium proprium Gemmarum, quae dicuntur *Abraxeae*, illarum certe, quae sunt antiquiores et genuinae, mihi iam dudum persuasi, idque in peculiari de Gemmis his [*] Commentatione, aliquando, si necessaria subsidia non defuerint, ad liquidum perducere conabor. Eumdem vero ritum inter Catholicos observatum consimiliter fuisse, certo indicio aut argumento comperire hactenus non potui, quamvis Gemmae ipsorum annulariae, de quibus ex *Clemente Alexandrino* dictum est § 13, ad baptismi gratiam alludere solerent.

§ 22. Non inficias eo, pracipuum robur eorum, quae in superioribus adstruxi, situm esse in lectione et interpretatione Gemmae nostrae, quam aut secu-

(*g*) In Conciliorum Collectione Labbeana Tom. II col. 1017 sqq. [in *Mansiana* tom. III. p. 656.]

(*h*) Videri potest Liber Pontificalis in Siricio, in eadem Collectione Labbeana Tom. II col. 1015, 1016, et ibidem notae *Severini Binii*. [apud *Mansium* t. III p. 654.]

[*] Vid. annotatio ad § 18 pag. 67.

cutus sum, aut ipse suppeditavi. Neque etiam me fugit, esse viros excellenti doctrina ornatos, qui verba Gemmae alio modo legant, et in alium sensum interpretentur. Amplissimum *du Fresne* verba in initio Gemmae sic legere: SAL. DO. N. ALEX, id est, *salus Domino nostro Alexandro*, et hanc eius lectionem plane probari illustri *Cupero*, intelligi potest ex § 19. Idem quoque *Cuperus* vocem hanc LVCE interpretatur LVCEBIT, quae lectio sane omnes meas observationes uno ictu conficit. Equidem, quia dissertatio amplissimi *du Fresne* mihi iam praesto non est, dicere nequeo, an ad stabiliendam lectionem suam attulerit aliqua argumenta, et cuiusnam illa sint generis. Sed quidquid sit, nihil certe pro firmanda lectione virorum doctorum melius vel opportunum magis adduci posse reor, quam inscriptionem duorum nummorum Constantii et Decentii, qui a *Choulio* (*i*) prolati cernuntur. In utroque nummo visitur primo Monogramma Christi, medium locum occupans, adscriptis ab utroque latere literis Graecis A. Ω. In margine vero nummi inscriptio haec Monogrammati in orbem adiecta legitur: SALVS DD. NN. AVGG. LVCET, quae sine dubio ita est legenda: *Salus Dominis nostris Augustis lucet.* Haec autem inscriptio multis videbitur, quod facile intelligo, clavis optima explicandae etiam Gemmae nostrae. Verum ab illis ego non possum non dissentire. Et primo quidem, quando in nummis adductis Constantius et Decentius nuncupantur *Domini nostri*, id profecto ad Gemmam hanc trahi omnino non potest. Non enim in ea legitur D. N. vel DO. N., *Domino nostro*, sed SAL. DON., id est., *Salus Donata*, uti in Thesauro *Wildii*

(*i*) De veterum Romanorum Religione p. 182 versionis Belgicae [Latinae p. 156].

dii accurate depicta et edita est. Porro de Alexandro luculentum habemus testem *Lampridium* (*k*), eum *Dominum se appellari vetuisse*. Hoc igitur nomine se vocari Alexander passus non fuisset in nummis publicis, et omnium minime in monumento suae ad sacra Christianorum initiationis. In universum observavit vir in hisce literis princeps *Ezech. Spanhemius* (*l*), *primum*, qui in nummis vocari se siverit *Dominum nostrum*, occurrere Aurelianum Imperatorem. Manet igitur in tuto lectio Gemmae nostrae *Wildiana*. Reliqua in nummis Imperatorum maiorem in ea convenientiam prae se ferunt. Verba SALVS. AVGG. LVCET. sunt utique nota professionis Christianae in nummis Imperatorum apud *Choulium*, essentque etiam in Gemma *Wildiana*, ad Alexandrum pertinente, si eadem verba hic invenirentur. In verbis SALVS LVCET, nempe Imperatoribus Constantio et Decentio, respici videtur ad crucem, quae Constantino M. in coelo apparuisse et vere luxisse perhibetur Sed de Alexandro legimus in Gemma SALVS. DON. ALEX. LVCE, quae constructio imperfecta et manca, ut quisque intelligit, sensum plenum tunc demum accipit, cum ex Monogrammate additisque literis vox LVCE sic suppletur, LVCE CHRISTI, QVI EST A. ET Ω.

§ 23. Supersunt adhuc difficultates nonnullae, quae totam hanc rem, de Christianismo Alexandri Imp., non mediocriter suspectam aut valde dubiam reddere videantur, et quas in universum tacitus praetermittere non possum. Occurrit enim, primo loco, silentium in causa tanti momenti altissimum scripto-

rum

(*k*) In vita illius cap. 4.

(*l*) Diss. VIII de Praestantia Numismatum p. 729 edit. in 4to [tom. II p. 584 sq.]

rum Christianorum omnium, tam illius aevi, quo vixit *Alexander*, quam aetatis insecutae. Magna est testium antiquorum turba (*m*), qui persuadere nobis conantur, *Philippum* utrumque, patrem et filium, Imperatores Romanos, Christo nomen dedisse; quamvis ea in re fidem ipsis habendam esse minime censeam: sed ne unus quidem hactenus produci potuit, qui de *Alexandro* tale quid asseveraverit. Praecipua vero Christianismi, quem in *Alexandro* observamus, indicia nobis subministrat scriptor vitae eius ethnicus. Equidem id non diffiteor; sed nec difficile adeo fuerit, causas silentii, quod hac in causa servarunt scriptores Ecclesiastici, probabiliter investigare. Erat *Alexander* addictus coetui Gnosticorum, et quidem clanculum. Nihil impedit, quo minus dicamus, latuisse hoc Catholicos. Scimus enim ex testimonio veterum, Gnosticos de re nulla tam fuisse sollicitos, quam ut res suas celarent alios, utque illae suis tantum amicis errorumque sociis cognitae ac bene perspectae essent. Si vero aliquid de isto negotio ipsis suboluisset, id omne tamen tale profecto erat, aut esse ipsis videbatur, ut aeterno silentio premi satius putaretur a Catholicis prudentioribus et Gnosticorum adversariis. Mihi potius vicissim silentium scriptorum Ecclesiasticorum de Imperatore, qui tantam semper Christi religionisque ab eo propagatae reverentiam prae se tulit, qui professores religionis Christianae tot beneficiis sibi devinxit, qui quavis occasione tantopere ipsis favere deprehenditur, aliquid arcani et nescio quibus suspi-

(*m*) Illos nominatos vide a *Frid. Spanhemio* in Historia Christiana seculi III p. 701, et in Dissertatione peculiari de Christianismo Philipporum § 3, tom. IV Operum p. 406, 407.

ſpicionibus obnoxii alere videtur. Accedit, argumentum ductum e ſilentio ſcriptorum Christianorum non eam habere vim et auctoritatem, quam habet apertum ſcriptoris ethnici testimonium, de quo ſupra dictum fuit.

§ 24. Longe maioris momenti credi posſit argumentum aliud, deſumtum a rebus ab *Alexandro* Imp. gestis, et a nummis, nomine eius conſignatis. Nam quod ad res ab eo gestas attinet, inter multa praeclara ipſius facta etiam talia commemorari videmus, quae cum profesſione fidei Christianae non bene conciliari posſe exiſtimantur. In laudibus eius ponit *Lampridius* cap. 22: *Pontificibus tantum detulit et quindecim viris atque auguribus, ut quasdam cauſas ſacrorum, a ſe finitas, iterari et aliter diſtingui pateretur.* Idem de eo etiam hoc refert cap. 41: *Gemmarum quod fuit, vendidit, et aurum in aerarium contulit, dicens, Gemmas viris uſui non esſe; matronas autem regias contentas esſe debere uno reticulo, atque inauribus, et baccato monili, et corona, cum qua ſacrificium facerent.* Id vero Imperatorem de propria uxore intellectum voluisſe, ut coronata diis ſacrificaret, docent ea, quae ibidem mox ſequuntur: *Imitati ſunt eum magni viri, et uxorem eius matronae pernobiles.* Sunt et haec eiusdem auctoris de *Alexandro* verba cap. 43: *Capitolium ſeptimo die, cum in urbe esſet, adſcendit, templa frequentavit.* Quae omnia profecto ſatis ſuperque testantur, *Alexandrum* templa deorum populi Romani frequentasſe, et ſacra eorum procurasſe: cuius rei praeterea hodienum exſtant monumenta numquam peritura, nummi Imperatoris huius nomine ſignati et in honorem ipſius cuſi. Apud *Choulium* (*n*) nummus

(*n*) Lib. cit. pag. 38 [35 verſ. Lat.] Similem relatum quoque videmus a *Vaillantio* Tom. I pag. 142.

mus *Alexandri* exhibetur cum effigie *Iovis* ſedentis in templo, addita hac inſcriptione: IOVI VLTORI P. M. TR. P. III COS. II. Alius *Alexandri* nummus apud eumdem (*o*) occurrit, IOVI PROPUGNATORI conſecratus. Est etiam illius nummus apud *Vaillantium* (*p*), inſcriptus MARTI VLTORI. Ne iam plura huiusmodi congeram [*].

§ 25. Nullus diffitebor, haec modo in medium allata inſigni prorſus ſpecie iis adblandiri poſſe, qui *Alexandrum* in castris Gentilium vixiſſe et usque ad vitae exitum permanſiſſe contendunt, atque ea etiam ita comparata eſſe, ut vel doctiſſimis quibusque id ipſum perſuadere queant. Sed ſi tamen cum his priora, quae ſupra disputavi, confero et omnia lance aequa expendo, non poſſum non aliter iudicare et ab iis diſſentire. Alexandrum opinor Christo vere nomen dediſſe, et coetus quoque Christicolarum religioſos frequentaſſe, ſed eos clandestinos, in domo ſua, noctu, aut horis ſive antelucanis, ſive ſaltem matutinis, tunc celebratos, de quibus § 7, et interea tempus, quo id ipſum liberius ac ſecurius facere poſſet, caute aucupatum fuiſſe, quod ſane ab ingenio Gnosticorum haudquaquam abhorret. Quis non ex eo, quod Christo templum erigere publicum, eum inter Deos Romanorum recipere decreverit, et ea de re ad Pontifices retulerit (§ 6), ſubodoretur, eum animos Romanorum ſuper eo nego-

(*o*) Pag. 58 [52].
(*p*) Tom. I pag. 1 4.

[*] In variis Alexandri numis, apud *Mediobarbum* l. c. p. 138 ſqq. mentio ſit Iovis *Conſervatoris*, *Vltoris*, *Propugnatoris*, *Victoris*, Martis *Vltoris*, *Paciferi*, *Propugnatoris*.

gotio pertentare voluisse? Dum igitur Imperator dissimulare rebus suis, et forte etiam Christianorum, consultum adhuc duxit, haud potuit ea in universum negligere, quae ad religionem Romanorum avitam spectabant, nisi aut imperio decedere, aut capiti suo metuere continuo vellet. Norunt enim omnes, a temporibus inde Iulii Caesaris et Augusti Imperatores Romanos cum maiestate imperii semper Pontificatum maximum coniunxisse, et sacrorum populi Romani non minus, quam reipublicae supremos moderatores fuisse. Ipsi Imperatores Christiani dignitatem Pontificis Maximi tam sibi necessariam tantique ponderis iudicarunt, ut ad Gratiani usque tempora ea se abdicare non auderent. Habetur in Codice Theodosiano (*q*) Constitutio Constantini M., in qua anno 321 ceu Pontifex Maximus quaedam circa haruspicinam Romanorum sancit, religioni et superstitionibus populi istius consona, quamvis ipse iam dudum sacra Christianorum probasset et publice celebrasset. Si id fecit Constantinus, Christianus, talisque ab omnibus agnitus; quis dubitare possit, fecisse idem quoque, sicubi res id exigeret, Alexandrum Severum, qui tamen ceteroquin, uti in vita eius observavit *Lampridius* (*r*), omnia vehementissime contemsit. Itaque a consultationibus Pontificum de rebus sacris abesse non potuit, sententiam suam etiam dixit, sed, quanti haec omnia faceret, satis eo declaravit, quod ab opinione sua in his discedentes animo aequissimo ferret, animadvertente et hoc *Lampridio* (*s*). Non magis licuit ipsi a Capitolio et sacris solemniter celebratis abesse, etsi id, cum

(*q*) Lib. XVI Tit. X §. 1.
(*r*) Cap. 60.
(*s*) Cap. 22.

cum omnino religioni Romanorum dandum esset, facere consuevit septimo quovis die, quod utique ritus Christianorum sapere videtur. Multo minus prohibere potuit, quo minus nummi, publica Senatus auctoritate, aut ex consuetudine populorum vel urbium percussi, et indicia superstitionis Romanae prae se ferentes, nomine eius signarentur. Haec omnia neminem turbare aut morari poterunt, qui meminerit, *Alexandrum* fuisse eo ipso, quod Imperator esset, etiam religionis Romanae Pontificem Maximum, et voluisse professionem suae religionis modis omnibus occultare.

EXERCITATIO [*]

DE

NOMINIS ABRAXAS, VEL ABRASAX, IN PLERISQVE BASILIDIANORVM ET GNOSTICORVM GEMMIS OBVII, VERA ET GENVINA SIGNIFICATIONE.

§ 1. *Nomen Abraxas, celebratissimum hactenus, nondum recte et plene explicatum fuit.*

Nomine *Abraxas*, vel *Abrasax*, etsi obscuro, minusque intellecto, iam pridem nihil celebratius est.

[*] Exstat in Miscellaneis Lipsiensibus Novis vol. VII part. I pag 63—99, sed cum aliqua lectionis varietate. Laudavit hanc *viri egregii pereruditam* dissertationem *Moshemius*, monens tamen, *Iablonskium* multa in ea scripsisse non aeque certa et firma, atque ingeniosa et pia. Vid. Commentar. de rebus Christianorum ante Constantinum M. p. 347—349. In Institutionibus Hist. Eccl. p. 191 sententiam suam non mutavit *Moshemius*, addidit vero, celebres Gemmas, quas vocant *Abraxeas*, postulare adhuc eruditum, sed cautum etiam et providum interpretem, atque animadvertit, vocabulum *Abraxas* sine dubio apud Aegyptios ante aetatem Basilidis usitatum fuisse. Nihil de usu istius vocis Aegyptiaco *Iablonskius* dixit in Glossario, nihil ipse monui in Auctario vocum, recte aut secus pro Aegyptiacis habitarum, tom. I horum Opusculorum. Conf. autem § II huius dissertationis.

est. Nec est quisquam, qui historiam Ecclesiae primitivae vel a primo tantum, quod aiunt, limine salutaverit, cui nomen illud ignotum esse queat. Nam et antiquissimi Ecclesiae Christianae scriptores, ubi Gnosticorum, ac sigillatim Basilidianorum, haeresin attingunt, nominis istius mentionem faciunt plurimam, et in Gemmis illis, quas ex officina istorum haereticorum profectas esse, crediderunt eruditi huc usque paene omnes, quarumque collectiones amplissimas ediderunt *Ioannes Chifletius* [*] et *Bernardus de Montfaucon* [**], nomen idem illud toties legitur, ut ab eo Gemmae ipsae non raro *Abraxeae* nuncupari consueverint. Et tamen neque a vetustis historiae haereticae compilatoribus, neque a recentiorum quoquam, nomen tam celebre ita explicatum fuit, ut eruditi et cordati rerum aestimatores in explicationibus illis acquiescere potuerint. Quare, cum in vera nominis huius interpretatione non parum utique situm sit, tum ad haeresin Gnosticorum pernoscendam, tum ad indolem et ingenium Gemmarum Abraxearum diiudicandum, operae pretium me facturum esse spero, si in rem hanc, attento eruditorum examine non indignam, paulo diligentius inquisivero. Vt autem argumento huic ab omni parte, quantumvis breviter, satisfiat, primo quidem originem nominis huius πολυθρυλλήτου constituam, deinde vero ad eruen-

[*] Antverpiae a. 1657 prodiit *Ioannis Macarii* Abraxas, seu Apistopistus; quae est antiquaria de Gemmis Basilidianis disquisitio, commentario illustrata a *I. Chifletio.*

[**] In Antiqq. expl. tom, II part. 2. liv. 3 chap. 5. Conf. eiusdem Palaeographia Graeca p. 177 sqq. Non paucae eiusdem generis Gemmae sunt in *A. Gorlaei* Dactyliotheca, cum succincta singularum explicatione a. 1694 et 1695 edita a *Iac. Gronovio*, qui ipse exemplo, quod penes me est, emendationes et observationes plurimas adscripsit.

eruendam genuinam illius significationem operam meam qualemcumque conferam.

§ 2. *Nominis huius architecti non alii fuere, quam Gnostici.*

Quaestionem de vera origine nominis *Abraxas* intactam hic praetermittere non possum. Quamvis enim vulgo ad hanc nostram usque aetatem creditum fuerit, originem illam ingenio Gnosticorum, ac sigillatim Basilidianorum, unice deberi; aliter tamen visum est viris quibusdam eruditis, cumprimis vero praestantissimo illi, nunc beato, Theologo, qui Historiam *Manetis* et haereseos Manichaeae, in qua doctrinae exquisitae copia cum iudicii ἀκριβείᾳ, et ingenii elegantia, semper de palma certat, haud ita pridem edidit. Is in opere illo laudatissimo (*a*) sibi persuasit, nomen *Abraxas*, non somniis Gnosticorum, sed Aegyptiorum gentilium superstitioni, in acceptis ferendum esse, et Gemmas, quas dicere solemus *Abraxeas*, ut plurimum non a *Basilidianis*, aut aliis Gnosticorum gregalibus, verum ab Aegyptiis idololatris, et forte diu ante Christi aetatem, sculptas fuisse, idque, ratione non una, adstruere nobisque approbare annisus est. Nec desunt viri eruditionis fama florentes, qui sententiae huic Viri doctissimi subscribant, eamque aliis quoque etiam atque etiam commendent. Vniversum hoc argumentum pluribus nunc excutere, et ab omni parte versare, non licet; quare hic nomini *Abraxas* unice inhaerebo, idque rationibus non inidoneis palam faciam, non Aegyptios ethnicos, verum Gnosticos Chri-

(*a*) Histoire de Manichée Liv. IV Chap. IV Tom II pag 50, 51 etc.

Christianos, qui Iesum Nazarenum, tamquam Messiam a Deo promissum, verumque hominum redemtorem, summa religione colebant, nominis huius architectos fuisse.

§ 3. *Id probatur testimonio unanimi Patrum, et quidem* 1 *Graecorum.*

Et primo quidem causam nostram non parum iuvat, quod illi ipsi, a quibus nominis *Abraxas* notitiam accipimus, venerabiles Ecclesiae primitivae doctores, ad unum omnes, *Basilidem* illius auctorem et artificem fuisse, testentur. Rem assero eruditorum nemini ignotam; sed quam tamen sine causae meae detrimento tacitus praetermittere non possum. Paulo obscurius rem hanc sustinuit *Agrippa Castor*, scriptor seculi II egregius, et *Basilidis* aequalis, qui apud *Eusebium* Hist. Eccles. Lib. IV cap. 7 observat, *βαρβάρους αὐτοῖς εἰς κατάπληξιν τῶν τὰ τοιαῦτα τεθηπότων ἐπιφημίσαι προσηγορίας*, eum rebus *barbara quaedam nomina imposuisse ad percellendos eorum animos, qui huiusmodi rerum admiratione capiuntur.* An non tale nomen est *Abraxas?* Simile omnino illis Prophetarum, quos sibi *Basilides* confinxisse illic perhibetur, *Barcabas*, et *Barcoph*, nominibus. Sed aperte, et citra omnes ambages id, quod dicebamus, affirmat *Irenaeus*, scriptor antiquitatis omnis non leviter peritus, et qui eodem, quo *Basilides*, seculo et vixit et floruit. Nam de *Basilide*, eiusque discipulis, haec refert Lib. I adv. haer. Cap. XXIV § 7, edit. ultimae: *Trecentorum autem sexaginta coelorum locales positiones distribuunt, similiter ut Mathematici. Illorum enim theoremata accipientes, in suum characterem doctrinae transtulerunt, esse autem principem illorum*

'Αβράξας. Consimiliter *Epiphanius* Haeresi XXIV § 7 de *Basilide* haec habet: *Ex virtute et sapientia ait potestates et virtutes et angelos prodiisse. Sed his omnibus superiorem quamdam virtutem statuit ac principium, quod* 'Αβρασὰξ, *Abrasax, appellat.* Eodem auctor hicce videtur respicere, quando § 2 observat, *Basilidem angelis suis histrionico more certas appellationes indidisse.* Nam *Abraxas* erat, uti intelleximus, secundum *Basilidem*, Angelorum Princeps. Non aliter *Theodoretus*, vir omni doctrina mirifice perpolitus. Nam et is de *Basilide* scribit Fabul. haeret. Lib. I cap. 4, quod *Angelorum nomina confinxerit — hisque Principem praefecerit Abrasax.* Docent igitur scriptores hi, *Basilidem* nova et inaudita angelorum nomina fabricasse, illisque Principem constituisse, quem vocavit *Abrasax.* Alios ecclesiae Graecae scriptores, qui hos fere tantum sequuntur, nunc brevitatis amore libens omitto.

§ 4. *Atque 2 etiam Latinorum.*

Testimoniis his scriptorum Ecclesiae Graecae adiungamus quaedam Latinorum, sed ex antiquioribus. In his est Auctor vetustus Appendicis ad *Tertulliani* librum de Praescriptione haereticorum, qui cap. 46 ista scribit: *Basilides esse dicit summum Deum nomine Abraxan.* Et pauculis interpositis: *Et mundum in honore Abraxae, cuius nomen hunc in se habebat* (forte *habeat*) *numerum computatum*, nempe 365. Et rursus: *Christum autem non ab hoc, qui fecerit mundum, sed ab illo Abraxa missum, venisse in phantasmate.* Auctori huic iungo *Augustinum*, cuius de nomine *Abraxas* verba haec leguntur in libro adv. haer. cap. 4: *Basilides trecen-*

tos

tos sexaginta quinque coelos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Vnde etiam quasi sanctum nomen commendabat, quod est Ἀβραξάς; *huius nominis literae, secundum Graecam supputationem, eumdem numerum complent.* Similia leguntur apud Auctorem *Praedestinati*, a *Sirmondo* editum, Lib I num 5. Verba ipsa hic apponere quid vetat? *Tertia haeresis Basilidianorum. Hi* 365 *coelos esse dicunt, et Deum horum coelorum Abrasax commemorant.* Tacere non possum, nominis huius plurimam inprimis mentionem reperiri apud *Hieronymum*, Patrum Latinorum doctissimum. Verum et is aliam illius originem invenire non potuit, quam eam, quam ante ipsum tot egregia ecclesiae praesidia prodiderunt. In *Amosi* cap. III (Opp. Tom. III col. 1392 edit. Benedictin.) ea de re hunc in modum scribit: *Basilides omnipotentem Deum portentoso nomine appellat Abraxas: et eumdem secundum Graecas literas et annui cursus numerum dicit in Solis circulo contineri: quem ethnici sub eodem numero aliarum literarum vocant Mithram.* Nihil clarius dici potuit. Ait enim, *Basilidem* nomine *Abraxas* id ipsum innuere voluisse, quod ethnici alio nomine, sed idem valente, *Mithra* significarunt. Nam ΜΕΙΘΡΑΣ non secus atque ΑΒΡΑΞΑΣ numeros continet 365. Idem *Hieronymus* Comment. in Nahumi cap. I (Tomo eodem col. 1565): *Nonne contra Deum cogitatio est Basilidis impudica, et portentosum* Ἀβραξὰς *nomen, quod praefertur Domino conditori.* Alio loco idem, adversus Luciferianos, Tom. IV Part. II col. 304: *Tunc*, inquit, *Basilides summum Deum Abraxas cum trecentis sexaginta quinque Aeonibus commentatus est.* Quid opus est pluribus? Tanta est, tamque mirifica, veterum omnium in eo consensio, ac veluti

cónſpiratio, *Baſilidem*, gregis Gnosticorum ductorem inclytum, nomen illud decantatum *Abraxas* omnium primum excogitasſe, illiusque uſum in eccleſiam ſuam invexisſe.

§ 5. *Baſilides Gnosticus non tantum nomen Abraxas frequenter adhibuit, verum illud etiam primus excogitavit.*

Posſet tamen cuipiam forte in mentem venire, *Baſilidem* quidem nomen *Abraxas* in Theologiam ſectae ſuae invexisſe, ſed acceptum a multo antiquioribus Aegyptiis ethnicis. Verum enim vero, an non haec precario, ſine ulla idonea ratione, et absque fundamento ſolido, asſerentur? Ante Gnoſticorum aetatem vox haec prorſus inaudita fuit, cuius ne vestigium quidem ullibi a quoquam oſtendi potuit, cum contra post tempora *Baſilidis*, qui ea primum uſus est, mentio illius, et in veterum libris, et in Gemmis Gnosticorum, dictis ideo *Abraxeis*, usque adeo crebra occurrat. Et ſcriptores illi Eccleſiastici, quorum testimonia § 3 et 4 congesſi, ſatis ſubinnuunt, *Baſilidem* non modo uſum nominis *Abraxas* in Theologiam gregis ſui transtulisſe, ſed et ipſum potius vocis huius antea non auditae auctorem et fabricatorem exſtitisſe. Verba praeſertim *Hieronymi*, adducta § 4, luculenta ſunt, et dubio locum nullum relinquunt. Sed ita tamen pari iure de reliquis etiam Patribus dici potest ac debet. Et obſervatione noſtra hic indignum non est, quod ſcriptores Eccleſiastici, ubi ipſis Gnostici viſi ſunt quaedam ex gentilium disciplina in ſectam ſuam induxisſe, id non indiligenter monere ſoleant. Ita v. c. *Agrippa Castor*, apud *Euſebium* Lib. IV cap. 7, de *Baſilide* hoc monet: *Sectatoribus quoque ſuis Pythagoraeorum*

rum more (Πυθαγορικῶς) *ſilentium quinquennii indicit.* Plenus est obſervationum huius generis *Irenaeus*, quas attentus lector in libris eius facile deprehendet; ne quid nunc de aliis dicam. At vero nominis *Abraxas* originem uno ore cuncti ad *Baſilidem* referunt, neque vel ſuſpicari nos ulla ratione patiuntur, haereſiarcham hunc vocem alienam, furto ſurreptam, crebro tantum uſu ſuam feciſſe.

§ 6. *Quando autem nomen istud in gentilium ſcriptis occurrit, tum id ipſi a* Gnosticis *mutuo ſumſerunt.*

Non nego, vocem illam decantatam *Abraxas* etiam in gentilium quorumdam ſcriptis legi, et ab aliis quoque uſurpatam fuiſſe. Sed illi profecto furti manifesti tum rei esſe deprehenduntur. Nam non ab ipſis *Baſilidem*, ſed vice verſa a *Baſilide* eos vocem hanc mutuatos esſe, liquido apparet. Provocatur hanc in rem ad Q. *Serenum Sammonicum*, in cuius quidem poëmate *de Medicina* occurrit, ſed miſere corrupta. Verſus eius cap. LII hunc in modum concepti leguntur:

Mortiferum magis est, quod Graecis hemitritaeum
Vulgatur verbis, hoc nostra dicere lingua
Non potuere ulli (puto) nec voluere parentes.
Inſcribes chartae, quod dicitur ABRACADABRA,
Saepius et ſubter repetes, ſed detrahe ſummam,
Et magis atque magis deſint elementa figuris
Singula, quae ſemper rapies, et cetera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum.
His lino nexis collum redimire memento.

A B R A C A D A B R A
A B R A C A D A B R
A B R A C A D A B
A B R A C A D A
A B R A C A D
A B R A C A
A B R A C
A B R A
A B R
A B
A

Serenus hic *Sammonicus*, quod dudum a viris doctis animadverſum est (*b*), Romae claruit ſub Impp. *Septimio Severo*, et *Antonino Caracalla*, a quo postremo in coena occiſus est, quo tempore Gnostici in urbe illa (*c*) gregem habuerunt, uti videtur, ſatis amplum et numeroſum, unde fieri potuit, ut Gemmae Gnosticorum, quas ipſi magna cura abſcondebant, quibusdam tamen forte fortuna innotescerent, et ab his pro amuletis, vel phylacteriis, haberentur. Cumque in his, ut credebatur, amuletis vox *Abraxas* toties inſcripta legeretur, illi, etſi penitus ignotae, et non intellectae ab hominibus ſuperſtitioſis, e quorum numero haud dubie fuit *Serenus Sammonicus*, magna coepit adſcribi vis atque potestas. Et, uti inventis etiam ſuperſtitioſi mutationes varias inducere ſolent, ita ex *Baſilidianorum Abraſax* ortum est *Sereni Sammonici* istud *Abracadabra*, vel *Abraſadabra*: nam utroque modo eruditi legere ſolent. Recte hoc vidit *Ioannes Chifletius*, qui idcirco Poëtam illum Medicum *Baſilidis ſectatorem* non

(*b*) *Fabricius* Biblioth. Latin. Tom. I pag. 540.

(*c*) Ea de re quaedam a me annotata fuere in Exercitatione de *Alexandro Severo* Imp. Christianorum ſacris per Gnosticos initiato § VIII in Miſcellaneis Lipſ. Nov. vol. IV pag. 60 [ſupra p 47 ſqq.]

non inepte appellat, Comment. in Gemmas Abraxeas pag. 64. Nam de Basilidianorum deliriis ortum est Poëtae illius *Abracadabra.* Sed genuinis tamen sectae *Basilidianae* gregalibus annumerari utique non potest: alioquin vocem, hominibus illius gregis notissimam, et ausim dicere sacrosanctam, non adeo turpiter corrupisset. Et huiusmodi vocabula tamen, secundum praecepta circulatorum, *efficacia* tum demum *sunt*, *si pronuncientur quodam ipsis convenienti modo et ordine*, quemadmodum docet *Origenes* Lib. I adversus Celsum pag 19. Plus satis apparet, *Sammonicum* et veram nominis huius pronunciationem, et genuinam significationem, ac denique usum proprium, cui primitus nomen illud consecratum fuit, prorsus latuisse. Ex falsis hominum, ea de re non recte edoctorum, rumusculis hausit ineptum suum *Abracadabra*, deceptus ipse, et alios vicissim decipiens. Similis error observari potest in Gemma quadam, quae conspicitur in *Bernardi de Montfaucon* Antiquit. Explic. Tom. II Part. II Tabula CLIV. Cernitur ibi serpens, adscriptis in orbem hisce verbis: NVMEN DEI ABRESSE. Gemma haec auctorem certe habet non Gnosticum, sed circumforaneum quempiam, qui vocem barbaram, sibi nullo modo intellectam, et vitiose expressam, Gemmae suae insculpi curavit, ut pro amuleto hominibus naris obesae tanto carius eam vendere posset. Confirmabo ea, quae dixi, verbis *Pauli Colomesii*, quae ex eius Miscell. Histor. pag. 95 [*] huc transscribi merentur, Latine conversa: *Recentiores Iudaei, teste Buxtorfio filio*, de Synagoga cap 45, *aiunt*, *ad pellendam febrim quartanam inprimis facere pronunciationem vocis* Abracalan, *sic saepius iteratam*, *ut vox semper litera una dimi-* nu-

[*] Operum p. 844 edit. Fabricii.

nuatur. Iulius Africanus, in prolixo Opere (*d*), *quod* Κεςοὺς *inſcripſit, quodque in Bibliotheca Regis Hispaniarum manu exaratum ſervatur, uti et Serenus Sammonicus in Poëmate de Medicina, virtutem eamdem tribuunt nomini Abracadabra, pari modo pronunciato. Fieri potest, ut Iudaei medicamentum hocce ſuum ex alterutro horum Auctorum deſumſerint.*

§ 7. *In Gemmis Abraxeis nomen Meſſiae cum Abraxas coniungitur, et alia luculenta indicia Christianae religionis reperiuntur, ex quo liquet, earum auctores fuiſſe Chriſtianos Gnosticos.*

A corrupta et adulterata hominum huius rei rudium ſcriptione et pronunciatione nominis *Abraxas*, redeamus nunc ad ſinceram et genuinam, quam eſſe, ut diximus, *Abraxas*, vel *Abraſax*, ex unanimi testimonio Patrum omnium, qui rei huius meminerunt, quorumque loca ſupra attulimus, invicte demonſtratur, inprimis ſi quis ipſorum testimonia cum Gemmis Baſilidianorum, vel Gnosticorum, quae *Abraxeae* dicuntur, comparare velit. Et ex ipſis his Gemmis vera nominis *Abraxas* origo omnium optime intelligi, et luculenter oſtendi, potest. Nam, eſſe Gemmas has a *Baſilidianis* aliisque Gnosticis profectas, multis indiciis, omni exceptione maioribus, certisſime confici potest, quod in Commentario nostro [*] ad has Gemmas, ad liquidum perducemus.

(*d*) De hoc opere conſulere iuvabit meritisſimi *Fabricii* Bibliothecam Graec. Lib. III cap. XXIV § VII Vol. II et Vol. V pag. 208. [**]

[*] De eo ſupra monui p. 67.

[**] Gallice vertit et edidit a. 1774. C. *Guiſchard*, dictus *Quintus Icilius*. Vid. *Saxii* Onom. Lit. part. I. p. 585.

mus. Et in illis tantum non omnibus *Abraxas*, aut *Abrasax*, insculptum cernitur. Pervenerunt ad manus meas, ex dono illustris cuiusdam amici, tres huiusmodi Gemmae, in quarum duabus nomen hoc scite et distincte expressum legitur. Alias numero ingenti suppeditabunt *Chifletius* et *Montfauconius*, in amplissimis talium Gemmarum, quas ediderunt, collectionibus, in quibus tamen genuinae ab adulterinis discerni probe possunt ac debent. Et genuinas quidem, in quibus *Abraxas* insculptum est, a Christianis esse fabricatas, vel id argumento est manifesto, quod Baptismi et Coenae Dominicae, aliorumque religionis Christianae mysteriorum, mentio in illis deprehendatur satis luculenta et expressa, quod suo loco extra dubium collocabimus. Coniunguntur cum nomine *Abraxas*, non modo nomen *Iao*, quod etiam Gnosticis fuisse proprium, tot Patrum disertis testimoniis nititur, uti hoc alias pluribus probabimus, sed etiam sanctissima *Iesu* et *Christi* nomina, et alia cognomina honorifica, quibus in Scriptura Servator ornari solet. Coniungitur porro cum nomine *Abraxas* ipsum nomen *Messiae*, id est, redemtoris hominum, olim per Prophetas promissi, et tamdem in carne manifestati, etsi nomen hoc commentatores eruditissimi et optime meriti, quantum recordari possum, illic nondum viderint, deque eo lectorem monuerint. Id, quod dixi, exemplo aliquo non ignobili comprobabo. Inter Gemmas, a *Chifletio* editas, et ex parte explicatas, notabilis inprimis est, quae Num. LXIX conspicitur. In altero illius latere legitur Inscriptio bene longa, hactenus a nemine recte explicata. Illius partem tantum priorem, quae ad negotium nostrum spectat, hic describam:

ΑΓΩ-

ΑΓΩCΑCΑΩ ΑΑΩΝΕ
CCΜΕCΕΙΑΑΜ ΑΒΡΑC
C3Ζ ΥΡΡΑΤΗΑΚΡΑΜΜΑ
ΚΡΑΜΜΑ ΚΑΜΑΡΙC CCΕ
ΓΓΕΝ ΒΑΑΦΑ ΡΑΝΓΗC
ΕΜΕCCΙΑΑΜ ΩΒΑΗΜ.

Inſcriptionem hanc *Gothofredus Wendelinus*, vir doctrina praeſtanti inſigniter perpolitus, rogatu *Chifletii*, explicandam ſumſit, et partem quidem illam, quam hic deſcriptam dedimus, in commentario ad Gemmas Abraxeas pag. 112, 113, ita interpretatur Graece: Ἄγω σὰ, σάω ἁ Α. ω. Νέσε μεσεία ἀμ' ἀβρασάξ. Συῤῥάτη ἄκραμμα κραμμά. Καμαρὶς σοὶ ἔγγεν β' ἀλφαρὰν γῆς. ἐμεσεία ἀμ' ὠβαημ'. Eaque Latine hunc in modum vertit: *Duco tua, ſalvo quae ſunt A. et* Ω, (id est, *Principii et finis,*) *ego* (e) *Neſe* (id est, *ſerpens,*) *mediatrix cum Abraſax, pervadens ſimplicia et mixta, incurvata tibi usque ad ſecundas partes terrae, educens ſimul obſcurata.* Hanc vero verſionem vir doctus tali oratione paraphrastica illuſtrat: *Ego Christus, aeterna Dei ſapientia, curam gero rerum tuarum, quantum earum est a principio ad finem, o miſer homo. Ego ſerpens ille Moſaicus, mediatrix inter Deum*

(e) *Ioſephus Scaliger* Lib. III de Emendat. Tempor. p. 194 ſibi perſuaſit, *Neſi* Aegyptiis ſignificare *ſerpentem*; ſed perperam. Lectio *Horapollinis*, qui ait, ſerpentem quemdam ſymbolicum ab Aegyptiis vocari *Meiſi*, vere ſe habet, et a *Scaligero* non erat ſollicitanda, qua de re forte alias plura [*].

[*] Legantur *Iablonskii* annotationes tom. I Opusculorum p. 133—136, 160. *Scaligero* asſentitur *Wendelinus* p. 113, 114.

Deum et hominem gratia, una cum Abrasax (S. Trinitatis et pasſionis in cruce efficacia) *pervadens ſimplicisſimas naturas angelorum, perinde ac concretas ex anima et corpore masſas hominum. Vltro incurvor tibi, et inclinor, descendens usque ad inferiores partes terrae, educens illinc mecum ſedentes in tenebris et umbra mortis.* Interpretatio haec, quod non invitus fateor, ingenioſa est, et eruditionem non vulgarem ſpirat. Sed, quis, quaeſo, dixerit, eam esſe accuratam, et ipſam genuinam Gemmae ſententiam exponere? Si Gnostici omnes in hunc mundum redire posſent, quidam eorum inſcriptionem Gemmae, ut opinor, asſecuturi esſent, verum enim vero interpretationem Graecam *Wendelini*, non modo inter Gnosticos, ſed etiam mortales omnes, neminem plane intellecturum esſe, audacter affirmabo. Laudo tamen in viri huius docti interpretatione, quod lin. 1 literas has A. Ω. ex *Apocalypſi* deſumtas esſe divinaverit. Id tantum addo, quod etiam (*f*) praeſtantisſimo illi viro, quocum mihi negotium hic est, ſuboluisſe deprehendo, per A et Ω ipſum Mesſiam hic deſignari, ex Apocal. I. 8, 11, XXI. 6, XXII, 13. In Gemmis *Abraxeis* id frequentisſime animadvertere licet. Nec minus id in viri eruditi interpretatione magnopere probo, quod ex lin. 2 et 3 exſculpſerit ΑΒΡΑϹΑΞ, quod eodem, et aliis etiâm modis, ſaepe etiam nonnihil obſcurius, in Gemmis hisce expresſum, diligentem earum ſcrutatorem latere non potest. Cum porro vir egregius nomen *Abraſax* interpretetur *S. Trinitatis et pasſionis in cruce efficaciam*, ſatis oſtendit, ſe ex Gemmis hisce industrie expenſis intellexisſe, nomen hoc ad Servatorem nostrum, et ad

(*f*) Histoire de Manichée Tom. II pag. 56.

ad Divina eius beneficia, referendum esse. Sed, ut alia nunc praeteream, non vidit *Wendelinus*, uti nec alii, occurrere in hac Inscriptione nomen *Messiae.* Vbi lin. 2 legimus MECЄIAAM, non dubito, quin re ipsa scriptum fuerit MECCIAAM. Et sic plane iterum lin. 6 scriptum invenimus MECCIAAM. Quae hoc ultimo loco praecedit vox, praetermitti a nobis non debet, cum ex ea ostendi queat, observationem meam solido niti fundamento. Nempe pars haec inscriptionis nostrae ita sonat, ΦΑΡΑΓΓΗC Є MECCIAAM, ubi literas ita distinguendas esse autumo: ΦΑΡΑΓΓ HC E MECCIAAM, *Pharang es e Messiam.* Haec ipsa etiam in aliis Gemmis, sed plerumque parum emendate, leguntur. Apud *Irenaeum* vero Lib. I cap. XXI occurrit aliqua Marcosiorum Gnosticorum formula sacra, lingua fere Syro-Chaldaica, sed aliis quoque vocibus peregrinis admixtis, contexta, in qua et ista leguntur: *Μεσσία οὐφάρεγ*, vel *Messia upha-reg*, uti habet vetus interpretatio Latina, sed quae *Rhenferdius*, in Opusculis pag 768, ita non sine veri specie interpretatur, משיחא ופרוקא, *Messias redemtor.* Quis non illico perspiciat, voces has, quas tum ex inscriptione Gemmae, tum ex formula Marcosiorum, attuli, parum aut etiam nihil inter se differre? Sunt nempe desumtae ex formula Marcosiorum, aut generatim Gnosticorum, sacra, de qua alio loco plura monebimus Id iam, opinor, omnes aequi et idonei iudices non difficulter mihi concedent, occurrere hic nomen *Messiae.* Cum autem et in Gemma nostra, et in aliarum quoque inscriptionibus nomen *Abrasax*, vel *Abraxas*, legatur, et cum ipso *Messiae* nomine coniungatur, idque Christianismum nimis aperte redoleat, Patres vero Ecclesiae, una voce, nomen *Abraxas* Basilidianis, vel Gnosticis, tamquam aucto-

cto-

ctoribus ſemper tribuant; non videtur origo eius cuiquam merito amplius dubia esſe posſe.

§ 8. *Quaeritur, quidnam Gnostici per ſuum Abraxas ſubinnuere voluerint. Afferuntur eruditorum variae ſententiae.*

Pergo iam ad quaestionem alteram, quae est de vocis *Abraxas* propria et genuina ſignificatione. Vbi in antecesſum dispiciendum nobis erit, quidnam ſit, quod per nomen *Abraxas* Baſilidiani, ac Gnostici in genere, deſignare voluerint. Si Patres Eccleſiae audimus, illi plerumque tradere ſolent, ſingulis coelis angelos ſuos a *Baſilide* praefectos fuisſe, horum omninm vero Principem ex eiusdem ſententia esſe *Abraxan.* Quod qua ratione intelligi debeat, mox videbimus. Latet enim hic aliquid veri, quod pii Eccleſiae priscae doctores non ita distincte et plene perſpexerunt. Auctor Appendicis ad *Tertulliani* librum de Praeſcript. haeret. et *Hieronymus*, quorum verba deſcripta ſunt § 4, videntur in ea fuisſe ſententia, *Abraxan* Baſilidianis ſignificasſe ſupremum Deum. Et posſet hoc admitti, dummodo per ſupremum Deum intelligeretur Christus Dominus, Dei filius, idemque verus et aeternus Deus. Non nego tamen, Gnosticos hunc distinxisſe a ſupremo, et inviſibili, et incognito, Deo. *Gothofredus Wendelinus*, quod § 7 iam monuimus, auguratur, nomine *Abraxas* Gnosticos ſubindicasſe *ſanctae Trinitatis, et pasſionis in cruce, efficaciam*, qua de re, vellem, vir eruditus mentem ſuam pluribus et luculentius explicuisſet. Id tamen in eius interpretatione magnopere placet, quod exiſtimaverit, Baſilidianos in nomine *Abraxas* Christum redemtorem, et ſalutaria eius beneficia, venerari voluisſe; et in eo, ſi quid recte iudico, non

non procul aberravit a scopo. *Chifletius*, in Commentario ad Gemmas Abraxeas pag. 58, in nomine *Abraxas* putat latere Solem, aenigmatice adumbratum: cuius sententiam sequuntur multi alii, eamdemque ornare, novisque rationibus confirmare, aggressus est acutissimus et politissimus Auctor Historiae Manichaeae. Et ea digna est, quae nunc diligentius excutiatur.

§ 9. *Patres satis subindicant, Gnosticos per Abraxas suum designasse Solem.*

Scriptores Ecclesiastici veteres non quidem conceptis verbis tradunt, *Abraxan* Basilidianis designasse *Solem;* sed ex iis tamen, quae dicunt, confici id ipsum facillime potest. Rem, quam narrant, aut subinnuunt omnes, qui nugas *Basilidis* persequuntur, paucis complectuntur *Augustinus*, et Auctor *Praedestinati* Sirmondianus, quorum loca exhibui § 4. Postremi tamen verba paulo pleniora hic appono: *Basilides et Basilidiani* 365 *coelos esse dicunt, et Deum horum coelorum Abrasax commemorant. Quod nomen Graeca ratio literarum in hanc summam supputando pertingit.* ΑΒΡΑΣΑΞ — *fiunt in summa* 365. Omnium optime et apposite valde *Hieronymus*, et is iam supra ad testimonium vocatus, in Amosi Cap. III. *Basilides*, inquit, *omnipotentem Deum portentoso nomine appellat Abraxas, et eumdem secundum Graecas literas, et annui cursus numerum, dicit, in Solis circulo contineri: quem Ethnici sub eodem numero aliarum literarum vocant Mithram.* Summa eorum, quae tradunt optimi Patres, huc redit, *Basilidem* finxisse coelos 365, secundum numerum dierum unius anni, et his coelis praeesse Principem, quem appellavit *Abrasax*, ea de causa, quod literae huius nominis Graecae producant numeros 365. Addit

Ire-

Irenaeus, ſecundum *Baſilidem* omnibus hisce coelis praeeſſe quosdam angelos, quos *Hieronymus* Aeonas vocat, omnium vero illorum Principem eſſe *Abraxan*, quod aliis pariter Gnosticis attribuit *Epiphanius*, *Haereſi* XXVI § 9. Haereſiarcham hunc coelos ſibi finxiſſe 365 (*g*), ab omni veri ſpecie prorſus alienum est. Qui ſententiam adeo inficetam ipſi affinxerunt, mentem eius non pervidiſſe cenſendi merito ſunt. Aut vero dicendum, ipſum nomine coelorum intellexiſſe *orbes*, *quos motu diurno* per anni ambitum *Sol percurrere videtur*. Ita *Maſſuetus* Diſſertatione in Irenaeum praevia I § 116, pag. LXI. Cumque his coelis *Baſilides* ut Principem praepoſuiſſet *Abraxan* ſuum, quis est, qui non intelligat, eo nomine ipſum voluiſſe ſignificare Solem, quatenus, motu ſuo diurno et annuo, annum, per dies 365 diviſum, efficit? Et profecto *Abraxas*, quod mox adſtruemus pluribus, nihil aliud plane, quam 365, ſignificat, id est, eum, qui anni per dies 365 distributi cauſa est. Addit *Hieronymus*, Ethnicos eumdem (*Abraxan* nempe Gnostico-Christianorum) *ſub eodem numero aliarum literarum vocare Mithram*. Et Perſas quidem Solem coluiſſe ſub nomine *Mithrae*, oppido vulgatum est. Graeci autem in nomine hoc Perſico, ſed literis Graecis ſic expreſſo ΜΕΙΘΡΑΣ, eumdem numerum 365 reperiebant, de quo tamen ipſi Perſae forte numquam cogitarunt, neque etiam cogitare potuerunt, quoniam ipſorum Alphabetum ab Alphabeto Graecorum utique vehementer di-

Μ	40
Ε	5
Ι	10
Θ	9
Ρ	100
Α	1
Σ	200
	365

ſtu-

(*g*) Conferre operae pretium est l'Histoire de Manichée par Mr. *de Beauſobre* Tom. II pag. 9.

ſtulit. Quod vero *Irenaeus* ſcribit, *Baſilidem* coelis ſuis 365 totidem praefeciſſe angelos, dummodo recte et commode explicetur, verum eſſe poteſt Ex teſtimonio, tum veterum Eccleſiae ſcriptorum, tum Gemmarum quoque Abraxearum, ſatis conſtat, plurimam fuiſſe in Theologia Gnosticorum, ac ſpeciatim *Baſilidis* diſcipulorum, mentionem Angelorum, hosque ex illorum ſententia pluribus muneribus vacaſſe Fieri igitur potuit, ut ſingulis anni diebus certi ſui aſſignati veluti praefecti fuerint angeli. Hoc certe cum Theologia Orientalium, qua Gnoſticos omnes imbutos fuiſſe, eruditi norunt, apprime convenit. Eo putem referendum eſſe, quod de *Orpheo*, diſciplinae Aegyptiacae alumno, ſcribit *Lactantius* Lib. I cap. VII, eum *trecentos ſexaginta quinque* celebraſſe *Deos*. Teſtatur idem hoc *Iustinus Martyr* de Monarchia Dei, in Opp edit Pariſ. pag. 104, niſi quod Deos tantum 360 habeat, atque id aetati *Orphei*, qua annus Aegyptiorum non niſi dies 360 complectebatur, omnino melius congruit. Forte id quoque de Aegyptiis indicare voluit *Herodotus*, qui Lib II cap. 82 ita ſcribit: *Et haec Aegyptii invenerunt, cui Deorum unusquisque menſis et dies ſinguli conſecrati eſſent.* Non repugnavero tamen, ſi quis cum eruditorum plerisque haec de diebus ſeptem hebdomadis, quorum ſuus cuique aſſignatus est Planeta, intelligere malit. De Arabibus antiquis ſimile quid ex *Al-Iannabio* affert *Pocockius* Specim. hiſtor. Arab pag. 98 *Erant* (ante aetatem *Muhammedis*) *circa Caabam* (domum ſacram Meccanam) (*h*) *idola ter centum ſexaginta — adeo ut Arabibus, ſingulis diebus, ſingula, ſi li-*

(*h*) Vide la vie de Mahomet, par Mr. *Gagnier*, Tom. II pag. 127.

liberet, Numina invocare liceret, aut ſingulos, non ſolum menſium ſuorum, (ut ſolent Perſae ab Angelis), ſed totius anni dies ab idolis denominare. Quoniam in his *Pocockius* mentionem fecit ſingulorum dierum, per menſes omnes, adeoque annum quoque totum, ab angelis denominatorum, quod ad negotium hoc noſtrum maxime ſpectat, verbo tantum monebo, quod et praeſtantisſimus Historiae Manichaeae Auctor iam notavit Tom II pag. 9, pluribus rem hanc et accurate perſequi *Thomam Hydium* de religione veterum Perſarum cap. XV, XIX, XX. Posſent plura etiam rei huius vestigia ex veterum ſcriptis erui, ſed posſumus iis, quae dedi, nunc esſe contenti.

§ 10. *Re ipſa autem eo deſignarunt Christum, Solem iustitiae.*

Est igitur Gnosticorum *Abraxas*, ipſis adeo ſanctus et venerabilis, re ipſa Sol coelestis, quatenus motu ſuo, tum anniverſario, tum diurno, dies 365 efficit, adeoque anni cauſa efficiens est. Sed an credibile est, homines, verbo Dei fidem habentes, et in Christum, ut Mesſiam et Redemtorem ſuum, credentes, (vid. § 7,) una cum eo, aut cum Patre, Filio, et Spiritu Sancto, etiam Solem materialem culturos et adoraturos fuisſe? Id me doctrina horum hominum, ex monumentis ſinceris hausta, et in toto ſuo ambitu conſiderata, credere prorſus vetat. Recte vetusti Eccleſiae nostrae doctores memoriae prodiderunt, nomen *Abraxas*, antea incognitum, a Baſilidiano-Gnosticis confictum esſe, eoque ſubinnui curſum Solis annuum, ſpatio dierum 365 peractum; ſed pii hi et optimi viri in ſolo cortice doctrinae Baſilidianorum nobis ſubindicando ſubſtiterunt. Erat enim ipſis negotium cum ho-

hominibus, quibus id inprimis curae cordique erat, ut praecipua doctrinae suae capita sollicite occultarent, ac involucris emblematum et allegoriarum pro virili obtegerent. Ideo hanc veluti primam regulam gregi suo enixe commendatam cupiebant: *Tu omnes cognosce, te autem nemo cognoscat*, testibus *Irenaeo* Lib. I cap XXIV § VI, et *Epiphanio* Haeres. XXIV num 5. Neque nobis etiam forte ultra corticem progredi liceret, nisi praesto essent authentica fidei horum hominum monumenta, Gemmae, quae sic dicuntur, *Abraxeae*, ab ipsis Basilidianis et Gnosticis profectae, aenigmaticae quidem et vehementer obscurae, qualia fuisse ipsorum mysteria, testantur veteres; sed quae tamen, adhibito labore debito et studio, aliquatenus intelligi possunt. Ex harum attenta inspectione et meditatione *Gothofredus Wendelinus* iam observavit, nomen *Abraxas* ad Christum Dominum referendum esse, quando illud interpretatus est *S. Trinitatis et passionis in cruce efficaciam.* Vide § 7. Ego vero, postquam Gemmas easdem scrupulosa diligentia undecumque excussi, aliter statuere non potui, quam *Abraxas* fuisse in secta Gnosticorum nomen Christi Iesu, Domini et Redemtoris nostri, symbolicum et emblematicum. Hinc vidimus § 7, in Inscriptione haud dubie Gnostica, lin. 2 et 3, sic duo haec nomina, *Messiam Abraxas*, coniungi, ut manifesto appareat, intelligi non nisi personam unicam. In iisdem porro Gemmis saepiuscule nomen hoc *Abraxas*, vel *Abrasax*, coniungitur etiam cum nominibus *Iesu Christi*, cum nominibus *Iao*, et A. O, sive A. Ω. de quo postremo § 7, et aliis praeterea huius generis pluribus, quae sectae illius homines Servatori nostro tribuere consueverant, de quibus omnibus aliquando prolixius ad ipsas has Gemmas agemus. Nempe in symbolica denominatione et repraesenta-

tio-

tione sui *Abraxas* Gnostici venerari voluerunt Christum Dominum, ut (*i*) *Solem Iustitiae*, (*k*) *orientem ex alto*, (*l*) *lucem veram mundi*, (*m*) *quae illuminat omnem hominem, venientem in mundum*, qui, ex coelo ortus, auspicatus est (*n*) *annum acceptum Domini.* Hoc verum est mysterium, quod in nomine *Abraxas* latet. Possunt ea, quae hic disputavi, non mediocriter illustrari ex Gemma *Chifletiana* XXXIII, in cuius altero latere figura se offert non honestissima, sed moribus gentis Aegyptiacae plane attemperata, et quae illic neminem offendebat. In altero latere Inscriptio legitur, ex vocibus Aegyptiacis et Hebraicis composita, cuius postrema pars ita habet:

ΦΡΙΜΝΤ
ЄΜЄCIE
ΜΕΘΙ.

Si in prima linea, pro eo, quod editum est, liceret legere ΦΡΗΝΤ, quales emendationes in Inscriptionibus minus correcte editis saepe necessariae sunt, et praesertim in Abraxeis, ubi tamen sphalmata nonnumquam studio affectato admissa videntur; tum, nullo prorsus apice immutato, verba haec significabunt: *O Sol veritatis*, (vel, *qui es verus Sol*,) *prodi in medium.* Est haec precatio quaedam ad Solem mysticum. In Gemma vero XXXVIII legitur in latere averso alia inscriptio, qua Sol videtur ad hanc precationem respondere:

CE

(*i*) Malach. IV. 2.
(*k*) Luc. I. 78.
(*l*) Io. VIII. 12. IX. 5.
(*m*) Io. I. 9.
(*n*) Ies. LXI. 2.

CE
MEC
ΕΙΛΑ
ΜΨ

Nam id verba ſignificant: *Ego Sol eluceo*, *vel illucescam.*

§ 11. *Interpretationes etymologicae literales nominis Abraxas, ex lingua Aegyptiaca, aut Hebraica, aut etiam Graeca, reiiciuntur.*

Haec, quam nunc dedi, est ſymbolica et emblematica nominis *Abraxas* interpretatio. Restat autem, ut de literali quoque paucis agam. *Salmaſius* vocem isthanc ex lingua Aegyptiaca formatam esſe autumavit *Aegyptiacum nomen esſe, alibi oſtendam*, inquit de Annis climacter. pag. 572. Verum haudquaquam miror, virum prodigioſe doctum hoc numquam oſtendisſe. Nam *Abraxas* profecto nihil Aegyptium ſonat. Vltima vocis huius litera ξ, numquam Aegyptiis propria, ſed a Graecis post regum *Ptolemaeorum* tempora, et post admisſa Christianorum ſacra, et ſic ab incolis Aegypti adoptata fuit. Sed uſus illius est tantum in vocibus Graecis, Aegyptiacae linguae admixtis. Magnus *Scaliger*, cum Gemmarum Abraxearum collectiones locupletes nondum proſtarent, viſa una tantum et altera, vocem *Abraxas* (*o*) ex lingua Hebraica explicare conatus est. Sed, quoniam aut Gem-

(*o*) In Epistolis, ſubiunctis editioni Opusculorum *Scaligeri*, a *Caſaubono* a. 1610 Pariſiis procuratae, pag. 569, 571, 572.

Gemmae, quas ſubinnuit *Scaliger*, vitioſe ſculptae erant, aut non recte ex mente Gnosticorum lectae, ad quod ſane exercitio et experientia opus est, illa vocis depravatae ex Hebraico interpretatio ſuccedere utique non potuit, eamque *Salmaſius* non immerito repudiavit loc cit. Aliter rem aggresſus est *Gothofredus Wendelinus*, nobis ſupra aliquoties, nec ſine laude, commemoratus. Is enim in Epistola ad *Chifletium*, quae huius Commentario in Gemmas *Abraxeas* inſerta est, pag. 112 etc., hariolatur, nomen *Abraxas*, ex Hebraico partim, partim ex Graeco ſermone conflatum, literas continere, quae totidem vocum integrarum initiales cenſendae ſint, idque hunc in modum:

A	אב	Ab	*Pater*
B	בן	Ben	*Filius*
R	רוח	Ruach	*Spiritus*
A	הקדש	Acados	*Sanctus*
S	Σωτηρία	Soteria	*Salus*
A	Ἀπὸ	Apo	*A beneficio*
Ξ	Ξύλου	Xylu	*Ligni*

Non deſunt inter eruditos alii, qui ſimiles explicationes nobis obtulerint. Et mihi quoque una atque altera nominis huius ex idiomate Hebraico interpretatio olim in mentem venit. Sed disſimulare tamen non posſum, me, postquam omnia ſtudioſe expendi, huiusmodi interpretationibus plane nihil tribuere. *Baſilidem*, primum nominis illius architectum, et discipulos eius, nihil tale ſomniasſe, mihi quidem certum atque exploratum est. Haud ita pridem vero ingenioſus Scriptor Historiae Manichaeae novam eiusdem nominis ex Graeco explica-

tionem eruditis propoſuit (*p*). Exiſtimat nempe, *Abraſax* compoſitum esſe ex ἁβρὸς, quod *magnificum* interpretatur, et σάω, *ſervo*, unde 'Αβρασαξ ipſi exponi posſe videtur *magnificus Servator*. Non diffiteor, novam hanc nominis *Abraſax* interpretationem difficultatibus pluribus, eisque non levibus. Sed unius nunc tantum mentionem faciam, quae ſimul manifestum faciet, nullas istius generis originationes, ſive ſint Hebraicae, ſive Aegyptiacae, ſive denique Graecae, locum hic habere, et a nobis admitti posſe.

§ 12. *Abraxas literaliter nihil ſignificat, niſi 365, quod ex eo probatur, quod promiscue, modo Abraxas, modo vero Abraſax, efferatur.*

Est nempe vox *Abraxas*, ſive *Abraſax*, nam hoc perinde est, non ex aliis vocibus, aut vocum radicibus, ſive ſint Aegyptiae, ſive Hebraicae, ſive denique Graecae, analogice derivata, formata et compoſita, ſed mere artificialis, quae, ſi ad ſyllabarum ſonum et ordinem attendas, nihil omnino ſignificat, et in qua ſolus literarum, ex quibus conſtat, valor numericus ſpectatur. *Abraxas*, vel *Abraſax*, nihil aliud ſignificare aptum natum est, quam 365. Hoc vel ex eo invicte colligitur, quod eadem vox modo *Abraxas*, modo vero *Abraſax*, efferatur Quia eaedem ſemper manent literae, adeoque idem ſemper earum valor numericus erit, talis literarum permutatio, ſi vel esſet adhuc notabilior, rei detrimentum nullum affert. Illa ſemper eadem manet. Sed id locum non haberet, ſi vox

(*p*) Histoire de Manichée Tom. II pag. 55, 56.

vox eadem ex aliis vocibus analogice derivata, et regulariter formata esset. Si v. g. nomen hoc semper Ἀβρασὰξ efferretur, posset etymologiae illi, quam § II ultimo loco attuli, aliquis color induci. At qua ratione dici poterit, Ἀβραξὰς compositum esse ex ἁβρὸς et σάω. Non equidem sum nescius, *Baronium* in Appendice ad Tom. II Annalium, et *Salmasium* de Ann. climact. pag. 571, scriptionem nominis huius *Abrasax* praeferre, repudiata altera illa *Abraxas*. Cuius rei nullam aliam fuisse causam reor, quam quod Viri hi celeberrimi copiosas illas Gemmarum Abraxearum collectiones, quae nunc editae sunt, oculis suis subiicere non potuerint. Ex illis enim confestim intellecturi fuissent, vocem hanc promiscue, modo *Abrasax*, modo etiam *Abraxas*, idque saepissime, scribi. Ipse duas huiusmodi Gemmas prae manibus habeo, in quarum altera, ΑΒΡΑCΑΞ, in altera vero ΑΒΡΑΞΑC, distincte et satis nitide sculptum legitur. Et Cardinalis *Baronius* quoque ad ann. Christi CXX num. X Gemmam ex Amethysto Romae effossam profert, ubi in una linea et Ἀβραξὰς et Ἀβρασὰξ legitur, argumento invicto, nominis huius architectis perinde utique fuisse, sive hoc, sive illo modo, vox scriberetur. Quando *Salmasius* porro contendit, *Latinos Auctores Abraxan cum vitio vocasse, sed Graecos* Ἀβρασὰξ, et in eo fallitur. Illa enim veterum loca, quae supra § III et IV congessi, ne de aliis dicam, quae praetermissa sunt, palam faciunt, tam Graecos, quam Latinos, vocem hanc nunc *Abraxas*, nunc *Abrasax*, pronunciasse. Ex Graecis *Irenaeus* habet Ἀβραξὰς, *Epiphanius* vero et *Theodoretus* Ἀβρασὰξ. Ex Latinis vero Auctor, qui *Tertulliani* de Praescriptione haereticorum libro adiungitur, atque *Augustinus*

et *Hieronymus* ſcribere ſolent *Abraxas;* ſed Auctor Praedestinati poſuit *Abraſax.* Vno verbo, utravis pronunciatio recte ſe habet, eodem redit, et a veteribus promiscue adhibetur. Quod vero *Salmaſius* praeterea pag. 572 addit, 'Αβραξὰς *esſe Graecanicae terminationis*, ſed 'Αβρασὰξ *Aegyptiacae*, precario et ſine ulla ratione asſeritur. Nec haec, nec illa vox est ſermonis Aegyptiorum genuini, nihilque ipſis utraque ſignificat.

§ 13. *Neque minus ex testimonio, tum ſcriptorum veterum, tum ipſius rei.*

Non mediocriter ea, quae nunc adſtruxi, vocem 'Αβρασὰξ esſe tantum artificialem, non analogice formatam, ex eo confirmantur, quod praeſtantisſimi veteris Eccleſiae ſcriptores, qui omnium primi nominis huius notitiam ad nos transmiſerunt, quoties de eo loquuntur, non obſcure ſubinnuant, nihil in eo niſi valorem numericum ſpectandum esſe. Scimus, ipſis ſolemne fuisſe, ut, quando nomina barbarica, in ſectis Gnosticorum uſu diuturno recepta, qualia ſunt *Achamoth*, *Prunicos*, *Barbelo*, *Caulacau*, et his conſimilia alia, commemorant, etiam ſubinde eadem interpretari et explicare ſoleant. Non negaverim, eorum interpretationes eruditis nostris ſaepius videri parum commodas et potius ieiunas; ſed id ſibi tamen negotii datum esſe putant, ut voces tales qualitercumque interpretentur. At non reperias, eos nomen *Abraxas* umquam etymologice interpretari; monent potius, tantum non ſemper, quoties eo delabuntur, literis his ſubesſe numerum 365. Videri eam in rem posſunt loca *Augustini*, *Praedestinati*, et *Hieronymi*, adducta § 4, quibus con-

conſentanea fere ſcribunt reliqui omnes. Et vere dici poteſt, fuiſſe hanc communem veterum omnium ſententiam, quam etiam res ipſa evidenter confirmat, uti id ex adſcriptis in margine ſatis intelligi poteſt.

α	1
β	2
ρ	100
α	1
σ	200
α	1
ξ	60
	365

§ 14. *Et ex eo, quod pro Abraxas ſaepe in Gemmis occurrant literae τξέ, quae etiam valent* 365.

Novum illius rei, quam adſtruxi, argumentum nobis ſubminiſtrant Gemmae Baſilidianorum Abraxeae, in quibus non infrequenter literae hae leguntur, τξέ, quae conficiunt pariter numerum 365. Agnovit illas *Gothofredus Wendelinus*, vir excellentis ingenii, et iudicio acer, in Gemma *Chiſletiana* LXIX. Illic in altero latere conſpicitur ſerpens in ſe ipſum revolutus, id est, ore caudam apprehendens, in cuius medio hos expreſſos videas characteres ΤΞΕ, et de illis ita iudicat *Wendelinus* apud *Chiſletium* in Commentario pag. 112, *quod non aliae ſint* literae, *quam* ΤΞΕ, *numerum exhibentes* 365 *dierum in anno.* Rectisſime omnino, neque hic disſentiente celeberrimo Auctore Hiſtoriae Manichaeae Tom. II pag. 56. Hoc *Wendelinum* docuit induſtria Gemmarum illarum investigatio. Easdem literas, ſi occaſio tulisſet, profecto etiam deprehendisſet in antecedente Gemma LXVIII, et in multo pluribus aliis, ubi eas tamen non facile agnoscet, niſi qui legendis Gemmis iſtis iam asſuevit, et in ſenſu earum eruendo operam non perfunctoriam collocavit. Reli-

liqua in eodem circulo non aeque feliciter expedire potuit vir doctus, qua de re nos alio loco plura. *Wendelinum* ceteroquin literas has τξε, pro eo, quo valebat, acumine, recte perſpexisſe, et vere interpretatum esſe, docet etiam ſerpens in ſe revolutus, qui eas ambit, et in ſe complectitur. Gnostici, quorum plerique et praecipui a medio circiter ſeculo II inter Aegyptios vixere, ex eorum ſacris ſymbolum hoc in ſuam theologiam ſymbolicam transtulerunt. Symboli illius ſignificationem ſuppeditat nobis (*q*) *Servius* ad *Virgilii* Aen. V. 85: *Annus, ſecundum Aegyptios, indicabatur ante inventas literas picto dracone, caudam ſuam mordente.* Serpens igitur, quem hic cernimus, ſymbolum est anni. Et id ipſum luculentius adhuc declarant literae inſculptae τξε. Quaero iam, quid literae hae, in Gemmis Abraxeis ſaepius viſendae, ſubinnuant. An non, cum Ἀβραξὰς toties in eisdem offendatur, cum unanimi Patrum Eccleſiasticorum testimonio conſtet, et res ipſa id clare loquatur, nomen hoc valere 365, et idem plane ſignificent literae τξε, an non exiſtimare proclive est, Gnosticos per vocem Ἀβρασὰξ, et per literas τξε, quae re ipſa idem valent, rem quoque unam tantum eamdemque deſignare voluisſe? ΤΞΕ igitur Gnosticis id ipſum deſignavit, quod Ἀβραξάς.

§ 15. *Abraxas itaque Gnosticis ſignificabat annum Domini acceptum, Ieſ.* LXI. 2, *id est, tempus miniſterii Christi publici.*

Oſtendi ſupra § 10, Baſilidianos nomine *Abraxas*

(*q*) Alia vid. apud *Scaligerum* de emend. temp. pag. 194, 195.

xas designare voluisse Christum Dominum, nomen vero hoc rite exploratum nihil aliud subinnuere, quam Solem, causam anni per dies 365 divisi, aut annum diebus 365 constantem. Non abs re erit, adhuc in rationem inquirere, ob quam Gnostici tale nomen Christo, Filio Dei, et Redemtori hominum, proprium esse voluerint. Certum mihi est atque indubium, Gnosticos, quando Redemtorem nostrum emblematice vocarunt *Abraxas*, in animo habuisse propheticas quasdam Vet. Testamenti de Messia praedictiones, quas in Iesu nostro impletas fuisse, Euangelium docet. Inter has est illa, quae apud *Malachiam* legitur cap. IV. 2, in Graeca versione, qua utebantur potissimum Gnostici, ita sonans: Ἀνατελεῖ ὑμῖν τοῖς φοβουμένοις τὸ ὄνομά μου ἥλιος δικαιοσύνης, καὶ ἴασις ἐν ταῖς πτέρυξιν αὐτοῦ, *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae, et sanitas in alis eius*, ad quod vaticinium respicit etiam Gemma, quam exhibui § 10. Cum hac *Malachiae* praedictione iungebant illam, qua *Iesaias* populo Dei vaticinatur cap. LXI. 2, Messiam illis annunciaturum esse ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτικὸν, *gratum acceptumque annum Domini*, quod vaticinium Messias ipse, sub initia muneris sui in terra publici, in se iam completum esse, omnibus declaravit Luc. IV. 17 - 21. Promisit itaque Deus timentibus nomen suum, aliquando verum iustitiae Solem, non modo annum laetitiae, iucunditatis, et salutis, in terra promulgaturum, sed etiam re ipsa auspicaturum esse. Vetustiores trium primorum seculorum doctores *annum* hunc *acceptum*, vel *complacentiae Divinae*, nimis stricte interpretantur de tempore ministerii publici, a Christo Domino in terra peracti, quod nimium angustis unius tantum anni li-

limitibus circumscribunt. Ita (*r*) *Clemens Alex.* Stromat. Lib. 1 pag. 340: *Et quod anno solo* Christum *oporteret praedicare, hoc quoque sic scriptum est: annum acceptabilem Domini praedicatum misit me. Hoc et Propheta dixit et Euangelium.* Vide et eumdem Lib v pag. 564, quem locum mox huc transcribam Neque aliter Valentinianos Gnosticos illud Prophetae vaticinium explicuisse, ex hisce *Irenaei* Lib 1 cap III § 3 discimus: *Christus*, secundum Valentinianos, *duodecimo mense passus est. Eum duntaxat unum a baptismo annum praedicationis munus obiisse volunt* Vero perquam simile est, ita censuisse Gnosticos omnes; nam mysteria ipsos in eo quaesivisse, docet *Irenaeus*, et ab iis haec, uti alia quoque, in Aegypto potuerunt accipere *Clemens Alexandrinus* et *Origenes*. Hunc igitur *annum Domini acceptum*, ut fontem cognitionis Dei salutaris atque beatitudinis omnis, quae in Ecclesiam N. Testamenti redundat, Gnostici summa laetitia celebrant, et memoriam illius, non minus quam Christi, qui tamquam Sol iustitiae annum illum auspicatus erat et efficiebat, in symbolico nomine *Abraxas* recolebant, suisque commendabant. *Clemens Alexandrinus*, quem vitulo Gnosticorum nonnumquam arare observavi, imaginare sibi potuit, hunc annum Domini sub Vetere Test. per tintinnabula 360, in pallio Sacerdotis maximi appensa, adumbratum fuisse. Ita enim ille Stromat. Lib. v pag. 564 (*s*): *Trecenta autem sexa-*

(*r*) Eadem legas apud *Origenem* Lib. IV περὶ ἀρχῶν Cap. 1, et *Tertullianum* adv. Iudaeos Cap. VIII, pag. 215 edit. Rigaltii.

(*s*) Sic vertendum, non, ut versio vulgata editionis, qua

ſexaginta tintinnabula, *quae pendent a* Sacerdotis maximi *veste talari*, *est tempus annuum*: *annus*, *inquam*, *Domini acceptus*, *praedicans et reſonans maximum adventum Servatoris*. Quidni igitur Gnoſtici rem eamdem, voce ſymbolica, ideoque ſibi ſacra, numerum dierum 365 exprimente, *Abraxas*, complecti ſibique in memoriam revocare poterant?

§ 16. *Sed quatenus Christus*, *Sol iustitiae myſticus*, *annum hunc auſpicatus est et effecit*, *vel quatenus ipſe est annus Domini acceptus.*

Sed non tamen ſolum annum praedicationis Chriſti in terra voce *Abraxas* ſymbolice recolere voluiſſe videntur Gnostici; ſed etiam totum (*t*) *tempus complacentiae*, et integrum *diem ſalutis*, quem Deus per Christum, Solem Eccleſiae ſuae, auſpicatus est, quique a nativitate Christi usque ad conſummationem ſeculorum decurrit. Aut Christum ipſum conſiderarunt ut annum gratiae et ſalutis, cui ad hunc finem duodecim Apostoli, ut totidem menſes, ſubſerviant. Ita certe *Petrum* Apostolum cogitantem et loquentem introducit *Auctor Recognitionum Clementinarum Ebionaeus* Lib. IV cap. 35: *Vnus*

qua utor, Pariſienſis, quae habet 365[*]. Nam annus Patriarchalis non niſi 360 dies complectebatur. De numero ceteroqnin tintinnabulorum in veste talari Sacerdotis maximi conſulendus erit *Braunius* de Vestitu Sacerdot. Hebr. Lib. II cap. V pag. 458, ubi tamen *Clementis* nostri ſententiam minus recte repraeſentat.

(*t*) Eſa. XLIX. 8, 1 Cor. VI. 1.

---

[*] In editione Potteri p. 668 legitur, *trecenta ſexaginta*.

Vnus est verus Propheta, cuius nos duodecim Apostoli verba praedicamus Ipse enim est annus Dei acceptus, nos Apostolos habens duodecim menses. Quod in Homiliis *Clementinis* Homil. 11 § 23 ita effertur: Τῷ Κυρίῳ γεγόνασιν δώδεκα ἀπόστολοι, τῶν τοῦ ἡλίου δώδεκα μηνῶν φέροντες τὸν ἀριθμόν, *Dominus duodecim habuit Apostolos, duodecim mensium Solis gerentes numerum.* Huiusmodi cogitatis non Gnostici tantum et Ebionaei, sed alii etiam ex veteribus et probatis Ecclesiae doctoribus, indulsisse nonnumquam inveniuntur. Id vero est, quod Basilidianos puto aenigmatice et symbolice initiatis suis designare voluisse per decantatum suum *Abraxas* [*].

---

[*] Perdignus est, qui cum tota hac *Iablonskii* disputatione diligenter comparetur, *Montfauconius* in Antiquitate illustrata tom. II. parte II p. 353—379. Monere supra p. 80 neglexi, *Iablonskium* in Praefatione ante Institutiones Historiae Christianae a 1754 scripsisse: „Si in tempore illorum (*Moshemii* Commentariorum de rebus Christianorum ante Constantinum M, iucunda lectione frui potuissem, monita viri praestantissimi, circa meas — *de Numine Gnosticorum Abraxas* observationes, eo candore brevibus excussissem, qui ingenuos bonarum literarum cultores ante cetera omnia decet, quem Vir Venerandus prae se ferre ubique solet, et quem, satis scio, in me non condemnabit Sed nunc in aliam opportunitatem haec sunt reiicienda". Commentarius *Iablonskii* ad Gemmas Abraxeas, persaepe in hac ipsa dissertatione promissus, si in lucem exiisset, aut MS. ad me pervenisset, manifestum fore opinor, omnem ab eo operam navatam esse, ut suas de nomine *Abraxas* observationes tueretur atque defenderet, quoad eius fieri posset. In exemplo autem dissertationis, quod in hac editione secutus sum, nihil de difficultatibus *Moshemianis* invenitur.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA DE BAPTISMO ARIANORVM VETERVM IN S. S. TRINITATEM [*].

§ 1. *Sunt causae suspicandi, Arianos in Baptismo recessisse a forma externa, quam Christus praescripsit.*

Saepius animum meum subiere cogitationes de Baptismo Arianorum, in quo ille a Baptismo Orthodoxorum quondam fuisset distinctus, quaenam apud ipsos, in baptizando, verborum forma usitata et probata esset, quidque de illa forma censendum sit. Dubitandi circa hanc quaestionem ea primum fuit origo et occasio, quod quidam ex veteribus (*a*) conceptis verbis tradant, Arianos, quando suos, Baptismatis lavacro, Ecclesiae Christianae initiarent, formam verborum adhibuisse, alienam ab illa, quam Christus Dominus praescripsit, quaque Eccle-

(*a*) Vid. infra § 10.

[*] Edita est a. 1734; hic autem recusa, a *Iablonskio* emendata et locupletata.

clesia Catholica usa semper est. Augebatur dubium illud ex eo non mediocriter, quod exemplis plurimis et testimoniis veterum confirmari viderem, Arianos, seculo inprimis V et VI, Catholicos, vi ad communionem ecclesiae suae compulsos, novo Baptismo perfudisse, et Catholicos vicissim, ut idem mos in Arianis observaretur, decrevisse. Et haec quidem cumprimis Catholicorum agendi cum Arianis ratio suspicionem non levem movere potest, ipsos in Baptismo Arianorum aliquid deprehendisse, quod ab institutione Christi recederet, quamobrem talis Baptismus pro vero Baptismo haberi non posset. Nam quando in Concilio Nicaeno I can. XIX de solis Paulianistis, i. e. Pauli Samosateni discipulis, praecipitur, ut, quando Ecclesiae se adiungere cogitant, denuo baptizentur, id a plerisque ita acceptum est, ut illorum solummodo Baptismus, qui similis est Baptismo Paulianistarum, qui, recedentes a forma verborum institutionis Christi, non in expressum trium Personarum nomen Baptismum administrasse creduntur, reiectus in universum et pro nullo habitus, aliorum vero haereticorum, qui formam institutionis illibatam servarent, Baptismus admissus et pro legitimo agnitus sit. Ita perspicue *Augustinus* in libro de haeresibus concludit cap. 44: *Istos sane Paulianos baptizandos esse, in Ecclesia Catholica, Nicaeno Concilio constitutum est. Vnde credendum est, eos regulam Baptismatis non tenere.* Adhuc luculentius idem mentem suam in his explicat, de Baptismo adv. Donatist. L. V c. 25: *Euangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur, quaecunque in prece vitiosa, contra Fidei regulam dicuntur.* Et praesertim Lib III c. 15: *Quamobrem, si Euangelicis verbis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S., Marcion Baptismum consecrabat, integrum*

grum erat Sacramentum, quamvis eius fides, sub iisdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non esset integra. Eadem Scholasticorum, quibus auctoritate *Augustini* nihil potius ac prius est, communis sententia fuit, eamque, ab his acceptam, Theologi Ecclesiae Romanae tuentur. Quod innuens, verissime doctissimus noster *Dallaeus* ita pronunciavit: *Romana Ecclesia, Stephano duce et auctore, Vrbis circa a. 254 Episcopo, haereticorum Baptismum valere, ab illo seculo ad haec tempora constanter sensit*, de Pseudepigraphis Lib. III cap. XVIII. Quare cum Arianorum tamen Baptismus reiectus, ideoque ab orthodoxis repetitus fuerit, videtur consequi, Arianos ab illa baptizandi forma, quam Christus ipse praescripsit, declinasse, et commentis suis Baptismum a Christo institutum interpolasse, aut potius mutasse. Sed rem istam paulo curatius iam excutiamus.

§ 2. *Forma externa respicit primo ipsum lavandi ritum.*

Forma Baptismi externa, a Christo praescripta, respicit primo ritum vel actum Baptismi, qui, ut ipsa *Baptismi* vox per se iam indicat, consistit in ablutione corporis per aquam, sive ablutio illa immersione in aquam, vel perfusione, vel etiam adspersione absolvatur. Hunc ritum Arianos incorrupte servasse, i. e. baptizandos aquae immersisse, aut aqua perfudisse, apud omnes in confesso est, neque ea de re ipsis umquam litem fuisse motam, novimus. Constat quidem, de numero, sive immersionis, sive perfusionis, utrum una sufficeret, an vero trinam esse oporteret, Catholicis aliquoties cum Arianis gravem intercessisse controversiam.

 Nam,

Nam, ut taceam antiquiores (*b*) haereticos, quos Canon ita dictus Apostolicus num. L eo nomine perstringit, quod loco trinae immersionis, in tota ubique Ecclesia receptae, baptizandos semel tantum in mortem Domini mergere consueverint, vulgo notum est, Catholicos idem pariter Eunomio, Arianorum omnium vaferrimo, non sine felle exprobrasse. Qua de re, si quis plura cupiat, consuli poterunt Concilii Constantinopolit. I. can. VII, *Philostorgius* Hist. Eccles. Lib. X c 4, *Theodoritus* Fabul. haeret. Lib IV c. 3, *Sozomenus* Lib VI c. 26, *Socrates* Lib V c. 24, et *Timotheus* Presbyter de receptione haereticorum (*c*), in Eunomianis. Iidem tamen Ariani, tempore aliquo interiecto, in Hispania morem illum mutarunt, ac trinam in Baptismo mersionem sic urserunt, ut ex ea argumentum desumerent, pro adstruendo discrimine trium Personarum inter se. Quam ob rem Catholici illius regni, tum quidem temporis, abrogata aliquamdiu trina mersione, unicam usurpari maluerunt, adstructuri hoc ritu Personarum inter se unitatem summam, et τὸ ὁμοούσιον, donec Arianismo poplites succisi essent. Historiam huius in Hispania controversiae diligenter excusserunt *Gerardus Ioh. Vossius* de Baptismo, Disp. II Thes. 3, 4 et *Ios. Binghamus* Origin. Eccles. Lib. XI cap XI § 8. In hoc itaque praxin Arianorum a praxi Catholicorum saepius diversam fuisse, testatum satis atque exploratum est. Sed et hoc fatendum est, discrimen istud proprie non

(*b*) De antiquioribus illis haereticis consulendi sunt *Cotelerius* et *Beveregius* in notis ad Canon. L. Apostol., et posterior inprimis in Canone Apostolico vindicato L. II c. VI.

(*c*) In *Cotelerii* Monumentis Eccles. Graec. Tom. III p. 384.

non contingere formam Baptismi, ab ipſo Christo praeſcriptam. Quare etſi Ariani reprehenſione indigni non erant, quod, fastidioſe repudiatis ritibus, univerſali totius Eccleſiae conſenſu comprobatis, novos his ſubſtituerent, verſabatur tamen disſenſus ille in re per ſe *indifferenti*, de qua Servator nihil edixit, ſed quam totam Eccleſiae arbitrio permiſit.

§ 3. *Externa Baptismi forma reſpicit etiam verba in adminiſtratione illius Sacramenti adhibenda.*

Praeter ipſum ablutionis ritum, quem Christus Dominus in Baptismo inſtituit, idem ſapientisſimus Servator etiam verba praeſcripſit, quibus ablutionis ratio et finis explicatur, ad formam Baptismi pertinentia, vel, ut alii loquuntur, formam Baptismi conſtituentia. Ita enim inſtitutio Baptismi ſonat, qualem ex ore Servatoris refert *Matthaeus* in Euangelio cap XXVIII. 19: *Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eas in nomen Patris, et Filii, et Spiritus S.* Non itaque Servator discipulos ſuos tantum baptizari voluit, ſed etiam, ut hoc fieret in nomen Patris, Filii, et Spiritus S.. vel, ut veteres loquuntur, invocato ſuper baptizandos nomine S. S. Trinitatis, mandavit, quod proinde ad formam Baptismi, ab ipſo Domino inſtitutam et praeſcriptam, omnino pertinere cenſendum est. Bene *Tertullianus* in Libro de Baptismo c. XIII: *Lex tingendi impoſita est, et forma praeſcripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomen Patris, etc.* Ita vetus Eccleſia tota ſemper ſenſit. Vnde non ſuum, ſed Eccleſiae iudicium nobis exhibet *Augustinus*, quando ita ſcribit, de Bapt. adv. Donat. Lib VI c. 25: *Caeterum quis nescit, non eſſe Baptismum Christi, ſi verba Euangelica, quibus*

Symbolum constat, illic defuerint? Et ibidem: *Certa illa Euangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari.*

§ 4. *Verba Institutionis Matth.* XXVIII *quidam ex Vnitariis suspecta corruptionis reddere conantur.*

Neque tamen defuere, aut etiamnum desunt, qui pedibus in aliam longe sententiam eant. Quinimo compertum habemus, quibusdam ex Anti-Trinitariis, vel, ut se vocant, Vnitariis, superioribus duobus seculis, illam Baptismi a Christo instituti formam eum in modum displicuisse, ut verba Euangelistae, prout in codicibus MSS. et editionibus omnibus leguntur, corruptionis et interpolationis suspecta reddere annisi fuerint. Primi, quod quidem ego sciam, *Franciscus Davidis*, et *Georgius Blandrata* [*], Vnitariorum in Transylvania facile principes, suam hac de re suspicionem subinnuere ausi fuerunt, in Refutatione Georgii Maioris, de Deo Trino in Personis, typis descripta Albae Iuliae a. 1569, quaeque in his oris raro admodum visitur. Illic enim Lit. L. 4 haec verba scribunt: *Non itaque ex hac Christi formula Matth.* XXVIII. 19 (*si tamen Christi est: quum ex verbo Dei constet, Apostolos nullibi in baptizando hac formula verborum usos, sed tantum in nomine Christi creden-*

[*] Conf. *Iablonskius* in Instit. Historiae Christianae t. II p. 115. 189, et *Schulzius* in notis, item *Bock* in Historia Antitrinitariorum t. I part. p. 62. *Blandratae* similiumque vestigia pressferunt *Tellerus*. *Evansonus*, alii, quorum violentos conatus repressit Clar. *van Voorst* in dissertatione ad Matth. XXVIII. 19, patrio sermone edita in commentariis Societatis Haganae pro vindicanda Religione Christiana, a. 178?, p. 361—425, Germanice deinde versa et notis aucta a Rev. Beckhausio.

dentes ac confitentes baptizasse, ut B. Lucas in Actis Apost. passim monstrat: deinde etiam constet, nullibi in scriptis Apostolicis similem ac correspondentem huic formulam reperiri, etc.) Maior *suas Personas potest probare.* Clarius ac luculentius, ut videtur, iidem hac de re sententiam suam exposuerunt, in Disputatione, quae Orthodoxos inter et Vnitarios habita est seculo XVI Albae Iuliae in Transylvania, uti colligere licet ex (*d*) *Anonymi Examine praecipuorum locorum, quibus Divinitas Servatoris probari solet*, Anglice conscripto, Cap. IV p. 15. Verba ex Anglico versa ita sonant: *Auctor noster forsitan ignorat, eruditos quosdam Criticos rationes non contemnendas in medium attulisse, quibus adducti existiment, verba loci, de quo quaeritur*, Matthaei XXVIII. 19 in nomen Patris, et Filii, et Spiritus S. *non auctorem habere ipsum Christum, sed assuta et adtexta fuisse Matthaeo ex receptis Baptismum administrandi formulis. Critici illi observant, Bellarminum infensum cumprimis videri Vnitariis, eo quod in Disputatione (e) Albensi, asserere ausi fuis-*

(*d*) Editus libellus ille in Collectione Tractatuum ab Vnitariis Anglice scriptorum, Londini 1691 etc. in 4to, et quidem Parte II.

(*e*) Habita est Albae Iuliae inter Orthodoxos et Vnitarios Disputatio prima a. 1566, cujus Acta a *Francisco Davidis* et *Georgio Blandrata* edita fuere Claudiopoli a. 1566; secunda a. 1568, quae integros 10 dies continuata fuit. De postrema quaedam annotantur in Historia Eccles. Reform. in Hungaria et Transylvania, opera Beati *Lampii* edita, p. 169, 170. Acta primae Disputationis numquam videre mihi contigit, uti nec Acta secundae, quae a *Georgio Blandrata* in lucem emissa fuere. Vide *Sandii* Biblioth. Anti-Trinit. p. 32. Pervenerunt quidem in manus meas Acta Disputationis secundae, edita a *Caspare Helto* Claudiopoli 1570. Sed illic in Actis quartae diei

fuisſent, verba illa in Euangelio Matthaei addita demum fuiſſe post habitum Concilium Nicaenum. Quod iudicium, ſane audax et confidens, Criticorum horum, quicumque demum illi ſint, inſignem plane in historia Eccleſiastica ignorantiam prodit, quod ipſe ille ſcriptor Vnitarius, cuius verba modo excerpſi, diffiteri non potest p. 17, qui et ab illis de loco Matthaei, in quaeſtionem adducto, diverſum prorſus ſentit. Non defuit tamen (*f*) alius ex Vnitariorum coetu, qui ſuſpiciones illas *Franciſci Davidis* atque *Georgii Blandratae*, ut nec minus illorum Criticorum, quorum in verbis allatis facta est mentio, recoqueret, et lectoribus ſuis de novo offerret. Ita enim auctor ille pariter Anonymus, in (*g*) *Iudicio Patrum de Doctrina Trinitatis oppoſito Defenſioni Fidei Nicaenae Georgii Bulli* ſcribit p. 21: *Sunt rationes idoneae ſuſpicandi, ad inſtitutionem Baptismi, qualem ex Christi ore refert Matthaeus, postea ab alia manu haec verba adiecta fuiſſe*, in nomen Patris, et Filii, et Spiritus S. *Nam ex Apostolorum Actis et Epiſtolis ſatis perſpicitur, ipſos illa verborum forma uſos non fuiſſe, ſed baptizaſſe in nomine Domini Ieſu.* Quae est illa ipſa plane ratio, qua *Franciſcum Davidis* et *Georgium Blandratam* uſos fuiſſe, iam vidimus. *Georgius Bullus*, Episcopus quondam Meneveniſis, postquam verba illa Vnitarii, postremo loco adducta,

Lit. P. 4. b. *Franciſcus Davidis* ad locum Matth. XXVIII. 19 ſic reſpondet, tamquam eum genuinum eſſe concederet, neque ulla alius ſuſpicionis mentio occurrit.

(*f*) Vide et Anonymi annotationem bene longam in *Christoph. Sandii* Interpretat. paradox. Euangel. p. 115, 116.

(*g*) Editum est in Collectione ſupra memorata, Parte III Lond. 1695.

cta, et ipſe attulisſet, a ſe impetrâre non potuit, quin (*h*) hac occaſione, vocem *Polycarpi* Martyris, veteribus memoratam, repeteret: 'O *Deus, in quae nos tempora reſervasti, ut ista patiamur!*

§ 5. *Verba inſtitutionis Baptismi Matth.* XXVIII. 19. *vindicantur.*

Vix operae pretium esſe cenſeo, verba inſtitutionis Baptismi, uti a Matthaeo literis mandata ſunt, adverſus ſuſpiciones adeo frivolas, adeo leves et inanes, adeo ſpecie omni et colore destitutas, pluribus vindicare. Verum enim vero, quia ille Matthaei locus totius nostrae disputationis baſis ac primum fundamentum est, quaestionem de eius γνησιότητι et αὐθεντίᾳ plane intactam praeterire non posſumus. Etſi igitur Vnitarii enixe cuperent, ut locum Matthaei in ſuſpicionem corruptionis et interpolationis adducere posſent, huic tamen ipſorum ſuſpicioni apertisſime repugnat 1. Conſenſus omnium, quotquot in hunc usque diem collati ſunt, Codicum MSS., etſi diverſisſimis temporum ac regionum intervallis exaratorum. Certe in infinito illo variantium Lectionum cumulo, quem editiones nonnullae N. Testamenti exhibent, curâtae a *Millio, Maſtrichtio, Bengelio,* [item a *Wetſtenio, Griesbachio, Matthaeio, Adlero, Birchio*], nihil tamen reperiundum est, quod tali ſuſpicioni aliqua ex parte faveat. 2. Conſenſus omnium verſionum vetuſtarum N. Testamenti, tametſi diverſis temporibus, et diverſarum gentium linguis confectarum, quae omnes verba inſtitutionis ſimili prorſus modo re-

(*h*) Vide *Georgii Bulli* ſeveral ſermons et other discourſes Vol. III p. 850.

repraeſentant, eo nempe, quem editiones noſtrae vulgatae referunt. 3. Conſenſus omnium primitivae Eccleſiae Doctorum, qui verba illa, de quibus quaeritur, ſaepenumero proferre, neque tamen aliter, ac nos eum in noſtris Codd. legimus, citare conſueverunt, ex gr. *Iustinus Martyr* in Apologia II pag. 94, *Irenaeus* Lib. III adv. Haereſ. cap. 19, *Tertullianus* de Praeſcriptione Haeret. cap. 20, et de Baptismo cap. 6 ac 13, *Origenes* contra Celſum Lib II cap. 30 [*], et *Cyprianus* Epist. XXII, XXV, LXXIII, aliique. 4. Conſenſus ipſorum haereticorum, et eorum cum maxime, qui doctrinam de Trinitate omni niſu evertere laborarunt. Cum enim Catholici, ad probandam Trinitatem et *τὸ ὁμοούσιον* Perſonarum, inſtitutione Baptiſmi frequenter uti, eamque in prima acie collocare ſolerent, non tamen deprehendimus, eorum adverſarios umquam *τὴν γνησιότητα* huius inſtitutionis oppugnaſſe, aut etiam in dubium vocaſſe, quod in loco adeo illuſtri, cuius non tantum in docendo, ſed etiam in adminiſtrando Baptiſmo, tam frequens et paene quotidianus uſus erat, quique nemini ex Chriſtianorum grege ignotus eſſe poterat, ſingularem attentionem meretur, eumque omni prorſus ſuſpicione liberat. 5. Praxis Apoſtolorum, qui ſecundum illam, a Chriſto inſtitutam, ſibique traditam Baptiſmi inſtitutionem, Baptiſmum ſemper adminiſtrarunt in nomine [**] Patris, Filii, et Spiri-

[*] Notatu dignior est locus *Origenis* tom. IV Operum p. 554.

[**] Malim hic et deinde, *in nomen.* Differunt enim, meo quidem iudicio, *βαπτίζεσθαι εἰς ὄνομά τινος*, *βαπτίζεσθαι ἐν* vel *ἐπὶ τῷ ὀνόματί τινος*, et *βαπτίζεσθαι εἰς τινά*, in variis librorum Novi Testamenti locis, de quibus fortaſſe alio tempore. Conf. *Iablonskius* § 7 huius diſſertationis.

ritus S. Ita enim Apostolos baptizasse, non modo ex praxi universali totius Ecclesiae, quae id sine dubio ab Apostolis accepit, rite colligitur, sed ad hunc etiam ritum non raro videmus in scriptis Apostolicis alludi. v. g. Act. II. 38, XIX. 2, 3, I Cor. VI. 1, XII. 13. Hebr. X. 29, ut alia loca, quae prolixius explicanda et illustranda essent, silentio nunc praeteream. 6. Consensus totius omnium temporum Ecclesiae Christianae in administrando eodem modo Baptismo, cum distincta nominatione et invocatione trium Personarum, iis etiam non exceptis, qui doctrinam Catholicorum de Trinitate condemnabant. Quid enim, an illi omnes Trinitatem adeo luculenter et solemniter in Baptismo professi fuissent, fidemque suam in Trinitatem Baptismi Sacramento obsignassent, nisi credidissent, se ipsius Christi Domini institutione expressa ad hoc necessario adigi? Talem vero fuisse in praxi consensum, etiam haereticorum, suo loco ostendemus.

§ 6. *Inter Orthodoxos quidam Baptismum, non in Trinitatis, sed in solo Christi nomine, administratum probarunt.*

Fuere tamen semper inter orthodoxos, qui etsi id sibi non sumerent, ut formulam, a Christo praescriptam, in Baptismo mutarent, Baptismum tamen, non in expresso Trinitatis, sed solius Christi nomine administratum, ut plane legitimum probarent, idque exemplo ipsorum Apostolorum fieri posse contenderent. Veterum complures, qui in ea sententia fuerint, *Ambrosium*, *Basilium M*, *Cyprianum*, *Athanasium*, aliosque in scenam producit vir doctissimus *Gerardus Iohann. Vossius* [*] in Dis-

[*] Tom. VI Operum pag. 263.

Disputatione de Baptismo II thes. v p. 50, 51. At obseruatu tamen non indignum est, talem persuasionem, non veteri Ecclesiae, sed privatis quibusdam attribui tantum posse. Quinimo *Ios. Binghamus*, ex omnibus illis, quorum nomina *Vossius* dedit, unicum tantum reperire potuit *Ambrosium*, qui eum in sensum mentem suam dilucide declaraverit, quamvis *Harduino* persuasum sit, ne *Ambrosium* quidem in eam sententiam propendisse, in Dissert. (*i*) de Baptismo in nomine Christi § 6. *Ambrosio* autem *Binghamus* iungit *Vrsinum*, Monachum Africanum, de quo *Gennadius* testatur, eum *scripsisse adversus eos, qui haereticos rebaptizandos esse decernunt, docentem, nec legitimum esse, nec Deo dignum, rebaptizari illos, qui in nomine Christi, vel in nomine Patris et Filii et Spiritus S., quamvis pravo sensu, baptizentur*, de viris illustr. c. XXVII. Qui liber cum etiamnum extet, editus, ut *Labbeus*, et ex hoc Celeberr. *Fabricius* in notis ad *Gennadium* obseruant, a *Rigaltio* et *Fello*, ad calcem *Cypriani* (in edit. Felli p. 17) ex ipso libro de vera auctoris mente iudicium ferri poterit. Memorabile inprimis in hac causa est iudicium Nicolai I Pontificis Rom., qui, in (*k*) Responso ad consulta Bulgarorum cap CIV, etiam a Iudaeo vel pagano baptizatos in nomine Domini admittendos esse decernit: *Hi*, inquit, *si in nomine S. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quip-*

(*i*) In Opp. Selectis p. 331.

(*k*) Extat in Conciliorum Actis ad A. C. 858 in edit. Harduini Tom. v col. 383. [tom. XV Collectionis Conciliorum Mansianae p. 432].

quippe idemque est, ut S. exponit Ambrosius) *constat eos non esse denuo baptizandos.* Taceo Scholasticos, quorum etiam non pauci Baptismum in solo Christi nomine administratum validum esse docent[4], quorum nomina videbis apud *Vossium* l. c. p. 51 [363, 364]. Ex Reformatoribus ipse *Lutherus* aliquando ab illa sententia alienus non fuit, uti nec *Zwinglius*, quorum verba repetit *Vossius* p. 52, qui suo quoque suffragio eam comprobat, uti eam pluribus etiam ex nostris Theologis se commendasse, minime obscurum est.

§ 7. *Sed hoc loca S. Scripturae, adduci solita, non evincunt.*

Facile etiam, me non monente, intelligitur, Theologos illos, quorum § superiori mentionem feci et qui eorum partes sequuntur, non alia de causa ita, ac audivimus, iudicare, quam quod persuasum haberent, ipsos Apostolos, omissa forma Baptismi, a Christo praescripta, in solo Christi nomine Baptismum administrasse. Id certe *Lucas* aliquoties commemorare videtur, Actor. II. 38 (*l*), VIII. 12, 16, X. ult., XIX. 5. Ita etiam *Paulus* Rom. VI. 3, *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Ex his similibusque locis perspicitur quidem, Apostolos baptizasse εἰς Χριστὸν, *in Christum*, εἰς ὄνομα Χριστοῦ, *in nomen Christi*, ἐν ὀνόματι Χριστοῦ, *in nomine Christi*, quas duas posteriores locutiones a se invicem

(*l*) Vti nempe verba in versione vulgata, et quibusdam Codicibus MSS. leguntur.

cem differre, a viris eruditis (*m*) non citra rationem monetur; sed opportuna non minus, quam solida et vera illorum mihi videtur observatio, qui Baptismum illum Apostolorum, *in nomine Christi*, vel *in nomen Christi*, solemnem et distinctam nominationem Patris, Filii et Spiritus S. minime excludere docent. Ita veterum plerique locutiones has scripturae explicant, quorum sententiam in his expressit *Iohannes Damascenus* de Fide Orthod L. IV c. X. Τὸ οὖν εἰς Χριςὸν βαπτισθῆναι δηλοῖ τὸ πιςεύοντας εἰς αὐτὸν βαπτίζεσθαι. Αδύνατον δὲ εἰς Χριςὸν πιςεῦσαι, μὴ διδαχθέντας τὴν εἰς Πατέρα, καὶ Ὑιὸν, καὶ Ἅγιον Πνεῦμα ὁμολογίαν. Χριςὸς γάρ ἐςιν ὁ Ὑιὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὃν ἔχρισεν ὁ Πατὴρ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι, *In Christo igitur baptizari, significat, credentes in eum ablui; atqui impossibile est in Christum credere eos, qui non prius edocti sint, confiteri Patrem et Filium et Spiritum S. Nam Christus est Filius Dei viventis, quem unxit Pater Spiritu S.* Eumdem in sensum ex recentioribus praestantissimi quique interpretes locutiones illas Lucae exponunt. Ita *Grotius* ad Actor. x. 48: *Ex nomine Christi*, in quo baptizandum erat, *tacite intelligitur, et qui unxit Pater, et Spiritus, quo unctus est.* Quae scribens, vir magnus in animo videtur habuisse verba *Iohannis Damasceni* modo laudata. Idem adhuc clarius ad Actor. XIX. 5 scribit: Εἰς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ, *id est, in nomen Patris, et Filii, et Spiritus S.* Neque desunt, qui (*n*) pro-

(*m*) Vide cumprimis *Vitringae* Observat. Sac. Lib. III cap. XXII.

(*n*) Vide *Grotii* Annot. in Matth. XXVIII. 19, *Vitringae* Observat. Sac. Lib. III c. XXII, *Harduini* Diss. de Baptismo in nomine Christi, in Opp. Selectis p. 229, etc.

prolixe admodum, integris commentariis, locutionum harum indolem explicare et in clarissima luce collocare allaborarunt. Quando igitur Lucas narrat, Apostolos baptizasse *in nomen*, vel *in nomine Iesu*, significat 1. eos administrasse Baptismum, a Christo institutum, ut Sacramentum N. Testamenti, eoque nomine ab omni alio Baptismo, qui non est Sacramentum N. Testamenti, distinctum, in nomine Patris, Filii, et Spiritus S. 2. Eos hoc ipso Baptismo initiandos recepisse in eorum numerum, qui Christo nomen suum dederunt, et fidem in eum professi publice sunt. Idcirco etiam legimus, Apostolos ab iis, quos baptizaturi erant, in antecessum professionem fidei in Iesum, Messiam, requisivisse. Nam Patrem et Spiritum S. Iudaei nec ignorabant, nec negabant. Ita Act. XIII. 12 ex versione *Theod. Bezae*: *Quum vero credidissent Philippo euangelizanti, quae ad regnum Dei et nomen Iesu Christi pertinent, baptizabantur tum viri, tum mulieres.* Adde eod. cap. com. 37, 38, et XVI. 31, 32, 33. Hoc est ἐπικαλέσασθαι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, *invocare nomen Domini*, Act. XXII. 16, seu *profiteri Iesum Dominum suum.* Hanc professionem nominis Iesu sequebatur fidei huius obsignatio, seu Baptismus in nomen Iesu, sed secundum formam, a Domino Iesu praescriptam, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. administratus.

§ 8. *Apostoli, et eorum exemplo, Christiani omnes, etiam haeretici, semper in nomine Trinitatis baptizarunt.*

Apostoli itaque formam Baptismi, a Christo praescriptam, minime neglexerunt, sed constanter et sancte servarunt, eoque, ut § 5 iam monui, in scriptis suis non raro alluserunt. Eamdem Baptismi for-

formam, et a Christo praescriptam, et ab Apostolis acceptam, perpetuo retinuit tota Ecclesia Christiana, ipsis haereticis non exceptis, quod postremum idoneis eam in rem allatis testimoniis conficere annisus est *Harduinus* in Dissertatione iam laudata, de Baptismo in nomine Christi. Etenim si ab haereticis illis discesseris, quorum in Canone Apostol. L. mentio fit, et quos *Cyprianus* pariter Epist. LXXIII p. 206, 207, perstringere videtur, uti *Beveregius* erudite coniicit, Canon. vindic. L. II c. VI, quorum historia obscura est, non facile poterit ostendi praxis haereticorum quorumcumque, formam baptizandi, a Christo praescriptam, plane tollens ac evertens. Nihil iam dicam de Ebionaeis, Marcionitis, Valentinianis, Manichaeis, deque aliis, in suspicionem corruptorum in Baptismo suo verborum Euangelicorum adductis, de quibus videri potest *Harduini* Dissertatio laudata, in qua testimoniis luculentis veterum evincitur, hos omnes vere in nomine Trinitatis Baptismum peregisse. Quod vero ad Paulum Samosatenum attinet, cuius solius Baptismum Concilium Nicaenum pro nullo habuit, quemque idcirco verba institutionis neglexisse credidit *Augustinus*, ut supra iam vidimus, et post eum tantum non omnes, testatur *Athanasius*, qui ipse Concilio Nicaeno interfuit, eum utique in Baptismate nomina Trinitatis pronunciasse. Haec enim sunt eius verba Orat. III adv. Arianos p. 219 edit. Commelini, Οὕτω Μανιχαῖοι, καὶ Φρύγες, καὶ οἱ Σαμοσατέως μαθηταὶ, τὰ ὀνόματα λέγοντες, οὐδὲν ἧττον εἰσιν αἱρετικοὶ, *Itidem quoque Manichaei, et Phryges, ac discipuli Samosateni, quamvis ipsa nomina* (Patris ac Filii et Spiritus S.) *pronuncient* (*o*), ni-

(*o*) *Godofr. Hermantius*, vir eruditiss., dans la vie de S. Athanase T. I p. 202, excipit, hoc non dici cum specia-

nihilo tamen minus sunt haeretici. Quin imo ne ipsi quidem Eunomiani invocationem Trinitatis in Baptismo omiserunt, quantumvis eius omissionis a *Theodorito* Fabul. Haeret. L. IV c. 3 rei peragantur. *Sozomenus* Lib. VI c. 26, id ipsum non Eunomio, sed obscuris nonnullis discipulis eius a quibusdam imputari auctor est, hocque verius putat. Vide et *Socratem* Lib. V c. 24. Alii, supra iam § 2 adducti, eo tantum nomine Eunomium vituperant, et Baptismum eius reiiciunt, quod baptizandos non ter, sed semel, et quidem in mortem Christi Domini, tinxerit. Quod quomodo cum invocatione Trinitatis consistere possit, explicare nobis potest auctor vel interpolator Constitut. Apostolic., quem Arianum fuisse permultis indiciis constat, Lib. III c. 17: *Baptismus in mortem Iesu datur. Pater commemoratur, ut auctor et emissor, Spiritus coassumitur ut testis.* Non itaque secum pugnant, uti *Theodoritus* et alii sibi persuaserunt, baptizare in mortem Christi, et baptizare in nomen Trinitatis. Sed quid opus est aliis argumentationibus, cum veteres, ab *Harduino* in Dissertatione saepius laudata in medium adducti, quorum testimonia et nos mox proferemus, candide fateantur, Eunomium utique non secus, ac alios cuiuscumque coetus Christianos, in nomine Trinitatis Baptismum administrasse. Vere itaque ab *Augustino*, de Baptismo adv. Donat. Lib. VI cap. 25, observatum est: *Quis nesciat, non esse Baptismum Christi, si verba Euangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint. Sed facilius inveniuntur haeretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent.*

§ 9.

ciali respectu ad Baptismum, *il ne dit pas expressement, qu'ils les nommassent dans le Baptême.* Sed profecto, non loquitur *Athanasius*, nisi habito respectu ad Baptismum.

§ 9. *Ariani etiam baptizarunt in nomine Trinitatis.*

Propius iam ad Arianos, et adhibitam ab ipsis, in Baptismo, verborum formam accedamus. Nam qualis illa fuerit, hucusque non adeo certum et exploratum est. De Ario ipso, et primis eius fautoribus et asseclis, dubium omnino non est, quin, durante imperio Constantini M., suos ritus ritibus Catholicorum accommodaverint, et, uti in aliis, ita etiam in administrando Baptitmo receptum ubique morem servaverint. De Ario fatentem id habemus *Theodoritum* Fabul. Haeret. Lib. IV c. 2, *καὶ τὴν μὲν ἐπὶ τοῦ Θείου βαπτίσματος γινομένην ἐπίκλησιν ἐναλλάξαι διὰ τὸ τῆς παραβάσεως προφανὲς οὐκ ἐθάῤῥησεν, ἀλλὰ κατὰ τὴν δεσποτικὴν ἐντολὴν βαπτίζειν μὲν παρέδωκεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Πνεύματος Ἁγίου*, Arius *invocationem* Trinitatis *in Divino Baptismo fieri consuetam immutare ausus non est, quia hoc omnibus nimis fuisset manifestum; sed secundum mandatum Domini tradidit baptizare in nomen Patris, et Filii, et Spiritus S.* Et quid luculentius est isto testimonio Auctoris anonymi, sed pervetusti, in *breviario fidei* (*p*) adversus Arianos sub finem: *Ariani bene baptizant, sed male credunt. Regulariter quidem baptizant, sed fidem malam insinuant.* Quin profecto, ne ipsum quidem Eunomium, etsi loco trinae mersionis nnicam in mortem Domini introduxisset, in Baptismo nominationem ac invocationem trium Personarum sustulisse, § praeced. iam monuimus. Audiamus *Augustinum*, illis hoc testimonium perhibentem, de Baptismo adversus Donat. L. III c 15: *Nam*

(*p*) In Opp. *Sirmondi* Tom. I. p. 399.

Nam sub eisdem verbis, id est, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S., non solum Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiae, —— si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines, numerarentur. Cui concinit *Sozomenus* Lib. VI c. 26: *Eunomium certe*, inquit, *nihil in hac parte* (in iis, quae ad Baptismum spectant) *innovasse affirmant.* Et de ita affirmantibus paulo ante dixerat: *Eos quidem veriora dicere arbitror.*

§ 10. *Et quidem retenta formula Institutionis; a qua tamen abiisse videntur Vandali, in Hispania et Africa.*

Quantumvis autem mihi quidem certum penitus ac persuasum sit, Arianos in nomine Trinitatis Baptismum administrasse, alia tamen iam oritur quaestio, utrum verba Euangelica institutionis simpliciter in ritu Baptismi adhibuerint, an vero eamdem suis commentis interpolaverint. De primis Arianis, qui Eunomium antecesserunt, iam dixi, eos in Baptismo plane nihil innovasse ac mutasse. Sed de iis, qui Eunomii aetatem consecuti sunt, in illis praesertim regionibus, ubi auctoritate et potentia valebant, ubi audendi et faciendi, quod vellent, libera potestate fruebantur, rationes non leves dubitare nos merito sinunt. Vulgo notae sunt, et in multorum Theologorum systematibus leguntur quaedam baptizandi formulae, Arianis ab antiquis tribui solitae. Huiusmodi illa est, quam *Athanasius* illis adscribit Orat III adv. Arianos p. 219: *Non enim in Patre et Filio tribuunt Baptisma Ariani, sed in Creatore et creatura, in Factore et factura.* Item ea, quae reperitur apud

Hieronymum adverſus Luciferian. Oper. Tom. IV Part. II p. 295 edit. Martian.: *Baptizant in Patre ſolo vero Deo, et in Ieſu Christo ſalvatore, creatura, et Spiritu S. utriusque ſervo.* De Aëtianis et Eunomianis ſpeciatim narrat *Epiphanius* Haereſi LXXVI circa fin. p. 992, ipſos *rebaptizare in nomen Dei increati, et in nomen Filii creati, et in nomen Filii ſanctificantis, et a creato Filio procreati.* Cave autem exiſtimes, hos veteris Eccleſiae doctores nobis exhibere formulas fixas et ſtatas, ab Arianis conditas, et in adminiſtratione Baptismi proferri conſuetas. Loquuntur illi doctores, non de verbis ore prolatis, quippe quae apud Arianos eadem ſolebant esſe, quae apud Catholicos, ſed de ſenſu, quem verbis Inſtitutionis indebant, et quo illa intelligi cupiebant, uti *Athanaſius* l. c. aperte indicat: quod *Petavius* Dogm. Theol. de Trinit. L. II c. 12, *Harduinus* de Baptismo in nomine Christi p. 234, et ex noſtris permulti iam dudum obſervarunt. Superſunt tamen vestigia in Historia Eccleſiastica, quae fidem faciant, Arianos quosdam, Vandalos cumprimis, in Hispania et Africa, ſeculo V et VI, formulae Baptismi, a Domino praeſcriptae, quaedam de ſuo adtexuisſe, eamque ſic doctrinae ſuae haereticae accommodasſe. Extat hiſtoria memorabilis apud *Nicephorum Callistum*, ſcriptorem ſeculi XIV, in Hist. Eccleſ. L. XVI c. 35, quam ex verſione *Langi* huc tranſcribam: *Eadem tempestate, Episcopus quidam Arianus, cui nomen Deuterii fuit, in urbe Conſtantinopolitana* (*q*) *Barbam quemdam cum baptizaret, veluti Domini tradi-*

(*q*) In Graeco est ἐν τῇ Κωνςαντίνου. Sic nempe Graece exprimitur, quod in Codicibus *Pauli Longobardi* legitur, *Byzantii.*

ditionem abolens, praeter morem receptum dicere ausus est: Baptizatur Barbas in nomen Patris, per Filium, in Spiritu S. Ecce tibi autem, unda, quae in S. lavacro erat, derepente disparuit. Et Barbas, inde profugiens, miraculum id omnibus promulgavit. Haec *Nicephorus*, quae is fine dubio ex scriptore vetustiori hausit. Est autem ille, nisi me opinio fallit, *Paulus Longobardus*, scriptor seculi VIII, qui in Historia Miscella Lib. xv p. 441 edit. Basil. rem eamdem his verbis commemorat: *Caeterum Deuterius, Episcopus Arianorum Byzantii, baptizans quemdam virum, Barban nomine, cum contra regulam fidei, minorem scil. Patre Filium Sanctumque Spiritum asserere cupiens, baptizaturus dixisset: Baptizo Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto, statim aqua, quae ad baptizandum fuerat allata, nusquam comparuit.* Sed illo multum antiquior est *Theodorus Lector*, apud quem historia haec eodem modo relata legitur Lib. II p. 562, Tom. III Scriptorum Hist. Eccl. edit. *Valesii.* Neque tamen sententiam muto. Vide et *Theophanis* Chronographiam p. 130. Quoniam dixi, huiusmodi interpolationem, maxime in Arianis, ex gente Vandalica, in Hispania et Africa observari, non abs re fuerit hoc loco monere, mendum aliquod ab antiquo insedisse Codices *Pauli Longobardi*, ex quo error in alios, ac tamdem etiam in *Nicephorum* redundavit. Cum enim apud *Paulum* legatur *Byzantii*, autumo ipsum scripsisse [*] *Byzacii*, quae est urbs non incelebris Byzacenae in Africa Provinciae, a *Ptolemaeo* in Geographia, et *Proco-pio*

[*] Permutatio nominum *Byzacium* et *Byzantium* non est infrequens. Vid. *N. Heinsius* et *Drakenborchius* ad *Silii Italici* lib. IX v. 204, *Surita* et *Wesselingius* ad *Antonini* Itinerar. p. 50, 51.

pio in Vandalicis, itidem a *Plinio* in Hist. Natur. memorata. Namque disertis verbis *Paulus* professus ibi erat, se res narrare, in Africa, sub Trasamundo, Vandalorum rege, gestas. Sub eius regno, uti vetus auctor vitae Fulgentii tradit, Episcopi Byzacenae Provinciae orthodoxi in exilium pulsi, iisque Ariani substituti erant. Convenit praeterea nomen *Deuterii*, apud *Paulum*, in Africa non (*r*) infrequens. Adde, quod verosimile vix ac ne vix quidem videatur, Episcopum Arianorum, illo tempore, talia impune ausurum fuisse Byzantii, sive Constantinopoli (*s*). Vnicum addere adhuc liceat, nempe historiae huius circumstantias, modo aliquantum diverso, referri a scriptore, *Paulo* nostro vetustiori, et eo ipso Africano, *Victore* Tunnunensi in Africa Episcopo, qui medio seculo VI floruit, quique de re, aut se puero, aut paulo ante aetatem suam gesta, in Chronico (*t*) ita scribit: *Barbas quidam, Ariani erroris Episcopus, dum praesumit, contra regulam, supra baptizandum dicere, Baptizat te Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu S., protinus aqua, ex qua futurus*

(*r*) v. g. in Actis Collationis Carthaginensis, quae cum *Optato* edi solent, c. 135 mentio est *Deuterii*, Episcopii Gratianopolitani, a parte Donatistarum. In Notitia Provinciarum Africae, apud *Sirmondum* Opp. Tom. 1 p. 431, inter eos, quos Hunericus in exilium misit, fuit etiam *Deuterius*, Episcopus Simianensis.

(*s*) Si credimus *Theodoro Lectori* p. 582, Ariani Ecclesiam habebant Constantinopoli, tempore Anastasii Imp. Sed historiam hanc contigisse non Constantinopoli, sed in Africa, disertis verbis narrat auctor Historiae Miscellae, a me allatus. Graeci, ut iam dixi, potuerunt *Byzacium* Africae cum *Byzantio* Thraciae confundere.

(*t*) Ex edit. *Scaligeri* in Thesauro Temp. pag. 5, 6.

rus erat baptizare hominem, nusquam comparuit. Hic, uti videmus, Episcopus vocatur *Barbas*, quem *Paulus* nuncupat *Deuterium*, et vice versa, errore perquam facili. Mihi tamen, ut id obiter moneam, maiori hac in re fide digna videtur relatio *Victoris*, Africani. Nam, uti *Deuterii* nomen, in Africa celebre, bene convenit ei, qui ad sacra Vandalorum transiturus demum erat, ita vicissim nomen *Barbae* typum prae se fert, in nominibus Gothorum et Vandalorum consuetum (*u*). Nota sunt nomina *Totilae* et *Teiae*, et similia, *Vlphilae*, illustris Gothorum doctoris, *Cyrilae*, Patriarchae Arianorum inter Vandalos, cuius apud *Victorem Vitensem*, in Historia persecutionis Vandalicae, aliquoties mentio occurrit. Sed satis de isthac historia.

§ 11. *Occurritur illi exceptioni, historiam illam videri unicam et singularem.*

Poterit facile in mentem cuipiam venire, historiam hanc Barbae esse unicam et singularem, neque ex illa praxin Arianorum communem recte existimari. Cui ego respondendum putem, repugnare huic opinioni rationem illorum temporum, quibus in summa veneratione erant apud omnes Liturgiae, sive Formulae statae et fixae precum aliorumque actuum sacrorum in Ecclesia, a quibus discedere privato haudquaquam licebat. Mos ille in Ecclesias Africanas iam dudum erat publica auctoritate invectus. Nam Canon CIII Codicis Canonum Ecclesiae Africanae ita praecipit: *Placuit etiam hoc, ut*

(*u*) Observa tamen, *Socratem* commemorare *Barbam*, Arianae sectae Antistitem Constantinopoli, Lib. VII cap. VI. Vixit tempore Theodosii II. adde eumdem Lib. VII c. XXX.

ut preces, quae probatae fuerint in Concilio, ſive praefationes, ſive commendationes, ſive manuum impoſitiones, ab omnibus celebrentur, nec aliae omnino contra fidem praeferantur, ſed quaecumque a prudentioribus fuerint collectae, dicantur. Idem etiam ex ſcriptis *Augustini* aliorumque Patrum Africanorum, ſi opus esſet, pluribus confirmare liceret. Neque vero alia ratio erat Arianorum. Nam et illi ſtatas ſuas, in Baptismo aliisque actibus ſacris, ſervabant formas et Liturgias. De illis ſine dubio loquitur *Athanaſius*, quando de Baptismo Arianorum disſerens, ait Orat. III adv. Arianos p. 213, κᾂν ἀναγινώσκωσι τὰ γεγραμμένα, καὶ λέγωσι τὰ ὀνόματα, *Etiamſi ſcripta* (Formulas nempe, ſive Liturgias) *recitent, et nomina* (Trinitatis) *proloquantur.* Quod vero illae Arianorum in formula Baptismi innovationes non adeo in vulgus emanaverint, omuibusque promiscue cognitae fuerint, eius rei plures et graves ſatis rationes indicari posſunt. Illorum namque Arianorum, qui ex Vandalica gente in Hispania, ac postea in Africa, caput extulerunt, uti historia, ita disciplina Eccleſiastica perobſcura est. Si enim ab uno *Victore Vitenſi* discesſeris, qui historiam Perſecutionis Vandalicae, ſub Hunerico, etſi brevem, literis mandavit, quam pauca, quam ieiuna ſunt, quae de hisce Arianis, ex *Procopio*, ex *Vita Fulgentii Ruspenſis*, et uno forſitan adhuc alterove auctore discimus? Vigebat adhaec, illis etiamnum temporibus, disciplina, quae vocatur, Arcani, qua ſollicite cavebatur, ne quisquam coetui Eccleſiastico, ubi Sacramenta adminiſtrabantur, ac ſpeciatim Baptismus, interesſet, niſi qui iam membrum illius coetus esſet, Baptismo aut olim iam initiatus, aut nunc ſaltem initiandus. Eadem ne permittebat quidem, ut de iis, quae in Baptismo peragi ſolerent, coram non initiatis ſermo in-

inſtitueretur. Qua de re, ne iam prolixior ſim, plura videri posſunt apud *Ioſ. Binghamum* Origin. Eccleſ. Lib x c. 5, praecipue § 4. Illam Arcani disciplinam, niſi me fallit opinio, Ebionaei primum in Eccleſiam intulerunt; illam, cum ſeculo IV ubique iam recepta esſet, cupide exosculati ſunt Ariani; illam hodieque magnus Arianae perſuaſionis patronus, *Guil. Whistonus*, ut rem praeclaram et omni laude dignam (*v*) cenſet, et ipſis adeo Apostolis, ſi diis placet, in acceptis refert. Quae cum ita ſint, fieri vix aliter potuit, quam ut haec myſteria Arianorum, tam ſtudioſe ſilentii velo obtecta, in gente obſcura, premerentur ignorantia, et nonniſi ex transfugis discerentur.

§ 12. *Praxis Arianorum potest ex aliis quibusdam vestigiis in Historia Eccleſiae illuſtrari.*

Non adeo difficile foret, ex paucis illis historiae Vandalicae monumentis, quae aetatem tulerunt, vestigia quaedam eruere, ex quibus illa Arianorum huius gentis, in baptizando, conſuetudo confirmari posſet. Sed ne videar nimium indulgere coniecturis, unico tantum utar *Gregorii Turonenſis* testimonio, qui, Histor. Franc. Lib. II c. 2, martyrium nobilis cuiusdam, in Hispania, puellae, quod a Vandalis Arianis ſubire coacta est, hunc in modum refert: *Cum Regis fuisſet oblata conſpectibus, coepit eam primum ad rebaptizandum blandis verbis*

(*v*) Vide eius Primitive Christianity, reviv'd. Tom. I p. 130, 131, etc. et Tom. v Praefat. p. xx, xxi.

bis inlicere. Quae cum venenosum eius iaculum fidei parma propelleret, praecepit Rex facultates eius adferri — deinde suppliciis applicatam sine spe praesentis vitae torqueri. Quid plura? Post multas quaestiones, cum ad hoc frangi non posset, ut Beatam scinderet Trinitatem, ad rebaptizandum invita deducitur. Cumque in illud coenosum lavacrum vi cogeretur immergi, ac proclamaret: Patrem cum Filio ac Spiritum S. unius credo esse substantiae essentiaeque, rel. Ecce puellam, saevissimos cruciatus et ipsam adeo mortem praeferentem Baptismo Arianorum, eo quod crederet, Baptismo illo *scindi Trinitatem*, eaque de causa, ut videtur, formulae Arianorum haec opponentem verba: *Patrem cum Filio ac Spiritum S. unius credo esse substantiae.*

§ 13. *Vti et ex eo, quod Ariani rebaptizarent Catholicos, cui tamen argumento non inhaeremus.*

Aliud ex illo ipso, quem modo attulimus, *Gregorii Turonensis* loco capi posse videtur argumentum, siquidem ex illo intelligitur, Arianos rebaptizasse eos, qui a Catholicis tincti iam fuerant. Et de Vandalis quidem, in Hispania et Africa, res omni dubio caret. Ita egisse eos in Hispania, testem audivimus locupletem, *Gregorium*. Eumdem morem ipsos servasse in Africa, multis indiciis colligitur, ex *Victoris Vitensis* Historia Persecutionis Vandalicae. Vide, si lubet, Historiae illius Lib. I p. 7 édit. Chifletii, L. v p. 82, 83, 87. Adde eiusdem passionem B. Martyrum apud Carthaginem, priori historiae subnexam, p. 91, 93. Ista exemplorum in historia Africana multitudo impulit, ut par est credere, *Antonium Pagi*, in Critica ad Annales Ba-

Baronii, ad an. 324 num. xv, aut potius *Dan. Papebrochium*, cuius verbis se uti *Pagius* illic profitetur, ut haec calamo effunderet: *Rebaptizationem ab Arianis ante Vandalicae Persecutionis tempora tentatam, nemo cum fundamento dixerit, nec debet, tota Antiquitate silente, recipi* (*x*). Imo vero huic viri eruditissimi iudicio reclamant tot certissima Antiquitatis monumenta. Nam etsi illa esset Vandalorum constantissima plurimisque exemplis confirmata consuetudo, ut rebaptizarent, luculentis tamen et exceptione omni maioribus testimoniis ostendi potest, alios Arianos, a tempore Eunomii, idem pariter fecisse. Certe Eunomianos rebaptizasse non modo Catholicos, sed alios etiam Arianos, placita sua non per omnia approbantes, testatur, qui ipse de grege illorum fuit, *Philostorgius* H. E. Lib. x c. 4, nec minus aperte *Sozomenus* Lib. vi c. 24, cui addendae erunt *Henr. Valesii* ad locum illum observationes. Et quid multa? Habemus ipsum *Pagium* ad A. 367 num. iii rem hanc, post *Holstenium*, fatentem et confirmantem. Itaque Ariani Baptismum Catholicorum corrigendum esse putabant. Huic tamen argumento ego nunc quidem inhaerere magnopere nolim. Ex testimoniis enim veterum palam est, Arianos, non minus Clericos, ad suam sectam transeuntes, iterum ordinasse, quam Catholicos rebaptizasse.

§ 14. *Nec id urgemus, quod Catholici pariter Arianos rebaptizaverint.*

Maiori attentione dignum videtur, quod Catholicos pariter ita egisse, et Arianos, ad Ecclesiae suae

(*x*) *Pagium* sequuntur alii, interque hos *Petrus Giannone*, Historiae Neapol. Lib. ii c. 4, p. 1?7, versionis Gallicae T. i.

suae communionem admittendos, prius baptizasse, memoriae proditum legamus. *Timotheus* certe Presbyter, in libro (y) de receptione haereticorum, iis, qui ex haeresi ad Ecclesiam Catholicam accecedentes Baptismo indigeant, annumerat non quidem Arianos quoscumque, sed tamen Eunomianos. Et de iisdem extat (z) Canon VII Concilii Constantinopol. I, quo decernitur, ut paganorum instar primo sint in numero Catechumenorum, deinde exorcizentur, et tum denique baptizentur. Sed, ne quid dissimulem, ne huic quidem argumento multum tribuendum esse duxerim. Equidem, apud Graecos (a) tantum, consuetudinem illam aliquando invaluisse, inquirendo deprehendere potui, eo quod hac persuasione essent imbuti, Baptismum apud eos, qui doctrinam de Trinitate corrupissent, etsi caeteroquin formam a

(y) In *Cotelerii* Monum. Eccl. Graec. Tom. III p. 377 et 383.

(z) Canon ille est CLXX in Codice Canonum Ecclesiae Graecae universae; verumtamen genuinum non esse, sed ex Epistola Anonymi, Constantinopoli, ad Martyrium, Patriarcham Antiochenum, exarata circa a. 455 desumtum, observarunt *Guil. Beveregius* in Pandectis Canon. Tom. II p. 100 et 101, et *Harduinus* in Dissert. saepius laudata p. 234.

(a) In Hispania tamen seculo IV baptismus Arianorum iudicatus fuit esse valoris nullius, quorum iudicio Siricius se opposuit in Concilio Romano. Vide eiusdam Siricii can. 1 in Conciliis *Labbei* Tom. II col. 1018. Adde *Boweri* histor. Pontif. Roman. To. I p. 345. Idem *Bowerus* ibid. p. 339 ex *Gregorio M.* et *Gennadio* observat, Bonosiacorum baptismum, eo quod ritum hunc non in S. S. Trinitatis nomine peregissent, ab orthodoxis pro nullo habitum fuisse; sed recte idem Canonem Concilii Arelatensis, quem et nos adduximus, ipsis opponit, observatque Bonosiacos nonnumquam cum Photinianis confundi consuevisse. Vide et *Dupinii* Bibliothèque Ecclesiastique Tom. V p. 104.

a Christo praescriptam retinerent, omnino nullum esse. Quae fuerit *Athanasii* ea de re sententia, iam intelleximus § 8. Hinc idem sancitur in Concilio Laodiceno, habito circa A. C. 367, Can. 8, in Concil. *Labbei* Tom. I col. 1497. Non aliter docuisse *Basilium*, et plerosque Ecclesiae Orientalis doctores, neque aliter intelligendum esse celebrem de hac controversia Canonem Concilii Nicaeni, erudite adstruxit *Guil. Beveregius* in Canone Vindicato L. II c. 12. Diversa quidem hic erat *Augustini* et Patrum Ecclesiae Occidentalis doctrina, illa nempe, quam § I exposui, quare, si et illi Arianos rebaptizassent, magnum ex eo opinioni nostrae robur accessurum fuisse, dubio plane caret. At nolim diffiteri, vetusta Ecclesiae monumenta contrarium testari. In *Concilio Arelatensi* II placuit Patribus, Canone XVII, ita decernere: *Bonosiaços ex eodem Paulianistarum errore venientes, quos, sicut Arianos, baptizari in Trinitatem manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manus impositione, in Ecclesia recipi sufficit.* Sic etiam *Gregorius M.* in Epistola. Vide Syllogen epistolarum Hibernicarum *Vsserii* p. 4. Et ne plura congeram, uno, sed illustri et memorabili testimonio, quod *Henricus Valesius* ad *Sozomen.* L. VI c. 26. ex *Breyario fidei* incerti auctoris attulit, ad probandum Arianos rebaptizasse, ego nunc probabo, Catholicos in Occidente eos non rebaptizasse. Verba ita (*b*) habent: *Dicere etiam solent de Baptismo, quod in eo melius sit illorum Baptismum, quam nostrum, quia, qui de illis ad nos convertuntur, non eos rebaptizamus, sed per manus impositionem recon-*

(*b*) In Operibus *Sirmondi* Tom. I col. 398.

conciliamus. Illi vero, si quos de nostris seducere possunt, inconsideranter rebaptizant.

§ 15. *Praxis Arianorum in Africa, ex doctrina Arianorum illustratur et confirmatur.*

Vt vero ad Vandalos Africanos iam redeam, certum est, illam Baptismi formulam, qua usum fuisse Barbam vidimus, doctrinae Arianorum valde esse accommodatam, eamque in solidum continere et exprimere. Ariani Filium Dei haberi volebant, et pro Ministro Dei, quo is ceu instrumento, ante mundum producto, usus fuisset, ad mundum et creandum et salvandum, et pro tali Mediatore hominum, per quem ipsi Deo conciliarentur, per quem preces et laudes, et quidquid sacrificii rationem habet, Deo offerrent, ut itaque cultus religiosus, non proprie ad illum, sed per illum ad Deum Patrem referretur. *Vigilius* itaque Tapsensis in Africa Episcopus, Lib. I adv. Varimadum cap. 51, edit. Chiffletii, ad illam Arianorum obiectionem respondet: *ubi dicunt, quia soli Patri sacrificium immolatur.* Ea igitur de causa Ariani doxologias suas et preces semper ad Patrem per Filium dixerunt. Talis est illa, quae legitur in Constitutionibus Pseudo-Apostolicis L. IV c. 5: *Deo sit gloria per Christum in Spiritu.* Et ita facere omnes Christiani iubentur Lib. VI cap. 14, *hunc* Patrem *solum colendum et adorandum, per Iesum Christum Dominum nostrum, in S. Spiritu.* Vide et *Theodoritum* Hist. Eccles. Lib. II c. 22. Ex quibus similibusque aliis indiciis potest (*c*) eorum suspicio confirmari, quibus

(*c*) Vide iudicium *Cotelerii* ad Constitution. Apostol. in notis ad Patres Apostolicos, Tom. I p. 194, 195.

bus in mentem venit, Conſtitutiones illas ab auctore aliquo Ariano aut initio compoſitas, aut postea plurimum interpolatas fuisſe. Ipſius Arii, in detorquendis Eccleſiae precibus et doxologiis ad doctrinam ſuam, ſtudium *Theodoritus* commemorat Fabul. Haeretic. L. IV c. 2: *οὗτος καὶ τῆς δοξολογίας τοὺς νόμους καταλιπὼν, οὓς οἱ ἐξ ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου παρέδοσαν, ἕτερον ἐπεισήγαγε τύπον, δοξάζειν τοὺς ἠπατημένους διδάξας τὸν Πατέρα, διὰ τοῦ Υἱοῦ, ἐν τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι*, *Hicce Arius, descendens etiam a legibus Doxologiae, quas illi, qui ab initio testes oculati et ministri verbi fuerunt, nobis tradiderunt, aliam introduxit formulam, docens eos, quos erroribus ſuis deceperat, glorificare Patrem, per Filium, in Spiritu S.* (*d*). Quamvis autem *Philostorgius*, Eunomianus, et partium Arii ſupra modum etiam cum diſpendio veritatis ſtudioſus, inverſo ordine Catholicos, ac ſigillatim Flavianum Antiochenum, falſo accuſet, quod ille, neglecta vetuſta doxologiarum forma, novam Eccleſiae obtruſerit, L. III H. E. cap. 13, ubi ait: *Flavianum Antiochenum, collecta monachorum multitudine, primum omnium acclamasſe:* GLORIA PATRI PER FILIVM IN SPIRITV S., *alios vero dicere ſolitos:* GLORIA PATRI IN FILIO ET SPIRITV S., vel tamen ex his intelligitur, quid illi quaeſiverint, et quomodo illi preces et doxologias omnes concipiendas esſe voluerint, ut nempe fides omnesque actus cultus vere religioſi in unum Patrem, ut ſolum proprium obiectum cultus, dirigerentur. Hoc citra ambages auctor vel interpolator *Conſtitut.*

(*d*) In eo Arianis praeivit *Origenes* in libro de Oratione p. 50, ubi vide notas *Wetſtenii*. Adde etiam *Du Pin* Biblioth. Tom. I p. 145.

tut. Apostolic. inculcat L. v c. 41, in fine, Πιςεύων τῷ ἑνὶ καὶ μόνῳ ἀληθινῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ, διὰ Ἰησοῦ Χριςοῦ, τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως, *Credens in unum solum verum Deum et Patrem, per Iesum Christum, magnum Sacerdotem.* Cui fidei professioni quam non egregie consonat illa fidei huius in Baptismo obsignatio, vel Baptismus *in Patrem, per Filium, in Spiritu S.?* Et forsitan Arius ipse formulam Baptismi mutasset, eamque tenori doctrinae suae magis attemperasset, nisi metus et pudor eum refrenasset. Ita saltem de eo credere nos iubet *Theodoritus* Fabul. Haeret. L. IV c. 2. Verum quod ipsi non licuit, perfecerunt eius discipuli, Vandali praesertim in Hispania et Africa. Et licet haec religionis suae mysteria celare cuperent, ac etiam sub praetextu disciplinae Arcani, ubique receptae, possent, proditio tamen Deuterii effecit, ne nos nunc ea ignoraremus.

§ 16. *Nostrum de illo Arianorum Baptismo iudicium.*

Antequam manum de tabula auferamus, unum superesse videtur, ut dispiciamus paucis, quidnam de huiusmodi Arianorum Baptismo statuendum nobis sit. Et in eo omnes fidei rectae assertores facile consensuros esse confido, formulam Baptismi, ab Arianis Vandalis propria auctoritate interpolatam, ferri in Ecclesia Dei nullo modo posse. Etenim 1. cum ipse Christus praeceperit, ut Baptismus instituatur *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.*, cur quaeso ab illa simplicitate, cur ab illa formula, haud dubie perfectissima, recederetur? An non huiusmodi ausus, si vel niteretur rationibus innocuis, suspicionibus tamen plurimis atque innumeris abusibus expositus esset? Ille vero Arianorum au-

ſus. 2. tanto magis veteribus viſus est abhorrendus et detestandus, quia certum est, ipſos verba inſtitutionis non alia de cauſa interpolasſe, quam ut fidem de S. S. Trinitate in Baptismo profitendam et obſignandam corrumperent. Sed quaeri tamen praeterea potest, an Baptismus, adhibita hac formula adminiſtratus, pro Baptismo habendus ſit, an vero, qui eo tantum tincti ſunt, alio Baptismate egeant. Quod ut rite fiat, duae quaestiones diſtinctae accuratius excutiendae esſent. Nam I. inter Theologos ambigitur, utrum ad legitimum Baptismum necesſario requiratur ſana illius Eccleſiae, cuius nomine Baptismus peragitur, de Trinitate doctrina, an vero ſufficiat, ut externa Sacramenti huius collatio in *eſſentialibus* ſit conformis inſtitutioni et praecepto Christi Domini. Priorem ſententiam multis Eccleſiae (*e*) Theologis placere certum est. Illi itaque Baptismum ab Arianis collatum, quamvis forma externa, a Christo praeſcripta, ſervata ſit, pro nullo tamen habent. Et profecto rationes afferunt non contemnendas, quarum haec fere ſumma est, quod qui inter Arianos baptizentur, Baptismo illo adigantur quaſi ad profitendum et obſignandum doctrinam illam, quae Trinitatem evertit. Quare, ubi id uſu receptum est, ut baptizati ab Arianis denuo tingantur, ego quidem conſuetudini illi

(*e*) Vide *Hier. Zanchium* in Epist. ad Epheſ. Oper. Tom. VI p. 222, *Ant. Walaeum* de Baptismo. Oper. Tom. I p. 484, *Moſem Amyraldum* in Theſibus Salmur. Tom. III p. 56, 57, *Fr. Burmannum* in Synopſi Lib. VII c. 9 § 13, *Fr. Turrettinum* Inſtitut. Theol. Elenct. Loc. XIX Tom. III p. 442, 443, *Ioh. Braunium* in Doctrina Foederum, et alios.

illi non magnopere repugnaverim. Aliter tamen censuit *Augustinus* et tota vetus Ecclesia Occidentalis, uti iam vidimus § 1 et 14. Vid. *du Pin* Biblioth. tom. 1 p. 152. Illius doctrinam retinuerunt ut plurimum doctores Scholastici, cuius rei specimen capi potest ex Magistro sententiarum, *Petro Lombardo*, L. IV Distinct VI Lit. A, eamdemque Ecclesiae Romanae doctores, etiam cum addito anathemate, in Concilio Tridentino Sess. VII de Baptismo Can. IV, sanxerunt et stabiliverunt. Et quamvis *Athanasius*, *Basilius M.* ac alii vetustiores Ecclesiae Graecae Patres scripto docerent, Baptismum Arianorum re ipsa esse nullum, apparet tamen ex Historiae Ecclesiasticae monumentis, praxin Ecclesiae Orientalis a praxi Ecclesiae Orientalis vix quidem ulla re distinctam fuisse. Ex locis namque § 14 in medium allatis, satis perspicitur, Graecos non Arianos quoscumque in genere, sed tantum Eunomianos in specie, rebaptizasse, eo quod crederent, hos formam Baptismi externam corrumpere. Et uti haec agendi cum Arianis et Anti-Trinitariis ratio, nostris etiam Ecclesiis, usu trita et familiaris est, ita eam Theologi quoque non ignobiles deinde iudicio suo comprobarunt. Certe *Abrah. Schultetus* in Medulla Patrum p. 419 hunc ceu *errorem Concilii Nicaeni*, reprehendit, quod *eos, qui secuti sunt Paulum Samosatenum, iubeat rebaptizari.* A qua sententia non alienum fuisse *Ioh. Calvinum* Instit. Lib. IV cap. 15 § 16, *Phil. Mornaeum* de Ecclesia cap. 2 p. 30, 31, *Ioh. Dallaeum* de Pseudepigr. Lib. I c. 9 et Lib. III c. 18. *Holtzfusium* in Disput. de Baptismo § 8, ut alios iam taceamus, loca modo indicata abunde testantur. Et certe, si semel admittantur, quae a Theologis nostris conceduntur, 1. omnem Baptismum rite (i. e. observatis iis,

quae

quae inſtituit Christus) collatum, valere ſemper, 2. Sacramenti virtutem et efficaciam non pendere a dignitate, aut a voluntate et intentione Ministri, ſed ab inſtitutione Christi, 3. quinimo Christum ipſum abluere a peccatis et baptizare Spiritu, 4. adeoque, ut post *Augustinum* loquitur *Petrus Martyr* Loc. Commun. p. 574, *vim Sacramentorum ſe erga nos habere, non aliter, quam habet lux ſolis, quae tametſi per loca foetulenta et ſordida ſpargatur, non tamen ea cauſa contaminatur, aut inficitur;* conſequi hinc omnino videtur, non necesſario requiri, ut eorum Baptismus, qui ab Anti-Trinitariis, ſed tamen ſecundum inſtitutionem Christi peractus erat, iteretur, ſed ipſos potius, ubi verae doctrinae confesſionem ediderint, ad communionem Eccleſiae orthodoxae ſine vitio admitti posſe. Quod ſi autem praeterea II. quaeratur, an Baptismus ille Arianorum, qui adminiſtratur *in nomine Patris, per Filium* (*f*) *in Spiritu S.*, cenſeri posſit retinuisſe formam a Chriſto praeſcriptam, tria in antecesſum obſervari velimus: 1. Christum proprie formulam literalem non tradidisſe, ſed tantum praecepisſe, ut Baptismus inſtituatur in nomine Patris, Filii et Spiritus S., quorum nomina Ariani illi in ſuo Baptismo etiam expresſere; 2. formam ab Arianis illis adhibitam, non per ſe et directe evertere Trinitatis doctrinam, ſed tantum ex mente Arianorum, et ex ſenſu, quem hi ei indebant, cum caeteroquin orthodoxam explicationem admittere posſet; 3. in Sacramentorum vero adminiſtratione, nobis non ad mentem et arcanam ſententiam adminiſtrantis, quae potest esſe bona, potest etiam esſe mala, ſed ad ipſum actum at-

(*f*) Locutionem hanc in *Euſebio* excuſat *Socrates* Hist. Eccl. Lib. II cap. XXI p. 86.

attendendum esse. Quae si quis rite expenderit, non facile credo improbabit iudicium Ecclesiae veteris Occidentalis, quae ne eos quidem, qui ab Arianis Vandalis tincti essent, rebaptizari voluit, sed etiam in his sinceram doctrinae de Trinitate professionem sufficere putavit. Felices vero illos! qui non modo ternum illud S. S. Divinitatis nomen, quod super ipsos in Baptismo invocatum est, ore profitentur, sed etiam in vera eius cognitione proficere omnibus viribus allaborant, quique Baptismo illo quotidie admonentur, ut Deum Triunum, cui se consecrarunt, in spiritu et veritate per totam vitam suam sancte colant.

EXERCITATIO [*]
HISTORICO-THEOLOGICA
DE NESTORIANISMO,

ET ILLA INPRIMIS NESTORIANORVM PHRASI, QUA HVMANAM CHRISTI NATVRAM TEMPLVM DIVINITATIS VOCARE SOLEBANT.

SVMMARIA.

§ I. *Saepe homines, qui in ipsa re consentiunt, propter meras voces, quibus sententiam suam, utrim-*

[*] Edita est Berolini anno 1724, et ab auctore inscripta viro perillustri *Marquardo Ludovico* Libero Baroni *de Printzen* his ipsis verbis: *Multae sunt causae, illustrissime Domine, quibus adductus fui, ut illustrissimo tuo nomini hanc ceteroquin levidensem meam opellam inscriberem, et sub tuo patrocinio exercitationem hanc in lucem emitterem. Primum enim ipsa haec causa, quam, post aliorum labores, sub examen revocare studui, non levissima aut exigui momenti est, quippe quae ante haec tredecim secula totum Orientem commovit, et, in partes discidit, ad quam cognoscendam et diiudicandam, omnes quondam, qui aliqua seu in Ecclesia, seu etiam in Republica, auctoritate valuerunt, quin ipsi adeo Imperatores, ceu ad rem attenta sua in-*

utrimque agnitam, exprimunt, saevissima excitant foventque dissidia, cuius luculentum ostendit Ecclesia in Nestorianismo *exemplum, ubi pugnatum tantummodo est de vocibus.*

§ 2. *Vt vero hoc ipsum, quod non ab omnibus agnoscitur, tanto clarius appareat, origo* Nestorianismi *indicatur, atque ostenditur, quamobrem*

---

inquisitione dignam, consurrexerunt. Eo vero minus, in causa adeo gravi, hicce conatus meus Tibi, illustrissime Domine, videbitur improbandus, quod illi tam atroci vulneri, quod alii ea qua potuerunt diligentia altius infixerunt, quod auxerunt, dilatarunt ac propagarunt, quodque etiam oras nostras hinc inde aliqua contagione infecit, pro virium modulo medicinam parare aggressus fuerim. Et si quondam tota haec causa, cum in bellum intestinum sacrum erumperet, non modo Theologorum argumentis et disputationibus, verum etiam auctoritate virorum Principum, qui ab utraque contendentium parte in subsidium advocati fuerant, gesta est, quanto rectius nunc eadem causa, sed laetiori facie conspicua, pacanda jam, et, si per hominum multorum humilia ingenia licet, componenda, ab illustri tuo nomine praesidium omne et decus meliori omine sibi mutuabitur? Certe, si viris illis Principibus, illis Ecclesiarum Orientis Praesulibus, quorum auspiciis illa res olim acta fuit, ea fuisset in rebus Theologicis diiudicandis sagacitas, illa cum pietate coniuncta prudentia, ille pro vera Dei eiusque Regni gloria zelus, non pravis affectibus, sed Divino quodam puroque igne inflammatus, quae omnia in Te admiramur et suspicimus, opera aliorum hodie opus non esset, et pax salutaris, miseris illis culpa sua Ecclesiis, restituta iam dudum fuisses.

Tacitus hic etiam praeterire non possum singularem illam benevolentiam Tuam, qua et meos omnes, et me inprimis immeritum hucusque fovisti, qua rebus et fortunis nostris benignissime prospexisti, quae aliquod grati mei animi specimen iam dudum a me poposcit. Accipe igitur, illustrissime Domine, perquam tenue hoc munusculum fronte serena, et qua soles aequitate, illud ex animo offerentis aestima. Deus vero Te, illustrissime Domine, Ecclesiarum nostrarum columen, Reipublicae ornamentum, meum praesidium, quam diutissime sospitem et incolumem conservet. Ita ex animo precatur, cet.

brem sectae eius conditores quasdam phrases, orthodoxis suspectas, adamaverint, et cum quadam affectatione etiam usurparint, quamobrem alias itidem orthodoxorum locutiones bonas et innocuas repudiarint, ut nempe Apollinarismo *ingravescenti obicem ponerent.*

§ 3. Nestorianismus *accuratius nonnihil excutitur. Vitio potissimum vertitur eius fautoribus, (1) quod sine causa quasdam orthodoxorum sanas plane et Scripturae congruentes locutiones aspernati fuerint, ceu male sanas (2) quod alias locutiones adoptaverint, quibus mysterium Incarnationis obscuratum et diminutum fuerit.*

§ 4. *Obiiciebatur itaque primo* Nestorianis, *ipsos de tempore unionis duarum in Christo naturarum indigna et S. Scripturae contraria assevere; cuius accusationis iniquitas, ex ipsis* Nestorianorum *disertis verbis, probatur.*

§ 5. *Porro* Nestorianis *obiiciebatur, eos per locutiones suas non modo duas in Christo naturas constituere, sed et personas duas introducere voluisse; cuius tamen contrarium conceptis verbis docuerunt.*

§ 6. *Phrases illae* Nestorianorum *ab orthodoxis culpatae et proscriptae, quod negari non potest, aliquo defectu laborant, et vim mysterii incarnationis non satis exprimunt, quod in illa phrasi, qua Divinitatem Christi* Templum *humanae eiusdem naturae vocitare solebant* Nestoriani, *quae familiarissima ipsis fuit, quaeque est instar omnium, iam ostenditur*

§ 7. *Primi hac phrasi frequentius solito, et ut servirent hypothesi suae, usi fuerunt* Apollinaristae. *Qua occasione, vera* Apollinaristarum *sententia exponitur.*

§ 8. *Post hos* Nestoriani, *sed alio fine, eamdem locutionem crebris sermonibus usurpare soliti sunt, et eo quidem fine, ut* Apollinaristis *sese opponerent, et phrasi hac Scripturaria absurditatem dogmatum* Apollinaris *omnibus exponerent.*

§ 9. Nestoriani *adeo frequenter hanc phrasin adhibuerant, ut tamdem* Tessera et Specimen Nestorianismi *evaserit, quod ex scriptis* Nestorianorum, *antiquissimis et recentioribus, privatis et publicis, ostenditur.*

§ 10. *Phrasis tamen illa, inprimis ante mota vehementius cum* Nestorianis *certamina, a Patribus quoque orthodoxis scriptis suis inserta fuit.*

§ 11. *Eadem phrasis est quoque phrasis diserta Sacrae Scripturae.*

§ 12. *Vtiliter etiam ad explicandum ex parte mysterium incarnationis adhiberi potest, atque errores* Apollinaris *atque* Eutychis *detegit facile atque iugulat.*

§ 13. *Nihilo tamen minus, phrasis illa a* Nestorianis *semper, ubique, et cum affectatione usurpata et ostentata, ab orthodoxis repudiata, in sensu* Nestorianis *attributo spectata, damnata fuit*

§ 14. *Neque omnino citra omnem causam. Nam etiamsi locutio illa in se bona sit, et praeterea Scripturaria, tamen mysterium incarnationis non perfecte exhaurit. Et qui per illam mysterium incarnationis definiendum esse putat, potest videri ipsum hoc mysterium eiusque vim velle imminuere*

§ 15. *De unione naturarum in Christo hypostatica quaedam delibantur.*

§. 16

§ 16. *Iis positis, ostenditur insufficientia illius phraseos* Nestorianae, *ad definiendum et plene explicandum incarnationis mysterium.*

§ 17. *Attamen ex hac phrasi, eiusque defectibus, mens* Nestorianorum *aestimanda non est, quippe qui phrasi huic sententiam Ecclesiae orthodoxae indiderant, eamque aliis verbis clare satis expresserunt.*

---

§ 1.

Non equidem miratus umquam fui, discrepantiam opinionum et diversos rem aliquam concipiendi modos, etiam in rebus haud maximi momenti, inimicitias tamen graves et saevissima odia peperisse. Eo enim ingenio nati sumus plerique homines, ut aliorum iudicio minus, nostro plus quam par est, tribuamus, ut praeterea ea, quae nos bona et vera esse iudicavimus, non modo nobis placeant, sed eadem etiam aliis aut parum placere, aut plane displicere, aegerrime feramus, iisque propterea male cupiamus. Illud vero non immerito mirari subit, qui fiat, ut ii etiam, qui in re ipsa consentiunt et verum tenent, quippe nonnisi in sententia sua enuncianda nonnihil differunt, bella sibi indicere soleant atrocissima et sempiterna, cum facillime, quoniam in re ipsa consentiunt, si vellent, inter eos convenire posset. Et tamen hoc testatur (*a*) omnium seculorum tristis experientia, sive scholas philosophorum men-

(*a*) Vid. elegantem doctissimi *Sam. Werenfelsii* Dissertat. de Logomachiis Eruditorum [tom. II Opuscul. p. 1 sqq.]

mente tua perlustres, ſive religiones, quae umquam in mundo floruerunt, ſollicite perſcruteris, ſive denique confesſores et doctores ipſius illius veritatis, quae est veritas ſecundum pietatem, intuearis. Hoc ipſum, quod dixi, non aliunde luculentius perſpicitur, quam ex vehementisſimis illis motibus, quibus haereſis ita dicta *Nestorianorum* [*] occaſionem

[*] Innumeros fuisſe ſcriptores, qui de *Nestorio* veraque eius mente, et in univerſum de doctrinae genere, quod ipſe probaverit, copioſius agerent, ſive veteres ſive recentiores, aut *Nestorium* haereſeos accuſantes, aut contra a gravioris erroris crimine liberantes, aut mediam denique viam inter disſentientes eruditos tenentes, recte monuit *Iablonskius* in annotatione MS, huic libello adiecta, et in qua praecipuos eorum recenſuit. Ex veteribus huc referuntur, praeter Acta Conciliorum Epheſini, Chalcedonenſis et Conſtantinopolitani, *Cyrillus* Alexandrinus, *Theodoretus*, *Socrates*, *Leontius* Byzantinus, *Ioannes* Damascenus, *Euthymius* Zigabenus, *Marius Mercator* cum notis *Garnerii*, *Leo* P. R., *Ioannes Casſianus*, *Prosper* Aquitanus, *Gelaſius* P. R., *Vigilius* Tapſenſis, *Facundus* Hermianenſis, *Theodorus* Rhaetenſis, cuius liber adverſus haereſes, quibus hypostatica duarum in Christo naturarum unio oppugnata est, Graece et Latine editus est a *Th. Beza*, Genevae 1576, *Liberatus* Archidiaconus Carthaginenſis: de quibus aliisque ſcriptoribus veteribus, ſumma cum cura lectis, nonnulla in hac et duabus disſertationibus ſequentibus additisque notis MSS. *Iablonskius* obſervavit Ex recentioribus, qui *Nestorium* aut haereticis annumerant, aut e contrario defendunt, complures ab Auctore hic laudantur. E genere priori ſunt *Baronius*, *Tillemontius*, *Noriſius*, *Petavius*, *Natalis Alexander*, *Beveregius*, *Pearſonus*, *Sagittarius*, *Schroederus*, multi alii, ſed inprimis *Ludovicus Doucin* in Historia Nestorianismi, Gallice edita Hagae a. 1698, recuſa deinde, vel fortasſe novo tantum titulo ornata, Traiecti ad Rhenum a. 1716, de quo libro ſic iudicat *Iablonskius:* „hic *Nestorius* pesſime accipitur." Conf. § 1 huius Exercitationis, et alibi. In indice eorum, qui de *Nestorio* minus benigne existimant, neutiquam omittuntur *Car. Gottl. Hoffmanni* disſertatio, qua affirmatur, *Controverſiam Nestorianam olim agitatatam haud fuisſe logomachiam*, Lipſiae a. 1725, et *Pauli Bergeri* oratio, ſic inſcripta: *Nestorianismus haereſeos convictus, Celeb. Iablonskio oppoſitus*, Wittenbergae, a. 1726.

nem praebuit. Quae non ex hoc fonte mala profluxerunt? quot non boni viri dirissima quaevis pati coacti sunt? quantopere respublica non fuit afflicta, quam vehementer ecclesia concussa? Certe vulnus, quod illa occasione ecclesiae Orientali illatum fuit, tam fuit ingens, tam late serpsit, ipsaque intestina corripuit, tam alte insedit, ut per tot seculorum decur-

---

1726. Ad utriusque illius difficultates respondetur cum in nova huius Exercitationis editione, tum in reliquis libellis huc pertinentibus. Quae de hac controversia *Hoffmannum* inter et *Iablonskium* gesta sint, ex mutuis eorum epistolis autographis dictum est in Praefatione ad tomum IV Opusculorum. Copiosior est *Iablonskius* in commemorandis scriptoribus recentioribus, qui caussam *Nestorii* agere conati sunt, eumque e numero haereticorum exemtum voluerunt, et adeo totam controversiam, quantum quidem ad *Nestorium* attinet, logomachiis adscripserunt. Huc pertinere scribit Theologos pauciores Pontificios, Lutheranos vero et Calvinianos complures. Inter primos fuere *Richardus Simonius*, *Ludovicus Maraccius* et *Ludovicus Ellies du Pin*, viri supra vulgus eruditi. *Simonius* latuit sub ficto nomine *Sieur de Moni*, ediditque anno 1684 *Histoire Critique de la créance et des coutumes des Nations de Levant.* Conf. *P. Bayle* tom. I Diction. p. 75, sed qui verum scriptoris nomen ignorasse videtur. *Maraccii* sententiam e part. III Prodromi ad refutationem Alcorani p. 491 commemorat Clar. *la Croze*, Histoire du Christianisme dans les Indes p. 24. *Du Pinius*, Biblioth. des Autheurs Ecclésiastiques t. III part. 2 p. 61, 287, 323, benignius de *Nestorio* iudicaverat, sed deinde coactus palinodiam canere. Vid. *Pfaffius* Introd. in Histor. Theologiae Literariam t. I p. 275. Ex Theologis Lutheranis laudavit Auctor noster *Tobiam Wagnerum*, Inquisit. in Acta Henotica p. 104 sqq., *C. E. Weismannum*, Introduct. in Histor. Eccles. t. I p. 419, *N. H. Gundlingium* in Gundlingianis part. 35 p. 499—545, *C. A. Saligium*, qui in scripto de Eutychianismo ante Eutychem, quod editum est a. 1723, multis hac de re egit cap. 29—31. Quae fuerit opinio *I. H. Horbii* apparet ex eius epistola ad *Marq. Gudium*, ex editione Cl. *P. Burmanni* p. 57, in qua haec leguntur: „Nunc in Nestorianis occupatus sum, *Lutheri* de Conciliis tractatum defendendo, quo *Cyrillum* Haereticum ominatur, *Nestorium* Orthodoxum. Non faciam publici iuris, quoniam promotioni obesse posset, nosti he-

cursum, in hoc usque nostrum tempus, sanari non potuerit, nec etiam, si more humano coniicere licet, ulla medela appareat. Quemnam putes tot tantorumque malorum fuisse fontem? An non pronum est suspicari, *Nestorium* et eius sequaces, aut religionem omnem e mundo sustulisse, aut (*b*) fundamen-

(*b*) Ita etiam post alios iudicat *Lud. Doucin*, Histoire du Nestorianisme L. I p. 2. *On y verra* (dans le Nestorianisme) *la Religion Chrétienne ébranlée jusques dans les fondements.* Ex ungue, quod ajunt, leonem.

---

hominum genus, sed communicabo tecum, ubi colophonem opellae imposuero". Immo defensoribus *Nestorii* ipsum beatum *Lutherum* accensendum existimat *Iablonskius* argumento eorum, quae inveniuntur in libro de Conciliis, qui est in illius Operibus Germanicis Ienensibus, tom. VII. Conf. *Masson* anatom part. 2 fol. 22. b., 69. b. Inprimis e re sua *Iablonskius* censuit numerare Theologos Reformatos, de *Nestorio* pari ratione non inique iudicantes. Quales fuere *Elias Saurin*, Iustification de la doctrine etc. part. 2 chap. 13, et Apologie contre *Iurieu* p. 78, 79, *Sam. Basnagius* tom. III Annalium Politico-Eccles. p 339 sqq., *Iac. Basnagius* in Proleg. ad *Canisii* Lectiones antiquas p. 14 sqq., *Edm. Albertinus* in praeclaro opere de Sacramento Eucharistiae p. 756 ac sqq, *Petrus Bayle* in Dictionar. t. III p. 490 et sqq. et alibi, atque vir Celeberr. *la Croze* l. c. p. 84 sqq. — Cum ista *Iablonskii* annotatione M. S comparentur *Pfaffius* l. c. tom. III p. 251, 252, *Vogtius* tom I Hist. Haeresiolog. p. 458 — 482, *Fabricius* vol. X Bibliothecae Graecae p. 529 — 549 cum notis *Harlesii*, atque recentiores rerum in Ecclesia Christiana gestarum scriptores, *Moshemius*, *Schroeckhius*, *Hamelsveldius*, *alii.* — In nota MS. ad § 15 huius Exercitationis provocat *Iablonskius* ad auctorem *libri de Supposito*, quem tamen an ipse umquam legerit, valde dubito. Possit quis mirari, exemplum huius libri frustra ubique quaesitum esse a *Baylio*, *Saligio*, aliis, omni virium intentione *Nestorium* defendentibus. Vidit autem librum *Saurinus*, possedit *Gerdesius*, *Iablonskius* videtur novisse e *Baylii* Diction. t IV p. 63 — 65 Scriptor libri fuit *David de Rodon*, titulus, unde pariter argumentum praecipuum intelligitur, ita se habet: „Disputatio de Supposito, in qua plurima hactenus inaudita de *Nestorio* tanquam Orthodoxo, et de *Cyrillo* Alexandrino aliisque Episco-

menta saltem verae doctrinae Christianae prorsus subruisse, ut urgente summa necessitate tanto malo obviam eundum fuerit, etiam cum iactura salutis publicae tot alioquin florentissimarum ecclesiarum, et pacis Christianae, etiam cum summo reipublicae (c) detrimento, ac multorum millium exilio, infamia, capitis et bonorum discrimine, quin etiam crudelissima morte. Intererat proinde eorum, qui *Nestorium* condemnarunt, tamque indignis modis tractarunt (d), et interest hodie eorum, qui persecutionem *Nestorii* et

(c) Legi eam in rem potest citati iam *Ludovici Doucin* Histoire du Nestorianisme, ubi motus incredibiles, qui schisma illud consecuti fuerunt, graphice describit.

(d) Quod autem Historici, etiamsi in vita *Nestorii* nihil inveniant, quod reprehendant, quin potius coacti virtuti eius praebeant testimonium, multa tamen de ipsius ambitione, superbia, pervicacia similibusque vitiis suspicentur, mirum non est. Ita enim omnibus temporibus actum est cum iis, qui pro haereticis habiti sunt. Vide Biblioth. Angl. Tom. I part. I pag. 226 et 227.

---

scopis Ephesi in Synodum coactis tanquam haereticis, demonstrantur, ut soli Scripturae sacrae infallibilitas asseratur. Francofurti, anno 1645. „ Quae ipsa verba repetuntur in praefatione p 3. De summa libri raritate, qui continetur paginis 358, testantur *Schelhornius* Amoenit. Liter. t. VIII p. 498, *Gerdesius* in Florilegio Libr. rariorum p. 334—338, *Vogtius* l. c. p. 459—464, cui dicitur *scriptum rarissimis rarius.* Quo perlecto, vidi *De Rodonem*, qui aetate recentiori sententiae huius quasi signum sustulisse videtur, undique omnia diligenter conquisivisse, quae pro vindicando *Nestorii* honore facere censeantur. Defensoribus *Nestorii* unum adiungam *Lucam Trip*, virum amplissimum et praeclare eruditum, qui in Thesibus annexis Dissertationi Historicae de Iesuitis (Groningae a. 1732) scribit: *Nestorius haereticis eximendus est.* — Dici vix potest, quantum invidiae et molestiarum, editione libellorum de *Nestorio* atque *Nestorianismo*, contraxerit sibi *Iablonskius:* qua de re monui pauca in praefatione.

Nestorianorum, aut ceu rem bene et pulchre gestam defendunt, aut aliquo modo excusant, ut ipsum *Nestorium* [*] nobis depingant, ceu hominem ignarum, superbum, pervicacem, crudelem et impium; dogma vero eius horrendum et blasphemum; hae enim sunt elegantiae, quibus disputationes suas vel invectivas in *Nestorium* et veteres et recentiores exornare solent. At si propius et penitius origo magni huius schismatis discutiatur, fatendum erit sagacibus et candidis rerum aestimatoribus, omnes has turbas, non propter dissensum aliquem in fundamento fidei concitatas fuisse, sed propter mera verba (*e*) merasque locutiones, quibus rem, utrimque agnitam, commodius vel incommodius exprimi unaquaeque pars contendebat. Agnovit hoc iam olim scriptor laudatae diligentiae et iudicio pollens, *Socrates* Hist. Eccles. Lib. VII c. 32: *Mihi quidem videtur Nestorius, nec Paulum Samosatensem, nec Photinum imitatus, neque omnino nudum hominem Christum dicere*, *ἀλλὰ τὴν* ΛΕΞΙΝ ΜΟΝΗΝ, *ὡς τὰ μορμολύκεια πεφόβηται*, *sed* solam (Deiparae) vocem *velut larvam quamdam reformidat.* Et eodem capite, in-

(*e*) Idem illud agnoscunt Nestoriani Orientales. Vide *Bayle* Diction. voce *Adam Archidiacre* Tom. I p. 77 not. A, et *Assemanum*, in Elia Chaldaeorum Patriarcha, Tom. I Bibl. Orient. cap. 50 p. 544. Conf. etiam § 9 huius Exercitationis. Observatu autem magis dignum est, ipsum *Cyrillum*, ab initio quidem animo in Nestorium minus iniquo, ab hac opinione non alienum fuisse, ut patet ex Responsoria ad primam eius Epistolam.

---

[*] Quae huic loco in notis MSS. adscripserat Auctor, ea omnia invenies infra in Exercitatione de Meritis *Nestorii* § 4. Idem dictum velim de observationibus MSS. aliis, quae igitur ut hic apponantur, opus non est.

interiectis quibusdam: ΤΗΝ ΛΕΞΙΝ ΜΟΝΗΝ *περιίϛαται*, ſolam vocem (Deiparae) *impugnat*, vel, uti potius vertendum erat, *ſollicite declinat*. Itaque etiamſi idem ſcriptor *Nestorio* ψυχρολογίαν *frigidam vaniloquentiam* exprobret, non diffitetur tamen, litem praecipue de vocibus motam fuisſe (*f*). Ex recentioribus idem aperte fatetur notisſimus Alcorani interpres (*g*) *Maraccius*, et is ipſe, qui totam vitam ſuam in confutandis his haereſibus conſumſerat, *Iohannes Damascenus*, cuius proinde, ut verisſime obſervat illuſtris eruditione Vir *M. V. la Croze*, testimonium magni in hoc negotio ponderis esſe cenſendum est. Taceo iam alios Protestantes doctores, qui, cum nuncium miſisſent praeiudicatis et acceptis a magistris ſuis opinionibus, pro ingenii acumine rem totam facile cognoverunt, et cognitam, qui erat eorum candor, lubentisſime agnoverunt. Quidquid igitur dicant *Lud. Dulcinius* in Historia Nestorianismi et alii, certisſimum tamen est, *Nestorium* eo plane modo, quo docebat *Cyrillus*, ſenſisſe, Christum esſe verum et ſummum Deum, et ſimul perfectum per omnia hominem, hasque duas naturas arctisſime coniunctas esſe, et unam conſtituere perſonam, et totum eius errorem in eo conſti-

(*f*) *Gabriël* Archiepiſcopus in Reſponſione ad *Eliae* Patriarchae Epistolam ait: „Quantum e libris nostris antiquis percepi, ſane non eſt ulla alia diviſio, niſi quod alter alterum non intelligat." Vide *Asſemani* Biblioth. Orient. Tom. III part. 2 pag. 220, ubi omnino legantur, quae ſequuntur.

(*g*) Vtriusque et *Maraccii* et *Johannis Damasceni* verba attulit eruditisſimus *la Croze* in elegantisſima et elaboratisſima Hiſtoria Christianismi Indici, Gallice nuperrime evulgata, L. I p. 24, 25.

ftitisfe (*h*) quod in declaranda fententia fua *abftractum* confuderit cum *concreto*. Quod ad liberandum mul-

(*h*) In antecesfum haec nunc obfervati velim. Totus *Nestorii* error in eo conftitit, quod totum Θεάνθρωπον non ab una tantum natura aut Deum aut hominem recte dici posfe exiftimarit; fic quippe proprietates utriusque naturae commisceri et confundi putabat, fi Christus ab una natura nominaretur Deus, eique tum attribuerentur, quae esfent propria naturae humanae. Qua in re ex parte credebatur confiftere Apollinarismus. Vide § 7 huius Exercitationis in notis. Et certe hoc etiam ad unionem Hypoftaticam in genere fpectatam non requiritur. Namque v. gr. nemo dicit *corpus cogitare*, aut etiam *animam* fenfu proprio *bibere*, et eft tamen inter corpus et animam unio Hypoftatica. *Nestorius* pariter ftatuit, quando fermo est de Servatore nostro, perperam dici *Deum* proprie *nasci* et *mori*, etfi idem improprie concederet de corpore Dei a Divinitate asfumto, atque vice verfa male affirmari *hominem* proprie *esfe aeternum*, *omniscium*, *omnipotentem*, quamvis hoc loquendi genus non improbaret ratione unionis Hypostaticae, quam idcirco minime in Christo tollere noluerit. Vide *Nestorii* Sermonem II pag. 9 in fine, collato Sermone III pag. 14 circiter media. Non negavit *Nestorius*, eum, qui eft Deus, natum pasfumque ac mortuum fuisfe, quia fic limites ponebantur Apollinarismo, et fimul fententia orthodoxa proponitur; fed noluit dicere, *Deum* esfe *natum*, *pasfum* et *mortuum*, quia Apollinarismum continere poterant, et tamen haec verba, quamvis recta et bona, non plus fignificent, quam quod *Nestorius* dicebat. Attamen non accurate fane ille fecit, quia Sacra Scriptura ita de Servatore nostro loquitur, etiamfi de homine fic loqui non liceat. Accedit ratio clarisfima et evidentisfima, de qua aliquid infra dictum est § 15 huius Exercitationis. Male opinabatur, vulgare loquendi genus adverfari rationi, et repugnare Sacrae Scripturae. Frustra faepe inculcavit, receptam dicendi formulam improbari debere, et falfo contendit, Sacras Literas fibi favere atque praeire. Conferatur iam fecunda eius ad *Cyrillum* epiftola c. XI et XII p. 59 editionis in *Marii Mercatoris* operibus.

multis iisque omnino vanis *Nestorianismum* suspicionibus, paulo accuratius ostendere conabor.

§ 2.

Vt autem recte intelligatur, quamobrem a *Nestorio* eiusque vel magistris, vel sequacibus, in explicando incarnationis mysterio, quaedam locutiones orthodoxis minus probatae adhiberentur et ubique praeferrentur, quamobrem aliae itidem orthodoxorum phrases ab iisdem repudiarentur, memoria tenendum est, antesignanos sectae Nestorianae, *Diodorum Tarsensem*, *Theodorum* inprimis *Mopsuestenum*, ipsum *Nestorium* aliosque, errores praecipue *Apollinaris* (*i*) debellandos sibi sumsisse, eoque omnem ingenii sui aciem, omnesque vires contulisse. Id res ipsa docet, id omnia eorum scripta, quae aetatem tulerunt, aperte loquuntur, id nuper quoque pulchre Vir doctissimus mihique numquam sine honoris praefamine nominandus *M. V. la Croze* (*k*) observavit; eoque ipso *Facundus Hermianensis*, auctor minime contemnendus, quaedam *Theodori Mopsuesteni* dicta ambigua extenuabat iam olim, et excusabat, pro defensione trium Capitulorum L. III. p. 121 edit. Sirmondi: *quid illos in ceteris fecisse credendum est, ubi praedictus Theodorus Apollinaristis*

(*i*) Vide Sermonem *Nestorii* VII c. 9, 23, 42, ubi praeter alia etiam haec leguntur: „Quomodo enim resurrexit, qui universitatem sustentat verbo potentiae suae, si iacebat secundum *Arium*." Adde epistolam secundam ad *Cyrillum* c. XIII p. 60 edit. memoratae.

(*k*) Histoire du Christianisme dans les Indes Lib. I p. 9 fin. et 10, et clarisf. *Saligius* in Eutychianismo ante Entychem, p. 292.

ſtis contradicens, quaedam certative magis, quam modeste cauteque locutus est (*l*)? Difficile quidem dictu est, quidnam vere docuerit de incarnatione *Apollinaris*, non diffitente eruditisſimo (*m*) *du Pinio*, atque verendum etiam atque etiam est, ne id *Apollinari* quoque acciderit, quod aliis permultis evenisſe ſcimus, ut multa ipſi affingerentur, de quibus numquam cogitaverat, alia, in quibus paulo obſcurius mentem ſuam expresſerat, in ſenſum longe deteriorem obtorto collo traherentur, qua de re mox plura monenda erunt. Quidquid ſit, illud controverſia omni caret, ſic acceptam fuisſe eius ſententiam, tamquam confuſionem duarum naturarum (*n*) in Christo post unionem docuisſet ac propugnasſet. Errori huic certe crasſo, et omni rationi non minus, quam tot clarisſimis S. Scripturae teſtimoniis e diametro oppoſito, cum ſe opponerent *Diodorus Tarſenſis* et *Theodorus Mopſueſtenus* (*o*), ex cuius ſchola *Nestorius* prodierat, in impugnando hoc dogmate eo modo loquebantur, ut multis viderentur in er-

(*l*) Quomodo doctrinae Apollinaris oppoſita fuerit doctrina Theodori Mopſueſteni, inprimis eleganter docet *Facundus Hermianenſis* lib. IX a pagina 400 ad finem usque libri, quae accurate penſitanda ſunt. Addatur *Iohannes Antiochenus* apud eumdem lib. VIII p. 333, 336, 337, et *Facundus* ipſe lib. X p. 457.

(*m*) *Du Pin* Bibliothèque des Auteurs Eccleſiastiques Tom. II p. 217, 218 edit. Latinae.

(*n*) Sive quod proprietates naturae Divinae attribuantur naturae Christi humanae. Vid. *Baſilii M.* epistolam LXV, et confer *du Pin* l. c. p. 172.

(*o*) De *Diodoro Tarſenſi*, et de *Theodoro Mopſueſteno*, qui fuit *Nestorii* praeceptor, conſulantur *Garnerius* in Praefat. ad Tom. II *Marii Mercatoris* pag. V, *Petavius* de Incarnatione Lib. I cap. 10 § 4, 5, 6, cap. 11 toto, coll. Lib. I c. 7 § 3.

errorem contrarium incidisse, et cum discrimen duarum naturarum in Christo nimis acriter urgerent, *unionem* earumdem *Hypostaticam* sustulisse. Origo igitur *Nestorianismi* in eo consistit, primum, quod locutiones, quae in ipso culpabantur, Apollinarismo oppositae essent, deinde, quod ipse *Nestorius* eas non excogitaverit, sed a magistris suis acceperit. Erat haec tum communis Orientalium doctrina. Verum uti in istiusmodi concertationibus fieri solet, quam orthodoxi culpabant in *Nestorio* et *Nestorianis* τὴν ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, ab illa non prorsus ipsi se conservaverant immunes. Nam cum *Nestorii* doctrinae confutandae intenti essent, iis utebantur argumentis, quae Apollinaristarum (*p*) haeresin sapere

(*p*) Rem hanc saepe tangit *Facundus*, v. gr. Lib. VI p. 243, 245. *Theodoretus* in Epistola ad Johannem Antiochenum de XII *Cyrilli* anathematismis, quae invenitur in Auctario Operum *Theodoreti* p. 60, ita scribit: *Hoc me magis contristat, quod sub pietatis nomine et figura, et in Pastoris dignitate consistens, in haereticas et blasphemas voces erumpit, et dudum extinctam* Apollinaris *inanem simul impiamque doctrinam revocat.* Idem in Epistola ad Monasteria adversus *Cyrillum* scripta, et servata in Auctario citato p. 62: *Quae* (*Cyrilli* capitula) *manifeste ex amara* Apollinaris *radice exorta sunt, eamdem vero habent* Arii *et* Eunomii *blasphemiam; quod si quis subtiliter perspicere voluerit, nec ab insania* Valentini *et* Manae *et* Marcionis *aliena sunt:* quae deinceps probare aggreditur. Similia leguntur in Relatione Orientalium de eventu Concilii Ephesini ad Imperatorem, in eodem Auctario p. 64, in Relatione alia p. 68, in Epistola Orientalium ad populum Constantinopolitanum, ib. p. 70, in Relatione ad Imperatorem de depositione *Cyrilli* et *Memnonis* p. 71, ubi ad anathematismos *Cyrilli* provocatur, quemadmodum et alias saepe fit. Adde aliam ad eumdem Relationem p. 77. *Liberatus* in Breviario cap. IV ait: *Putavit enim* (Johannes An-

re videbantur, quod non citra omnem veri speciem (q) *Nestoriani* frequenter monuerunt. Quam ergo veniam sibi haud immerito expetebant orthodoxi, eamdem *Nestorianis* dare vicissim debebant. Nos sane, qui e longinquo, et, si volumus, sine aliquo partium studio, illa certamina spectamus, iudicamus facile, *Nestorium*, doctrina praeceptorum suorum imbutum, et odio Apollinaristarum vehementi flagrantem, eas in hoc negotio explicando selegisse phrases, quae, etsi alioquin non accuratissimae, tamen illi haeresi quam maxime essent oppositae, illas vero respuisse, quae tametsi innocentes et bonae, aliqua ex parte Apollinaristis favere videbantur. Iam etiam, me tacente, quivis intelligit, cur *Nestorius* unionem duarum naturarum in Christo, unionem esse et concipi debere κατὰ τὴν οὐσίαν, vel (r), quod in illius temporis disputationibus idem putabatur, καθ' ὑπόςασιν, dicere formidaret, quod adeo vitio ipsi vertitur (s). Volebant namque

Antiochenus) Cyrillum, *dum immoderate occurreret* Nestorio, *in sectam* Apollinaris *incidisse*. Non dissimilia postea contigerunt, atque *Nestoriani* orthodoxis *Eutychianismum*, *Eutychiani*. iisdem *Nestorianismum* exprobrarunt. Conf. *Facundus Hermian.* Lib. I p. 11, 35, Lib. VI p. 250.

(q) Vide *Nestorii* Fragmenta apud *Marium Mercatorem* passim, et Epistolam Orientalium ad Imperatorem, in Actis Concilii Ephesini Tom. III edit. Labb. col. 705, item Epistolam *Ibae ad Marim*, in *Actis Concilii Chalcedon.* et apud *Facundum Hermian.* L. VI p. 236, L. VII p. 280.

(r) Vid. *Petavius* de Incarnat. L. II cap. 3, de Trinitate L. IV c. 1, et *M. le Quien* ad *Joannis Damasceni* Dialecticam c. 30, Opp. Tom. I p. 31, 37.

(s) Talem unionem negavit *Theodoretus* in Actis Concilii Ephesini p. 481 ed. Binii.

que *Apollinaris* eiusque discipuli, carnem in Christo cum Divinitate constituisse unam *οὐσίαν*, *unam naturam*, quo factum est, ut ab hoc dogmate dicerentur (*t*) *Synusiastae.* Verebatur itaque *Nestorius*, ne, si diceret, unionem in Christo duarum naturarum factam esse *κατ' οὐσίαν*, hac phrasi *συνουσίωσιν* quamdam, aut *συνουσιασμὸν*, suffragio suo probare (*u*) videretur. Certissimum est alioquin, quod clarisf. *du Pinius* candide (*v*) fatetur, male quantumvis (*w*) ob hunc suum candorem apud Symmystas audiens, *Nestorium* aperte et citra ambages cum

(*t*) Citatur a *Leontio Byzantino* Liber *Diodori Tarsensis adversus Synusiastas.* Et contra eosdem sub nomine hoc scripserat *Theodorus Mopsuestenus:* aut vero eos tantum ab hypothesi ita appellat, librum hunc respiciens. *Facundus Hermian.* L. VIII p. 337 scribit: *Agebat enim Theodorus frequenter, tam libris quam sermonibus in populum, contra Synusiastas, sive, ut ab auctoris sui nomine sunt vocati, Apollinaristas.* *Cyrillus* scripsit quoque *λόγον κατὰ Συνουσιαστῶν*, laudatum a *Photio* Cod. 229 p. 416 ed. Hoesch., in quo ex verbis Christi ad Paulum, Act. Apost. XXII. 8, *Ego sum Jesus Nazaraeus*, ostenderat, Christi carnem in coelo etiamnum esse veram carnem. Exstitit etiam *Theodoti* Antiochensis opus ad Heraclidem *κατὰ Συνουσιαστῶν.* Vide *Cavei* Histor. Literar. Tom. II p. 142. De *συνουσιώσει* Apollinaristarum consulendus quoque *Mich. le Quien* ad *Joannem Damascenum* Tom. I p. 94, 95.

(*u*) *Ephraem* apud *Photium* p. 420 scribit: Σύνθετον δὲ οὐσίαν οὐδεὶς εἰπεῖν ἐτόλμησε πλὴν Ἀπολλιναρίου; ubi *σύνθετος οὐσία* significat *unam naturam compositam.* Et hinc pariter patet mens Apollinaris, qui compositionem agnovit, sed compositum vocavit *οὐσίαν μίαν*, aut *οὐσίαν σύνθετον.*

(*v*) Bibliothèque Tom. III Part. II p. 64 edit. Gallicae.

(*w*) Conf. *Bayle* in Dictionario v. *Nestorius*, p. 498.

cum orthodoxis docuisse 1) Christum esse verum et summum Deum, eumdem 2) hominem perfectum nobis similem, constantem anima et corpore, 3) duas has naturas unitas fuisse, et vinculo quidem arctissimo, 4) proinde duas has naturas unicum constituere Christum, unum Filium, unam personam, et 5) huic uni personae propter unionem recte tribui proprietates, tam Divinae quam humanae naturae. Quid amplius, si rem ipsam spectes, ad dogma incarnationis, quale tradit Spiritus Sanctus in Sacra Scriptura, requiri potest? Si has veritates nonnumquam iis locutionibus expressit, quae non cum summa accuratione Philosophica et Metaphysica convenire quibusdam videbantur (*x*), dandum aliquid erat nimio veritatem defendendi fervori, et rei ipsius, de qua agebatur, difficultati et subtilitati. Illa enim effecit, ut non modo ante *Nestorium*, multi locuti fuerint verbis *Nestorianis*. sed et nec in sequioribus temporibus, et ne hodie quidem, in tanta historiae Ecclesiasticae luce, multi eruditi Theologi, cum dogma hoc explicant, sic cavere sibi possint, quin disputationes eorum de incarnatione Nestorianismum redolere deprehendantur (*y*).

§ 3.

(*x*) Eodem plane modo *Ant. August. Toutteus* quasdam *Cyrilli Hierosolymitani* et aliorum Patrum locutiones ambiguas et ad *Nestorianismum* accedentes excusat. In *Cyrilli* Catech. XI c. 23 p. 159, edit. novissimae sic scribit: *Neque erroris suspecta, aut insolens videri nobis debet huiusmodi ante Nestorianam haeresin oratio, cum similes passim in huius et sequentis etiam aetatis Patribus occurrant sententiae: quas vel Catholici dogmatis de una Christi persona securitas, vel naturas, male ab Arianis et Apollinaristis confusas, distinguendi necessitas peperit.* Conf. eumdem in Homiliam quamdam ejusdem *Cyrilli* p. 339.

(*y*) Illis, qui ante *Nestorium* locuti sunt modo Nestoriano, annumerandus est *Cyprianus* in libro de Idolorum

§ 3.

Omnes autem errores *Nestorii* (loquimur tantum de *incarnatione* (z), alios enim nunc non moramur, uti nec publico Ecclesiae iudicio in eo condemnati fuerunt) ad duo capita non abs re possunt redigi. Nam primo, phrases quasdam orthodoxorum bonas, et auctoritati S. Scripturae non obscure innixas, majori, quam par erat, vehementia repudiavit. Huius generis sciunt omnes fuisse vocem Θεοτόκου, quam recte B. Virgini tribui contendebant

rum vanitate p. 15, 16. Conf. etiam *Chemnicius*, prolixe disputans de duabus naturis c. IX. — Quae mihi opponit *Bergerus* in Nestorianismo haereseos convicto, non magni sunt momenti. Sanequam ego *Nestorianismum*, qualis nempe fuit ab initio, habui pro Logomachia, et etiamnum habeo, consistentem in quibusdam phrasibus, quas tamen defectu aliquo laborare iudicavi. Neque mirum est, nonnulla loquendi genera, quibus *Nestorius* utebatur, nonnumquam apud eos occurrere, qui dogmata, ei adscripta, plane aversantur, quoniam et reperiuntur in *Cyrilli* scriptis, aut quia inveniuntur eo modo correctae, quo istas locutiones adhibuit *Paulus Emisenus*. Vide iudicium meum infra in Exercitatione § 9, cuius iudicii me necdum poenitet.

(z) Vide eruditum auctorem *des Recherches du Christianisme dans les Indes*, in fasciculo Dissertationum Historicarum Gallice vulgato Rotterod. 1707, p. 296, 297, in notis. Ad Pelagianismum pertineret, si *Nestorius* et *Theodorus* docuerint, peccatum Adami non fuisse causam mortis corporeae, quod fide dubia affirmat *Moses Barcephas* apud *du Pinium* in Bibl. Eccles. ad seculum X cap. I p. 4. *Nestoriani* dicuntur censuisse, Christum, quamdiu his in terris erat, mutabilem fuisse. Vide *la Croze* Hist. du Christianisme dans les Indes p. 32. Idem illud Eutychiani postea orthodoxis per consequentiam imputarunt. Vid. *Anastasii* Hodegum p. 12.

bant orthodoxi, negabat *Nestorius.* Verum poterat *Nestorius* habere caussas, ob quas (*a*) locutionem

(*a*) *Nestorius* usum vocis Θεοτόκος, bene intellectae, non potuit reiicere, quamvis voci ipsi propter abusum, quem metuebat, inimicus fuerit. Si enim Christus fuit Deus, quod certe sine ulla tergiversatione docuit et sincere credidit; si porro ille Christus, qui est Deus, natus est e Maria Virgine; profecto non potuit negare, Mariam dici posse Θεοτόκον. Immo vero *Nestorium* hanc vocem Θεοτόκον non plane damnasse*, patet ex eo, quod publice dixerit: λεγέσθω καὶ Θεοτόκος ἡ Μαρία, καὶ παυσάσθω τὰ λυπηρά, *dicatur, si placet, Maria Deipara, et simultas omnis conquiescat.* Vid. *Socrates* L. VII c. 34. Quod quidem *Nestorius*, non, ut vult *Socrates*, inchoato iam Concilio Ephesino, et damnationem metuens, sed Constantinopoli etiamnum versatus, et favore aulae gaudens, dixit, fatente et probante *Ludovico Doucin* Hist. du Nestorian. L. I p. 113, 114. Vid. et *Nestorii* ipsius Sermonem V apud *Marium Mercat.* edit. *Garn.* T. II p. 30. Et sic pariter ante *Nestorium*, magister eius *Theodorus Mopsuestenus* locutus iam fuit, L. XII de Incarnat. (in Actis Synodi Quintae Tom. V edit. Labb. col. 447 et 461.) *Cum ergo interrogant: Hominis Genitrix, aut Dei genitrix Maria? Dicatur a nobis: utrumque*, etc. Melius haec ipsa citantur apud *Leontium Byzantinum* in Monumentis *Canisii* Tom. I p. 589: „Cum igitur interrogant, an sit Maria ἀνθρωποτόκος ἢ Θεοτόκος, h. e. *hominipara* an *Deipara*, dicatur a nobis utrumque, illud quidem natura rei, hoc vero relatione. *Hominipara* quidem natura, quandoquidem homo erat, qui in ventre Mariae fuit, et ex illa prodiit; *Deipara* vero, quia Deus erat in homine, quem peperit, non circumscriptus secundum naturam, sed in ipso existens secundum habitudinem voluntatis." Ad q. l. *Turrianus* haec annotavit: „In Graeco est ἀναφορᾷ. Nam secundum Theodorum haereticum Deus Verbum erat in illo homine, quem D. Virgo peperit, κατ' ἀξίαν, secundum dignitatem, κατὰ σχέσιν γνώμης, secundum habitudinem vo-

nem hanc in ſe innocentem, propter abuſum, quem ipſe metuebat, nollet publice introduci. Eodem modo *Lud. Dulcinius*, acerrimus *Nestorii* adverſarius, iudicium de locutione quadam haud abſimili totius Eccleſiae ſiniſtrum, et duorum Pontificum ſibi invicem plane contrarium, defendi (*b*) poſſe, ſibi per-

voluntatis, κατ' ἀναφορὰν, ſecundum relationem, κατ' ἐνεργείαν, ſecundum operationem, idem omnino pluribus verbis ſignificans. Ponebat itaque unionem ἀξιωματικὴν, γνωμικὴν, ἐνεργητικὴν, συνεργητικὴν, ἀναφορικήν."

Neque modo *Theodorus Mopſuest.*, ſed et *Diodorus*, *Theodori* magiſter, Mariam faſſus eſt Θεοτόκον, idque conſtanter docuit, quamvis certe eadem cum *Theodoro* et *Nestorio* ſentiret. Teſtatur de Diodoro ipſe *Iulianus* Apoſtata in Epiſtola ad Photium apud *Facundum* p. 163, 164, unde ſequitur omnino, quod idem infert p. 165. Sequiores *Nestorii* aſſeclae etiam confitebantur Mariam Θεοτόκον, ſed hoc non ſufficiebat Cyrillo. Vid. *du Pin* Tom. IV p. 316. Adde *Anaſtaſium* Sinaitam de haereſibus apud *Fabricium* vol. VII Bibl. Gr. p. 482 et 483. De *Coſma* id ſigillatim obſervat *la Croze* l. c. p. 36. Quod autem ſupra monui de *Nestorio* abuſum nominis Θεοτόκος metuente, atque de ipſius adverſariis, hanc vocem valde damnantibus, exemplo recentiori poteſt confirmari. Proteſtantes Theologi, etſi non refugientes B. Virginem dici *Matrem Dei*, quod in ſe verisſimum eſſe agnoſcunt, parcius tamen illa appellatione utuntur propter conſequentias metuendas. Vide *Drelincourtii* verba apud *Bayle* Tom. III Diction. p. 498, 499 in not. lit. P. Etiam *Iurieus*, quo nemo inter Proteſtantes maiori acerbitate *Nestorium* aggreſſus eſt, non attendens ad controverſiam et aliud agens, non dubitavit vocem Θεοτόκος, *Mere de Dieu*, nuncupare originem idololatriae. Conf. excerpta ex libro *Saurini* apud *Bayle* l. c. Tom. III p. 494 in notis.

(*b*) *Doucin* Hist. du Neſtorianiſme L. IV p. 334: *Il s'agit icy d'une expresſion* qu'un de l'adorable Trinité eſt mort ſur la croix, *fort catholique en elle même, et comme telle reçue enfin de toute l'Egliſe, avec Anathème,* con-

persuadet. Deinde, ipse *Nestorius* frequenter utebatur locutionibus, sibi et praeceptoribus suis perdilectis, quibus incarnationis mysterium obscurari, aut plane everti putabatur; quae locutiones, etsi severe nimis examinatae, sint incommodae, tolerari tamen potuissent in fratre, qui phrases illas improbatas non eo usque extendebat, ut etiam consequentias omnes, ex illis ab orthodoxis deductas, comprehenderent, qui saltem consequentias ex phrasibus suis, seu sponte fluentes, seu violenter protractas, serio deprecabatur, et contrarium luculentis verbis (*c*) docebat. Et haec sine dubio causa fuit, cur *Tob. Kortholtus* in Hist. Eccles. ad sec. v p. 16 ita iudicaret: *Si de haeresi illa iudicare velis ex ipsius Nestorii, ad Cyrillum data, et in Synodo Ephesina recitata, Epistola* (potest addi, et ex aliis eius residuis monumentis), *dixeris eam nullam esse.* Quae ibi sequuntur, legi etiam merentur. Est praeterea ob-

contre quiconque osera nier, que le crucifié soit un de l'adorable Trinité, *et cependant rejettée d'abord comme suspecte par tout le peuple Catholique, et, ce qui est bien plus considerable, par plusieurs Papes tres éclaires, à cause du danger ou l'on étoit alors, et des mauvaises intentions de ceux, qui s'efforcoient de l'introduire.* Conf. eod. Lib. p. 373, in quibus omnibus *Nestorii* causa agitur. Vide quoque *Petavium* in Historia Theopaschitarum Lib. v c. 4, *Sirmondum* ad Avitum p. 8. Comparentur observationes *Facundi* Lib. vi p. 256 de voce *Hypostaseos*, et quae monuit *Hermant* in Vita Athanasii Tom. ii p. 460, item animadversiones *Facundi* Lib. x p. 450, *Basilii* apud *du Pin* Tom. ii Bibl. p. 466, atque conferantur *Petavius* de Incarnat Lib. v c. ii et *Wormius* in Historia Sabell. cap. 3 § 3, praecipue p. 118 sqq. de usu vocis ὁμοούσιος.

(*c*) Aperte id profitetur in Epistola ad Coelestinum, observante *Saligio* p. 291. Iunge *Nestorii* Sermonem xii, et recentiores apud *la Croze* l. c. p. 11, 12, in not.

obſervatione non indignum, *Marium Mercatorem*, qui ingenti zelo ad *Nestorii* doctrinam confutandam omniumque oculis exponendam accesſit, quique, ut nuper (*d*) Vir eruditisſimus obſervavit, Monophyſitarum castra ſecutus est, postquam duodecim eius anathematismos, totidem Cyrilli anathematismis directe oppoſitos, et compendium illius, uti dicitur, haereſeos, exhibentes, retulisſet, nihil tamen fere in illis reprehendere, aut refutare, niſi quod illorum auctor mentem orthodoxorum aut non ceperit, aut male, repraeſentarit, adeoque cum larvis pugnet, ex quo denuo colligere licet, omnem hanc disputationem nihil fuisſe niſi logomachiam. Si autem praeterea *Marius Mercator* ibi *Nestorio* errores nonnullos exprobrat et dogmata male ſana, caecum esſe oportet, qui non videat, *Nestorio* tum invito obtrudi ſententiam, a qua mens erat alienisſima. Hoc vero ex *Nestorii* et *Nestorianorum* verbis confirmare, atque imbecillitatem accuſationum, ipſi ab adverſariis intentatarum, in apricum proferre, operae pretium esſe puto.

§ 4.

Principio ex *Nestorii* locutionibus ſequi crediderunt orthodoxi, eum de tempore unionis duarum naturarum Hypoſtaticae indigna prorſus docere, idque ſummo vitio ei verterunt. Brevi, perſuaſerunt nobis, *Nestorium* exiſtimasſe ac asſeruisſe, hominem integrum in utero B. Virginis formatum, et hominem ſic iam formatum deinceps a Deo Verbo ſibi unitum fuisſe, unde ſequeretur, carnem Christi aliquando non fuisſe carnem Verbi Dei, humanam ita Christi naturam aliquando fuisſe a Divinitate ſeparatam,

(*d*) *M. V. la Croze* l. c. L. I pag. 22.

tam, et personam separatam constituisse, cui personae separatae deinde accesserit alia persona Divina, priori solo voluntatis et gratiae affectu coniuncta. Ita solet repraesentari *Nestorii* sententia: quam in rem praestat audire *Petavium*, strenuum *Nestorii* et suo et antiquitatis nomine accusatorem, cuius haec sunt verba Lib. I de Incarnat. c. IX § 4: *Fons autem ac caput impuri dogmatis hoc fuit. Coniunctionem, sive unionem, aut unitionem duarun in Virginis utero naturarum ita factam asserebat, ut ante formatus sit homo integer et perfectus, deinde cum Deo copulatus fuerit, atque ex ista coniunctione, quam συνάφειαν vocat, homo nominari Deus coeperit. Declarat hoc falsum illud Symbolum a Nestorio conditum, quod (e) Charisius Presbyter Ephesinis patribus obtulit, in quo ita legitur:* Ὅτι ὁ δεσπότης Θεὸς Λόγος ἄνθρωπον εἴληφε τέλειον, etc. Ὃν ἄνθρωπον ὄντα καθ' ἡμᾶς τὴν φύσιν, Πνεύματος Ἁγίου δυνάμει, ἐν τῇ τῆς παρθένου μήτρᾳ διαπλασθέντα γενόμενον ὑπὸ γυναικὸς, etc. ἀποῤῥήτως συνῆψεν ἑαυτῷ. Hactenus *Petavius* (*f*). Eadem sententia etiam Theo-

(*e*) In Actis Concilii Ephesini Act. VI p. 360.

(*f*) Idem pluribus de hoc argumento disputavit Lib. IV c. 11. Istiusmodi vero errorem falso esse *Nestorio* imputatum, clarissime infra ostendam § 4. Hoc adversarios meos, *Hoffmannum* et *Bergerum*, valde torsit, variis modis quaestionem hanc obscurare annitentes. Itaque dixerunt, *Nestorium* intellexisse *copulam imperfectam*. Sic confundunt quaestionem de *modo unionis* cum quaestione de *tempore*, ut tenebris lectorem involvant. Cur igitur duae hae quaestiones seperatim et distincte fuerunt pertractatae? Sic profecto una tantum fuisset quaestio, si semper quidem, sed tamen imperfecte natura Divina cum humana diceretur coniuncta. At vero aliud voluerunt *Cyrillus* et orthodoxi, affirmantes nempe, *Nestorium* peccasse non tantum in *definiendo unionis modo*, sed et in *determinan*-de

Theodoro, *Neſtorii* magiſtro, impingitur (*g*). Et ſane is, in fervore diſputationis adverſus Apollinariſtas, quaedam incautius (ut ſupra iam ex *Facundo* obſervavimus) effudit, quae leniter reprehenſus haud gravatim emendaturus fuisſet. Si fides habenda eſt ipſius verbis, qualia ab aliis citantur, dicendum eſt, eum ambigue et haeſitantem veluti ea de re locutum esſe. Exſtat in Actis Concilii Quinti edit. Labb. Tom. v col. 436 fragmentum, ex libro eius III de Incarnat., in haec verba (*h*): *Sed quid eſt Deus ex Deo, et conſubſtantialis Patri? Is idem, qui ex Virgine natus erat, o mirandum! et qui per Spiritum Sanctum ſecundum Divinas Scripturas plasmatus eſt, et confectionem in muliebri accepit ven-*

do tempore, atque *Neſtorio* hanc affingentes ſententiam, humanitatem Chriſti aliquando, ſive in utero, ſive etiam extra uterum, exſtitisſe ſine ulla Divinitatis unione. Vide verba *Petavii*, item loca *Vincentii Lirinenſis* et aliorum a me hac § citata. Talem tamen errorem *Neſtorio* falſisſime adſcriptum fuisſe, docent verba eius ipſisſima a me laudata, quibus addantur, quae alium in finem ipſe *Hoffmannus* produxit p. 21 § 6.

(*g*) *Theodorum Mopſueſtenum* defendit etiam *Garnerius* not. ad *Marii Mercatoris* Tom. II p. 262.

(*h*) Idem fragmentum legitur etiam apud *Leontium* L. III contra *Neſtor.* et *Eutychem* p. 483 Tom. VI Bibl. Pat. Colon., et quidem a *Turriano*, *Leontii* interprete, longe melius verſum et latine factum, unde ex collatione utriusque citationis quaedam mutavi et clariora effeci. Ex collatione enim facile coniici poteſt, quid in Graeco fuerit [*].

---

[*] Apud *Leontium* lib. III adv. Neſt. et Eutych., in Monumentis a *Caniſio* editis tom. I p. 590, citantur haec verba e libro III *adverſus Apollinarem*. Fortasſe iſte liber inſcriptus erat *de incarnatione adverſus Apollinarem*.

ventre. *Inerat* (*i*) forsitan, *quia simul ut formatus est, accepit quoque, ut esset templum Dei, non tamen existimandum nobis est, Deum de Virgine natum esse, nisi forsitan idem existimandum est, genitum, et quod est in genito, templum, et quod est in templo Dei Verbum.* Qui nasum habet, quique historiae Ecclesiasticae imperitus non est, sentiet illico, priorem horum verborum partem sententiam continere *Apollinaris*, quam exagitat *Theodorus*, dicens: putasne eumdem posse esse summum aeternum Deum, et tamen post multa secula initium cepisse in utero B. Virginis? Tum sic respondet: non Deus et consubstantialis Deo ex Virgine natus est, sed inerat ei, qui ex Virgine natus est, quia non alium in finem humanitas in Virginis utero a Deo Verbo formata est, quam ut sibi uniretur. In eodem Lib. III de Incarnatione sic *Theodorus* (*k*) loquitur: *Mox autem in ipso plasmato* (*l*) *Deus Verbum*

(*i*) Ex collatione *Leontii* intellexi, hic fraudem et interpolationem factam fuisse, quod in *Theodori* huius scriptis saepius accidisse queritur *Facundus Hermian.* L. III p. 120, 121. In Graeco hoc lectum non fuit. Sic enim verba haec citantur a *Leontio*, Theodori inimico acerrimo: *sed inerat* (*Deus*) *in genito ex Virgine*, ubi FORSITAN aut alia similis dubitandi particula non occurrit, neque etiam sensus id hic permittit, consideretur modo rerum ordo [*]

(*k*) In Actis Concilii Quinti apud Labb. col. 437 T. V.

(*l*) Elegantis ingenii vir ac eruditissimus *Nic. Westermannus*, Collega coniunctissimus, coniiciebat in Graeco fuisse, ἐν πλασθέντι Θεὸς ὁ Λόγος ἐνεγίνετο, ut vertendum sit:

[*] Conf. editio *Canisii* l. c.

bum factus est: nec enim in coelum ascendenti solum inerat, sed etiam ex mortuis resurgenti, utpote et resuscitans eum secundum suam promissionem. Nec resurgenti ex mortuis solum inerat, sed etiam crucifixo et baptizato et praesentato secundum Legem, et circumciso, et partus pannis obvoluto. Erat autem (*m*) forte *in ipso et nascente, et cum in utero materno esset, a prima statim plasmatione.* Ex his productis colligere est, *Theodorum* de tempore et momento unionis subdubitasse, aut saltem ambigue locutum esse. Observare tamen hic possumus, *α*) verba haec allata, ex Graeco et quidem non optime, versa esse. Non una est causa, ob quam suspicemur, auctorem huius versionis, quae in Actis Concilii Quinti nobis conservata fuit, aut vim verborum et mentem *Theodori* assecutum non fuisse, aut eam haudquaquam apte expressisse, aut denique in exemplaria depravata et interpolata incidis-

sit: *mox, vel illico, in ipso plasmato Deus Verbum fuit,* alioquin locus est obscurus. Eo forsitan *Cyrillus* respicit in Scholiis de Incarnat. apud *Marium Mercat.* T. II p. 233: *Homo igitur factus est vere is, per quem fecit et secula Deus Pater, et non, ut nonnulli existimant, IN HOMINE FVIT.*

(*m*) Dubitari merito potest, an haec sint ab ipsius *Theodori* manu. Similem imposturam in praecedenti loco iam observavimus, et eadem facile potuit repeti. In priori loco, pro FORTE, exemplaria *Leontii* habuerunt, SED, ut suspicari possimus, in Graeco fuisse ἀλλὰ, quae est plerumque particula adversativa, *sed*, *verum*, aliquando tamen per *quin imo* vertenda est, quod huic loco optime quadrat: *quin imo erat in ipso iam nascente a prima plasmatione.* Aut si hoc loco in Graeco fuit ἴσως, illa particula non semper est dubitandi particula, *forte*, sed nonnumquam vim habet affirmandi et asseverandi, *certe*, *sane.*

disſe. β) ſcripta inprimis *Theodori*, ad invidiam tanto viro creandam, certatim corrupta variisque modis incrustata fuisſe. Vide *Facundum* L. III p. 117, 118, 120, 121, et L. X p. 429, 448. Is ipſe itaque *Facundus* calumniam hanc, *Theodori* verbis, uti vidimus, innixam, ab eodem tamen removere conatur L. III p. 103: *Nec tamen ostendit, ubi Theodorus dixit, quia homini praeexiſtenti unitum est Verbum.* Deërant id aperte docentia. At vero contrarium etiam ibidem ex ipſis *Theodori* verbis (*n*) probat, qui ſic alicubi loquitur: *Non puro haec alicui homini coaptantes, dicimus*, et cet. *Sed inhabitato quidem a Deo Verbo, ab ipſa in utero matris plasmatione* (*o*). Hunc vero errorem a magi-

(*n*) Illis a *Facundo* allatis addantur haec ex Libro VII de Incarnatione citata a *Leontio Byzantino* adverſus Nestor. et Eutych. Lib. III (edit. Caniſii Tom. I) p. 585: *Habuit enim ſtatim a principio, cum ipſo* (Verbo Deo). — *Tanto perfectius et maiori facilitate virtutem exequebatur, quam reliqui homines exequi poterant, quanto Deus, qui in principio ipſo formationis eius ſibi eum unierat, maiorem e ſe coöperationem illi praebebat.* Ex eodem libro ibidem p. 586 haec afferuntur: *Unitus enim fuit Deo a principio asſumtus ſecundum praecognitionem in ipſa formatione in utero facta unitionem ſortitus.*

(*o*) Loco *Theodori* citato potest adiungi locus alius, qui exſtat in Actis Concilii Quinti, act. V col. 457: *Ex Patre quidem natura genitus est, templum vero, quod ex Maria natum est, ex utero* ipſe *ſibi fabricavit.* Sic enim pro *ex* ipſo *utero ſ. f.* legendum videtur, ut infra monui § 9 in notis [*].

[*] Lectio vulgaris non videtur ſollicitanda. Non dicam, coniecturae *Jablonskii* obſtare transpoſitionem verborum, *ex utero ipſe*, pro *ex ipſo utero*, ſed potius obſervabo, *ex ipſo utero* poni pro *in ipſo utero*. Similiter *Cyrillum* dixisſe ἐξ αὐτῆς μήτρας, in Actis Concilii Epheſini p. 319. A., alii obſervarunt.

gistro suo *Nestorius* quoque accepisse dicitur, adeoque *Nestorianis* omnibus et universae sectae crimen hoc affictum fuisse, ex *Petavio* iam vidimus. Eo respicit *Vincentius Lirin.* in Commonitorio c. xx fin. agens de Nestorianis: *Haec ergo in Christo personae unitas, nequaquam post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta atque perfecta est.* Idem c. xxi: *Vehementer enim praecavere debemus, ut Christum non modo unum, sed etiam semper unum confiteamur: quia intoleranda blasphemia est, ut, etiamsi nunc eum unum esse concedas, aliquando tamen non unum, sed duos fuisse contendas, unum scil. post tempus baptismatis, duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profecto vitare poterimus, nisi unitum hominem Deo in unitate personae, non ascensu, vel resurrectione, vel baptismo* (quos omnes objectos sibi aut aliis errores *Theodorus* supra citatus iam a se removerat, et procul esse jusserat) *sed iam in matre, iam in utero, iam* denique in ipsa *virginali* conceptione *fateamur*. Locus hic *Vincentii* luculentus, cum ab altera parte ea comprehendat, quae *Nestorio* et *Nestorianis* obiiciebantur, ab altera vero sententiam ecclesiae orthodoxae exponat, iniuriam quoque *Nestorio* hic factam, eiusque innocentiam manifestam reddet. Supersedeo aliis auctoribus citandis, qui idem e *Nestorii* verbis elicere conati fuerunt. Possunt tamen, si tanti putatur, videri *Facundus Herm.* L. iii p. 103, et ipse *Cyrillus* in explicatione symboli Nicaeni, Tom. iii Concil. col. 1191 et in Epistola ad Nestorium. Vid. Concil. Chalced. Tom. iv. Concil. col. 162 et *Euthymium Zigaben.* Tit. xiv p. 574, edit. Lugdun. 1577 in 8vo. Sed undenam haec *Nestorii* opinio colligitur? An ex ipsius scriptis? Tale quid vero hactenus in medium nondum prola-

tum fuit (*p*). Attulit *Petavius* Symbolum a *Charisio* oblatum, ubi hoc elicit primo ex hisce verbis: εἴληφε τέλειον ἄνθρωπον. An virus latet in voce εἴληφε? Sed illa est vox S. Scripturae, Hebr. II. 14, 16, Phil. II. 7. Et quis negaverit incarnationem emphatice per assumtionem carnis explicari? quo modo *Cyrillus* ipse haud raro locutus est, ut alios nunc taceam orthodoxos. Error itaque in eo situs est, quod dixerit auctor huius Symboli, Deum assumsisse et sibi univisse τέλειον ἄνθρωπον, *perfectum hominem*, ex quo coniicitur, id dicere voluisse *Nestorium*, hominem primo perfectum et deinde assumtum fuisse (*q*). At recordari debebat *Petavius*, haec ver-

(*p*) Itaque *Nestorium* hac in re absolvit ipse *Garnerius* in Dissertatioue de Haeresi Nestor. c. 1 § 3 p. 286, ut intellexi ex *Saligio* in Eutychian. ante Eutych. p. 289. Nihilo tamen minus nuper *Hoffmannus* in Dissertatione, huic Exercitationi opposita, istam accusationem probavit. Nos haec observemus, *primum*, nuspiam verba *Nestorii* prolata esse, in quibus hoc vel aliquid simile exstat, cum tamen omnia eius scripta dictaque tam diligenter ad accusandum ipsum perquisita fuerint. De *Theodoro Mopsuesteno* similia monuisse *Facundum Hermianensem*, supra p. 161 sq. dixi. De *Nestorio* idem dicere nobis licet, donec contrarium comprobetur. *Deinde*, diserta *Nestorii* verba, brevi post citanda, ostendunt falsitatem accusationis. Adde, quae alia occasione ex *Nestorii* verbis affert ipse *Hoffmannus* p. 21. Quid autem contra haec testimonia clarissima excipitur? Nihil, nisi *Nestorii* fidem esse suspectam. Quis vero aequitatis amans talem responsionem concoquere potest? Si enim ita aliquem accusare licet, si clarissimis testimoniis et verbis disertissimis meras coniecturas opponere nobis integrum est, quis tam est orthodoxus, quin haereticorum pessimus non illico his artibus evadat?

(*q*) Haec imputatio, etsi falsa, merito tamen necessaria videbatur *Nestorii* adversariis. Nam cadente hac accusatione, evanescebat consequentia, ex eo ducta, quod *Nes-*

verba non doctrinae orthodoxorum opposita esse, sed errorem Apollinaristarum iugulare. Illi namque docebant, Christum humanam quidem naturam, sed non integram, sibi arctissimo unionis vinculo adiunxisse, Divinam naturam in Christo fuisse loco mentis, quae naturae humanae defuerit: qua de re mox plura. Asserebat itaque *Nestorius*, Christum adscivisse et induisse τέλειον ἄνθρωπον (*r*), totam naturam humanam, non corpus tantum et animam, ut loquar (*s*) ex hypothesi Apollinaristarum, sed etiam mentem rationalem. Hanc illius phraseos interpretationem suadet non modo regula aequitatis, sed flagitant etiam sequentia mox verba, quae *Petavius* omittere satius duxit: ἄνθρωπον τέλειον τὴν φύσιν ἐκ Ψυχῆς τε νοερᾶς καὶ σαρκὸς συνεςῶτα ἀνθρωπίνης, *hominem secundum naturam perfectum, ex anima rationali et carne humana consistentem.* Non dicam sic alios orthodoxos passim loqui, hoc enim tritum et vulgatum est, sed et ipsum *Cyrillum* orthodoxiae anti-Nestorianae ducem ac principem.

Vtram-

Nestorius recusaret Mariam appellare Θεοτόκον, atque controversia haec tota in logomachiam aperte redibat. Nam si Christo homini adiuncta fuit in utero Mariae personaliter Divinitas, *Nestorius* nolens volens affirmare debebat, Mariam peperisse eum, qui erat quoque verus Deus. Minime negavit, ex sanguine Mariae natum esse eum, qui simul erat Deus, homo Divinam naturam personaliter sibi coniunctam habens, adeoque Θεάνθρωπος. Sed noluit agnoscere ex Mariae sanguine excretum esse id, quod erat Deus, quandoquidem hoc *Apollinarismum* redolebat.

(*r*) Ἄνθρωπος τέλειος semper fuit tessera orthodoxiae adversus Apollinaristas. Vide exempla in *Whiston's* Dissertation upo the Epistles of *Ignatius*, Tom. 1 of the primitive Christianity reviv'd p. 88.

(*s*) Vid. *Pearson* Exposition of the Creed p. 160, 161, in notis.

Vtramque enim hanc vocem εἴληφε et τελείως adhibuit (*t*) in Scholiis de Incarnat. c. IV, apud *Marium Mercat.* T. II edit. Garn. p. 221, citatus etiam non fine caufa a *Theodoreto* in Dialogo II, ὤφθη γὰρ οὕτω τοῖς ἐπὶ γῆς, καὶ οὐ μεθείς, ὅπερ ἦν, ἀλλ' ἐν προσλήψει γεγονὼς τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπότητος τελείως ἐχούσης κατὰ τὸν ἴδιον λόγον, *talis enim* (perfectus homo) *terrenis apparuit, non amittens id, quod erat, fed asfumens humanitatis naturam in fua ratione perfectam.* Quae fequuntur in illo fymbolo verba, iam fub initium hujus tmematis adducta, nihil aliud innuunt. Hoc enim dicunt: eum, qui plasmatus est, qui in utero initium fuum habuit, qui factus est ex fanguine humano Virginis, asfumfit et arctisfime fibi univit Verbum, aeternus Deus. Fruftra esfem, fi omnia haec verba a corruptelis et finistris explicationibus quorumdam interpretum vindicare vellem. Quid vero defiderabit amplius aequus iudex, fi fententiam hac de re Ecclefiae Catholicae, paulo ante verbis *Vincentii Lirinenfis* expresfam, nunc etiam totidem *Nestorii* verbis descriptam exhibuero? Ita enim fonat Anathematismus IX *Nestorii*, oppofitus nono *Cyrilli* Anathematismo, et ab adverfariis eius, in Actis Concil. Ephef. col. 424, itemque a *Mario Mercatore* Tom. II edit Garn. p. 121, relatus, cujus lectionem hic fequor: *Si quis formam fervi confubftantialem esfe dixerit Spiritui Sancto, et non potius per illius mediationem, eam, quae est ad Deum Verbum*, ab ipfa conceptione *habuisfe dixerit copulationem vel conjunctionem — anathema fit.* Qui controverfiam *Nestorianam* intelligit,

(*t*) His ipfisfimis verbis utitur quoque *Cyrillus* in Epistola ad Iohannem Antiochenum, in Actis Concilii Ephefini p. 1106. Conf. *Petavius* de Incarnatione Lib. III cap. 15 § 6 p. 286.

git, intelliget quoque facile verba hujus Anathematismi, etiamsi barbare admodum translata. Miseret me vero *Marii Mercatoris*, contra hunc Anathematismum disputantis, nam non *Nestorium* haereseos convincit, verum suam inscitiam suamque ad errorem Monophysiticum (*v*) propensionem prodit.

§ 5.

Venio nunc ad aliud, idque praecipue et communissime *Nestorio* objectum crimen, ipsum nempe, per locutiones suas, non modo naturas dividere in Christo, sed et duas separatas constituere Personas, duosque Filios ponere, uno verbo, in definiendo modo unionis graviter errare. Id vero hinc colligitur α) quia *Nestorius* modum unionis plerumque fatebatur sibi esse incognitum et ineffabilem; quod putant non tam modestiae causa dictum, quam potius subterfugii instar, et ad tegendos errores (*x*) excogitatum, etiamsi ceteroquin ipse *Cyrillus*, uti par erat, confiteretur, mysterium hoc unionis comprehendi a se non posse. Ita enim scribit de recta fide in Christum ad Theodosium Imp., Concil. Tom III col. 73 fin. *καὶ βαθὺς μὲν ἴσως, καὶ ἀπόῤῥητος ἀληθῶς, καὶ ταῖς ἡμετέραις διανοίαις οὐχ ἁλώσιμος ὁ τῆς ἐνανθρωπόσεως τρόπος, est sane incarnationis modus admodum profundus, vereque inexplicabi-*

(*v*) Vid. *Marii Mercat.* Opera Tom. II p. 18, et conf. *la Croze* l. c. p. 20.

(*x*) *Doucin* Hist. du Nestorian. L. I. p. 16: *Les Nestoriens se plaignoient de ce, qu'on les tenoit pour suspects, parce qu'ils ne pouvoient expliquer un mystère incomprehensible.* Conf. *Chemnitius* de duabus naturis cap. X toto, c. XXI p. 98, c. XXIII p. 111, 112.

bilis, talis demum, qui cogitationis captusque nostri angustias multis modis excedat. Quae ibi sequuntur, lectu prorsus digna sunt, prolixiora vero, quam ut hic locum inveniant. β) Quia, quando modus unionis exprimendus erat, et revera exprimebatur, ille in voluntatis quodam ponebatur affectu. Multa huc spectantia congessit eruditus nuperus *Iohannis Damasceni* editor, *Mich. le Quien*, in Dissertationibus Damascenicis, ubi inter alia (y) haec habet: „ Quamobrem *Iustinus* personatus (z), suppres- „ sa unione, quam Theologus οὐσιώδη, *substantia-* „ *lem* olim dixerat, *Cyrillus* φυσικήν, *naturalem*, „ sive, ut nostri loquuntur (a), realem, et καθ' „ ὑπόστασιν, *personalem*, alii, quos Synodus Quinta „ Can. IV perinde probat, κατα σύνθεσιν, *per com-* „ *positionem*, non aliam se nosse significat, nisi quam „ *Cyrillus*, in Synodica ad Nestorium et Anathe- „ matismo XI, ceu recens invectam et impiam pro- „ scripserat, qua humanae naturae communicata „ Divinae dignitas fuerit pro bona propensaque Dei

„ Ver-

(y) Dissert. Damascen. IV p. LX, LXI.

(z) *Iustinus* ille personatus in Exposit. p. 581, Τότε δὴ τῶν οὐρανῶν οὐκ ἀποστὰς πρὸς ἡμᾶς κατελήλυθεν· οὐ γὰρ ἦν σώματος ἡ κατάβασις, ἀλλὰ Θείας ἐνεργείας βούλησις. Quaerit auctor Nestorianus: quomodo coniunctio facta est? an Divinitas coelum reliquit, et humanae naturae inclusa fuit? Minime. Sed tum unitio facta est, quando *voluit* operatione sua Divina sibi fabrificare corpus suum, in quo *volebat* habitare, per quod *volebat* operari, ceu per corpus suum proprium.

(a) Ita quoque *S. Maximus* hoc expressit, citatus ab *Euthymio* Tit. VII p. 132 edit. Lugd. in 8vo: *Deus idem et homo, non consilio et voluntate solum, sed reipsa*, πράγματι οὐ βουλήσει μόνῃ, *esse cognoscatur.* Quod profecto nec *Theodorus* nec *Nestorius* negaverint.

„ Verbi voluntate et complacentia. *Si enim* (inquit) *corpus mansit, nam Deus non est corpus,*
„ μετείληφε μὲν Θείας ἀξίας, οὐ φύσεως, εὐδοκίᾳ τοῦ
„ Λόγου, *particeps plane Divinae dignitatis* (*b*)
„ *fuit, non naturae, per complacentiam* (*c*) Verbi
" &c. Vt mentem *Theodori* magis adhuc perspiciamus, addenda sunt nonnulla ex Libro eius VII de Incarnatione, conservata a *Leontio Byzantino* (*d*) Tom. VI. Bibl. Patr. edit. Colon. fol. 480: *Inhabitationem alii quidem dixerunt factam esse substantia: alii vero* (*e*) *energia. – Atqui dicere substantia quidem inhabitare Deum, maxime indecorum est. Necesse enim alioqui sit, in his solis substantiam eius includere, in quibus inhabitare dicatur: et erit extra omnia alia, quod absurdum est dicere in natura infinita, quae ubique est, et nullo loco circumscribitur. Idem dici potest in energia, sive operatione. Aut enim rursus necesse est operationem illi in his solis circumscribere, in quibus habitat, et quomodo verum erit, omnia Deum procurare, et omnia gubernare, et in omnibus ipsum necessaria ope-*

(*b*) Εὐδοκία hic clarissime ponitur unionis fundamentum. Vnionem κατ' εὐδοκίαν asseruit etiam *Felix Urgellitanus.*

(*c*) Sic *Theodorus* expressit, quod nos dicimus per *unionem personalem* fieri, ut sit unum subiectum, cui actiones et passiones utriusque naturae tribuuntur. Et patet per hanc expressionem differentia inhabitationis, quali gavisi erant Prophetae, et quali gaudebat Christus. Nam certe per inhabitationem Divinam Prophetae non consequebantur communicationem Divini honoris, quod per rei naturam fieri non potest, nisi in unione personali.

(*d*) Verba haec pleniora habes in *Canisii* Monumentis Eccles. Tom. I p. 583, 584.

(*e*) Ita Valentiniani videntur dixisse. Vide Eclogas *Theodoti* § 17, 18.

operari, quae conveniunt? Aut impartientes omnibus ipsius operationem, quod quidem decens est et consequens, — in omnibus inhabitare ipsum dicemus. Igitur neque substantia, nec operatione fieri Dei inhabitationem, dici potest — Manifestum ergo est, quod oporteat dicere, fieri inhabitationem εὐδοκίᾳ i. e. beneplacito. Haec (*f*) verba, uti dixi, inprimis sententen-

(*f*) Carpunt haec verba Collectores Actorum Eruditorum Germanicorum, sed non videntur recte perspexisse mentem *Theodori*, qui in re subtilissima et difficillima paulo obscurius locutus est. Voluit dicere, qua in re sita esset forma unionis illius, quae in Christo concipienda est, et quae differt ab unione, quam etiam alii homines et sancti habent in Deo. Vnio autem varia est et multiplex. Vid. *Damasceni* Dialect. cap. 66. Itaque non excludit *Theodorus* alios unionis modos, quos recenset, sed praeter hos excellentiorem quemdam exprimere voluit. Noluit hic prorsus excludere inhabitationem substantiae, quod nemo sanus dixerit, quoniam talem inhabitationem substantiae etiam tribuit rebus omnibus, quae in Deo sunt, vivunt et moventur. Itaque inhabitatio in Christo aliquid plus dicere vult, modum aliquem inhabitationis eminentiorem, quem exprimere vult per unionem κατὰ χάριν et κατὰ εὐδοκίαν. Non negavit unionem *realem*, sed hanc istis verbis explicare conatus est. Vt res fiat clarior, mentem *Theodori Mopsuesteni* plenius exponam. Ea vero haec est: 1) modus unionis duarum Christi naturarum poni non potest in inhabitatione Divinae substantiae. Etsi enim haec excludi nequit, tamen (loquor ex mente *Theodori*) non absolvit ea modum illius unionis. Nam substantia Divinitatis tum *aut* in humana Christi natura est circumscripta, quod repugnat omnipraesentiae Divinae, *aut* Divinitatis substantia habitat quidem in humana Christi natura, sed et simul extra eam habitat in omnibus aliis rebus, quia omnibus rebus praesens adest. Et sic Deus substantia sua quoque est unitus aliis rebus omnibus. 2) Neque unio aut inhabitatio Divinae naturae in humana potest definiri per inhabitationem energiae sive operationis, nam

tentiam *Theodori* nobis clarissime explicant, rationem etiam ostendunt, qua inductus modum unionis per ἐυδοκίαν definierit. Voluit nempe dicere, caussam unionis duarum naturarum adeo a se discrepantium nullam esse aliam, quam voluntatem et beneplacitum Dei, unionem vero ipsam consistere in summo Divinitatis affectu (*g*), quo naturam humanam, utpote sibi formatam, sibique ad conficiendam unam eamdemque personam adiunctam prosequatur. Notum est, orthodoxis hanc unionis per εὐδοκίαν et χάριν explicationem valde displicuisse, qua unionem ipsam hypostaticam diminui aut tolli iudicabant, cum duo etiam amici, qui unam personam nequaquam constituunt, cum idem volunt idemque nolunt. arctissimo affectus vinculo iungi etiam sibi possint. Idcirco unioni huic τῆς εὐδοκίας opposuerunt unionem realem

(*h*)

nam sic habitavit quoque Deus in Prophetis aliisque hominibus divinitus inspiratis. Conf. *Iustini* Exposit. p. 376. 3) Inhabitat ergo Divinitas Christi in natura eius humana singulari gratia et amoris affectu, quo corpus humanum prosequitur ut corpus suum, ut corpus sibi unitum in unionem personalem, adeoque vinculo omnium maximo et arctissimo. 4) Ex dictis intelligitur, *Theodorum* non voluisse unionem naturae utriusque diminuere, sed contra augere, quandoquidem omnes alii modi istius unionis ei non videbantur satis augusti et magni ad eam digne et commode exprimendam. Quod autem *Theodorus* dicere voluit, idem illud, sed verbis aliis, dixit *Gerhardus* in loco de Christo § 119 p. 1243.

(*g*) *Liberius de S. Amore* [*] in Epistolis Theologicis vocat *consensum unicum totum componendi cum eo*, rel., apud *Grapium* in Christologia p. 18.

---

[*] Sub ficto hoc nomine, ut vulgo creditur, latuit *Ioannes Clericus*.

iem et hypostaticam, quam tamen ſenſu ſano et vere orthodoxo *Theodorus* reprehenſurus non fuerat. Et *Theodorum* quidem per εὐδοκίαν longe aliud ac maius quid intellexisſe, quam affectum iſtiusmodi, qui duos etiam amicos coniungit, etiam me non monente, nemo non videt. Tantum quoque abest, ut, per hanc locutionem, *Nestoriani* unionem extenuare, et naturas in Christo dividere voluerint, ut potius illa ad Eutychianismum quodammodo eos perduxerit, quia tantam voluerunt hanc voluntatis et affectus coniunctionem, quae ſit fundamentum unionis duarum naturarum, ut propterea unicam tantum in Christo voluntatem conceperint. Et hinc certe originem habet *Nestorianorum* Monotheletismus (*h*), qui multis explicatu (*i*) non ſine ratione videtur difficilis, qui-

(*h*) Respicit eo quoque auctor eruditus et iudicioſus libri, ſuperiore anno [1723] Heidelbergae editi, *Penſées ſur la Réunion des Egliſes Protestantes*, qui in Praefat. p. 10 ait: *Je ne vois pas, qu'on puiſſe être Monothelite, comme ils le ſont, pendant qu'on est Nestorien, de la manière, que nous concevons le Nestorianisme.*

(*i*) Quamvis *Nestoriani* aliquando Monothelismum damnaverint cum orthodoxis, apud *Asſemanum* in Biblioth. Orient. Tom. III part. I p. 123, 124, multi tamen ex iis etiamnum eumdem errorem profitentur. Vid. *d'Arvieux* Relationes de itineribus ſuis Tom. VI p. 99. Quin imo de ipſo *Nestorio* id dicendum esſe videtur, ſi vere ab eo fuerint ſcripta, quae S. Maximo a Theodoſio Caeſareenſi obiecta ſunt ad confirmandum Monothelismum ex Patrum ſcriptis, quae etiam ex *Nestorii* libro petita esſe, illico Maximus indicavit. Vide Maximi Vitam a Graeco ſcriptam praemisſamque operibus eius in editione Combefiſii. Conf. Ecthesis Heraclii Imperatoris, Tom. VI Conciliorum ed. Labb. p. 200, *du Pin* Tom. VI Bibl. p. 24, *Petavius* Lib. II de Incarnat. c. 21 § 2. *Anaſtaſius* Sinaita in Hodego p. 16 ſic ſcribit: Δεῖ μὲν τοι ἀκριβῶς καὶ ἀναμφιβόλως ἐπίςασθαι ἡμᾶς, ὅτι περ οἱ ἐξ ἐναν-

quique cum illa sententia, quae *Nestorianis* vulgo affingitur, plane nullo modo consistere potest. Vide eam in rem subtilem *Facundi Hermianensis* disputationem L. v c. I, quod caput nonnisi ex his modo annotatis explicari potest. *Theodorus* vero unionem per *εὐδοκίαν* et similes locutiones eo videtur potissimum explicuisse, quo Apollinaristas confunderet. Concoquere non poterat, unionem duarum naturarum, tanto intervallo a se disiunctarum, re ipsa fieri posse *κατ' οὐσίαν*, et quod idem esse iudicabat, *καθ' ὑπόςασιν*, quippe qua posita metuebat, ne *συνουσιώσεις*, quaedam naturarum commixtio, stabiliretur. Quamobrem, cum naturae duae tam diversae, etiam post arctissimam, quae mente concipi potest, i. e. personalem unionem, diversae tamen maneant, unionem illam alio modo, quam beneplacito Dei assumentis corpus, et intimo Divinae voluntatis affectu, quo humanam naturam, sibi personaliter unitam, ut suum corpus suamque animam prosequatur, non fieri credebat. Et sic etiam hodie Theologi doctissimi loquuntur, nisi quod involutam plerumque incommodis et obscuris verbis, ipsam *Theodori* sententiam clarius et commodius (*k*) sic exprimant, *unionis fundamentum*

ἐναντίας, ἐκ οὗ θεωρεῖν τὸ θέλημα αὐτῶν, καὶ τὴν ἐνέργειαν τῆς οἰκείης ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, διανεκῶς καὶ ἀπαύστως πολεμουμένην καὶ βορβορωμένην ὑπὸ τῆς πυρώσεως καὶ ἐνεργείας τοῦ διαβόλου· τούτου χάριν καὶ αὐτοὶ καὶ Νεςόριος παρῃτήσαντο εἰπεῖν ἐν Χριςῷ ἀνθρώπινον θέλημα ἢ ἐνέργειαν. Comparentur *Gregor. Abulpharagius* in Historia Dynast. p. 145 ed. Arab., *Assemani* Biblioth. Oriental. Tom. I p. 541, 542, 547, eiusdem Dissertatio de Monophysitis, T. II p. 14, T. III part. I p. 280, 544 et 545 in notis, 547, part. 2 p. 84, 209, 214, 215, 948. Expendenda etiam sunt, quae circa hoc argumentum argutatur idem *Assemanus* T. IV p. 318.

(*k*) Obiiciunt *Hoffmannus* et *Bergerus*, non loqui *Theo-*

damentum esse voluntatem Dei Filii. Tamdem γ) *Nestorianos* in modo unionis definiendo graviter errare, colligitur ex variis aliis eorum comparationibus et phrasibus, quibus (*l*) in explanando hoc mysterio uti consueverant, quas fere collegit et proscripsit Synodus Quinta Canone IV, et inter recentiores *L. Dulcinius* in historia Nestorianismi L. I p. 16, ut *Petavium* aliosque iam praetermittam.

§ 6.

Ne vero ex iis, quae disputavi hactenus, quispiam coniiciat, me pervicaciter in omnibus et ubique *Nestorii* causam agere voluisse, quando huc perventum est, libere profiteor, phrases illas plerasque, ab orthodoxis atro calculo notatas, esse inadaequatas, et modum unionis hypostaticae non exhaurire. An vero ex insufficientia phrasium quarumdam, in hoc ne-

Theodorum de voluntatis affectu ceu *fundamento*, sed ut *modo* unionis. Respondeo, hac in re consistit, quod dixi, *Theodori* sententiam esse involutam incommodis et obscuris verbis. Si dixisset *fundamentum*, periret omnis obscuritas, omnis ambiguitas, omnis verborum eius difficultas. Id dicere voluit, non posse aliter uniri duas substantias diversas, et quae in unam massam redigi nequeunt, nisi voluntate, quam Christus habet, ut hae duae substantiae et naturae conficiant unam personam. Hoc *Vitringa* quoque vocat *fundamentum unionis.* Conf. *Petavius* Lib. III de Incarn. c. 4 § 7.

(*l*) Varias phrases, quibus *Nestorius* modum unionis exprimere voluit, refutavit *Cyrillus*, etiam in Epistola III ad Nestorium cap. 12 p. 73 edit. Marii Mercat., et cap. 13. Et rationem, ob quam has phrases deprecabatur *Cyrillus*, non deprecaturus erat *Nestorius*, modo male applicatas esse conquestus, nec sine iure. *Cyrillus* mentem *Nestorii* aut non intellexit, aut intelligere noluit. Iunge eiusdem Epistolae caput 15.

negotio adhibitarum, sequatur, *Nestorianos* mysterium incarnationis ipsum extenuare quoque voluisse, haud citra rationem ambigi posse puto. Quodsi in omnibus illis locutionibus et comparationibus *Nestorianorum* persequi vellem, in nimium et inutiliter excresceret haec Dissertatio. Selegi idcirco unam locutionem, quae erit instar omnium, quia ubique et semper ab omnibus *Nestorianis*, etiam cum affectatione quadam, usurpata, ac proinde pro tessera *Nestorianismi* habita fuit. Nempe haud felicius in hoc negotio pertractando se versari posse, existimabant, quam si modum unionis duarum naturarum per *ἐνοίκησιν*, *inhabitationem*, explicarent, naturam Christi humanam *Templum*, naturam vero Divinam *inhabitantem hoc Templum* appellantes. Haec locutio adeo ipsis adamata fuit, ut non modo in omnibus *Nestorianorum* disputationibus compareat, sed etiam ex nimio et affectato eius usu quidam libri, fictitium nomen praeferentes, auctoribus suis veris *Nestorianis* restitui potuerint. Vide *Mich. le Quien*, viri praestantissimi, Dissert. Damascen. IV, in qua inter alia haec habet p. LX. b: *Personatus Iustinus nihil subinde inculcat magis, aut stabilire nititur, quam illam Dei Verbi in natura humana tanquam in Templo inhabitationem, quod etsi Catholici identidem dixerunt, certum tamen Nestoriani erroris specimen factum fuit.* Vid. et eumdem p. LXI b. Vt itaque ex hac phrasi totus veluti *Nestorianismus* aestimari possit, quid in huius sectae conditoribus culpandum sit, quid etiam defendi possit, disquiratur. Hanc vero locutionem exigua hac mea opella nonnihil illustrare tanto lubentius volui, quod insignes passim Theologos, et eos quidem, qui in haeresin *Nestorianam* more consueto invehantur, hac phrasi eodem plane modo, et eodem ut videtur sensu, uti deprehenderim. Liquidum igitur in sequentibus facere conabor, quinam ea lo-

cu-

cutione et quo ſenſu uſi fuerint, brevibus etiam oſtendam, quo reſpectu recte locutio illa adhiberi poſſit, nec non quibus ab alia parte incommodis laboret.

§ 7.

Primi, quantum coniectando aſſequi potui, Apollinaris et eius aſſeclae in declaranda et explicanda ſententia ſua phraſin hanc crebris uſurpare ſoliti (*m*) fuerunt ſermonibus. Quae res, quoniam prima fronte multis non poterit non mira videri, idoneis testimoniis confirmanda est. *Cyrillus Alex.* inter alios hoc teſtatur in Oratione altera, inſcripta Reginis c. LV, in Actis Concil. Epheſ. col. 306, et apud *Euthymium* Tit. XIII in edit. Lat. p. 539: *Qui Apollinarii ſententiam ſequuntur, hi Templum Deo unitum inanime ac ratione destitutum fuisſe contendunt*, ἄψυχόν τε καὶ ἄνουν ὑπάρχειν τὸν ἑνωθέντα Λόγῳ ναόν. Similia his habet in libro de recta fide ad Theodoſ. Imp. Tom.

(*m*) Hanc meam obſervationem carpere voluit *Bergerus* in Oratione ſua mihi oppoſita, ſed argumentum, quod ex *Gregorio Nazianzeno* illic affert, nihil aliud probat, quam eum non intellexisſe *Gregorium Nazianzenum*, qui nihil ibi dicit ſententiae meae contrarium. Interim alia potuisſent afferri, quae maiorem ſpeciem habent. A *Gregorio Nyſſeno* in Antirrhetico adverſus Apollinarem cap. 48 haec citantur Apollinaris verba: εἰ ἐκ πάντων τῶν ἴσων ἡμῖν ἐςὶ τοῖς χοϊκοῖς ὁ ἐπουράνιος ἄνθρωπος (ὥςε καὶ τὸ πνεῦμα ἔχειν ἴσον τοῖς χοϊκοῖς) οὐκ ἐπουράνιος, ἀλλ' ἐπουρανίου Θεοῦ δοχεῖον, i. e. interprete *Zacagnio*, ſi ex omnibus illis rebus, quae in nobis, qui terreni ſumus, pariter aequaliterque reperiuntur, coeleſtis homo conſtat (ita ut ſpiritum quoque perinde ac terreni homines habeat) non coeleſtis erit, ſed tantum coeleſtis Dei receptaculum ". Vide Monumenta a *Zacagnio* edita p. 254. Verba autem ſemicirculis incluſa corrector addidit ex MS. *Zacagnii*.

Tom. III Concil. col. 52 fin. et ſq.: *Comperiuntur alii* (Apollinaristae), *qui*, *etſi unigenitum Dei Filium vere hominem factum et incarnatum non negent*, *induci tamen nequeunt*, *ut carnem*, *quam asſumſit*, *anima*, *ratione et mente nostrae ſimili praedita perfectam*, *animatamque fuisſe credant. Etenim Verbum*, *quod ex Patre*, *et Templum*, *quod ex S. Virgine ortum est*, *in unam perfectam unitatem contrahentes*, *Verbum in illo habitasſe*, *corpusque asſumtum ad eum modum proprium ſibi effecisſe confingunt*, *ut animae rationalis locum per ſe ipſum expleverit.* Qui quidem locus iam iam dicenda egregie illustrat (*n*). Res ipſa autem ſatis docet, et mens *Cyrilli*, ab hac locutione alienior, confirmat, eum

(*n*) *Theodoretus* in Pentalogio *περὶ ἐνανθρωπήσεως*, in auctario operum *Theodoreti* p. 47, Ταῦτα τὴν Ἀπολιναρίου *ματαιολογίαν ἐλέγχει*, *ὃς ἀντὶ νοῦ τὸν Θεὸν Λόγον ἐνοικῆσαι λέγει τῇ προσληφθείσῃ σαρκί*. Quae totidem verbis apud *Euthymium* citantur ſub nomine *Cyrilli*, et a me ſupra in textu adducta ſunt. Vnde apparet, quod alias etiam ſuspicatus ſum, haec revera auctorem habere *Theodoretum*, quamvis ſub nomine *Cyrilli* citentur. Interim tamen, cum *Theodoretus* librum illum *περὶ ἐνανθρωπήσεως* ſub nomine ſuo in lucem emiſerit, cum in praefatione ipſe testetur ſe adverſus Concilium Epheſinum ſcribere, cum *Cyrillus* in illo libro refellatur, cum denique *Marius Mercator* ex illo ſub *Theodoreti* nomine Excerpta confecerit, Tom. II Operum p. 272; quae omnia cum ſint verisſima, dicendum est, post tempora Concilii V idem opus, mutatis quibusdam a *Theodoreti* fautoribus, publico obtruſum fuisſe, aut Nestorianum quempiam ex libris istis *Theodoreti* novum quemdam concinnasſe, ſervatis ut plurimum ipſius *Theodoreti* verbis. Coniecturam hanc confirmat diſertum testimonium *Harmenopuli* in libro de Sectis n. 4 p. 569 edit. Baſil. 1578. Obſervandum tamen est, eum ratiocinationem Apollinaristarum non recte percepisſe.

eum non ſuis verbis Apollinariſtarum dogma explicare, ſed ipſum potius eorum loquendi modum in medium afferre. Quibus adiungi poteſt alius *Cyrilli* locus, ex libro de Incarnatione (ſi modo *Cyrillus* eius libri auctor (*o*) dicendus eſt) apud *Euthymium* in Panoplia Tit. XIII in verſione Latina p. 533. *Inanes effundunt nugas, qui Dei Verbi Templum animae et mentis expers appellant.* Verba Graeca ſic ſonant: *μάτην ἀδολεσχοῦσιν, ἄψυχον, ἢ ἄνουν τοῦ Θεοῦ Λόγου τὸν ναὸν προσαγορεύοντες.* Idem auctor apud eumdem *Euthymium* p. 540: *Haec Apollinaris ſtultam vaniloquentiam coarguunt, ὃς ἀντὶ νοῦ τὸν Θεὸν Λόγον ἐνοικῆσαι λέγει τῇ προσληφθείσῃ σαρκί, qui mentis loco Deum Verbum in carne aſſumta dicit inhabitare.* Illuſtrari haec poſſunt ex libro, quem *Valentinus* Apollinariſta contra Timotheum alium Apollinaris diſcipulum, ſed qui a ſententia magiſtri recedere accuſabatur, ſcripſit. In eo haec (*p*) inter alia legebantur: *Non erat caro* (Chriſti) *conſubſtantialis* (Deo Patri), *amictum enim et veſtem ac tegmen myſterii occultati aſſumſit, et pro hominibus obtulit*; et pluſculis interiectis: *Nec enim Verbum pro-*

(*o*) Opus, cuius eximia habemus apud *Euthymium* fragmenta, *Cyrilli* nomen falſo praeferre, nemo, temporum illorum et controverſiae Neſtorianae recte peritus, in dubium vocabit. Et certe tempore iam *Facundi* ſub ementito *Cyrilli* nomine libros vulgatos fuiſſe, coniicias ex eius L. III p. 131, 132. Liber *Cyrilli* de Incarnatione, quem citat *Euthymius*, auctorem ſuum Neſtorianum indiciis ſatis luculentis prodit. Vbique enim phraſin illam Neſtorianorum, quam nunc examinamus, crepat, et ſenſu etiam Neſtorianorum, ut nempe oſtenderent, aliud eſſe Templum, aliud inhabitantem. Vid. inprimis *Euthym.* p. 531, 532 et 533 circa medium.

(*p*) Apud *Leontium* Byzant. Tom. VI Bibl. Patrum Colon. fol. 489 init.

propter carnem adoratur, sed caro Verbo coadoratur tanquam vestis et amictus (*q*). Nemo non videt, in his verbis naturam Christi humanam eodem plane modo, eodemque sensu, vestem Divinitatis nuncupari, quo communius et frequentius templum Dei Verbi dicebatur. Et ratio utriusque phraseos prorsus una eademque est. Nec est difficile indagare, quamobrem Apollinaristae Christi carnem templum et vestem Divinitatis appellare amarent. Quod tamen ut rectius intelligatur, vera huius sectae sententia declaranda et in apricum proferenda est. Communiter Apollinaris trium gravissimorum errorum (*r*) reus peragitur. Namque docuisse perhibetur 1) Christum carnem suam non ex sanguine Mariae accepisse, verum ex coelo advexisse, ipsumque per Mariae corpus, ceu per canalem, transiisse, 2) carnem illam humanam cum Divinitate confusam, et ab illa absorptam fuisse, 3) humanam Christi naturam non habuisse mentem rationalem, sed eius vicem Divinitatem sustinuisse. Quae omnia si docuerunt et asseruerunt Apollinaristae, insipide profecto, et plane contra mentem suam, ista comparatione templi et vestimenti usi fuerunt, qua nihil accommodatius proferri potuit, ad ineptias has ipsas confutandas. Tem-

(*q*) Vide similem locum apud *Ambrosium* in Synodico Cassin. cap. 84, p. 789. — Idcirco Apollinaristae aliis etiam utebantur phrasibus, quae damnabantur in Nestorianis. Sic in Scholiis de incarnatione, de quibus in hac Exercitatione § 13, ait *Cyrillus: Non in homine fuit Verbum, sicut quidam existimant*, quo haud dubie respicit Nestorianos; et tamen sic etiam loquebantur Apollinaristae: *Pro hac* (anima rationali) *ipsum Verbum in ea* (anima Christi) *fuisse dixerunt.* Vid. *Augustinus* de Haeres. n. 55.

(*r*) Conf. *Petavius* Lib. 1 de Incarn. c. 6.

Templum enim non est consubstantiale inhabitanti templum, nec vestimentum homini, qui illo induitur, sed sunt et manent res natura sua a se invicem diversissimae. Intelligitur itaque ex hac locutione Apollinaristarum, quod et ex aliis eorum clarissimis testimoniis confirmari potest, duo priora crimina ab adversariis cónficta et falso iis obiecta fuisse. Exstant apud *Leontium* Byzantinum Excerpta ex Apologia *Valentini* Apollinaristae (*s*) *contra eos, qui dicunt, nos dicere corpus* (Christi) *esse consubstantiale Deo;* et multis idem auctor contra absurdum hoc dogma pugnaverat in (*t*) alio libro, argumentis ex ratione, ex Sacra Scriptura, et ex libris Apollinaris magistri sui petitis. Multa ibi proferuntur Apollinaris loca, in quibus dogma illud sibi imputatum magnae insaniae et impietatis arguit, quae apud ipsum illum auctorem evolvi possunt. Sed praeterea, si fides habenda est luculentis eius verbis, ab eodem *Leontio* citatis, neque etiam docuit, carnem Christi fuisse iam in coelo, antequam e B. Virgine nasceretur. Sic enim ibi scribit fol. 487: *Concessum est, ut certum, corpus esse ex Virgine, Divinitatem e coelo. Corpus formatum est in ventre, Divinitas non creata, aeterna: et in compositione perseverat corpus esse corpus, et Divinitas Divinitas. Si vero Scriptura consuevit dicere* (*u*) *totum Deum et totum*

(*s*) Bibliotheç. Patr. Tom. VI edit. Colon. fol. 487.

(*t*) Liber ille scriptus erat contra Timotheum, asseclam Apollinaris, quem accusat a magistri sui sententia recedere, docendo, carnem Christi Divinitati esse consubstantialem, fol. 488. Verum mox p. 489 habentur excerpta ex scriptis Timothei, in quibus ille calumniam hanc pariter a se omni nisu repellit, ut proinde manifestum sit, haec ipsis tantum per consequentiam fuisse imputata.

(*u*) Obscura sunt haec verba et manu medica indigent. Su-

tum hominem, sequamur Divina verba, et ne partiamur impartibilia. Quibus quidem. si priora inprimis verba intuearis, nihil orthodoxum magis dici potuit. Et cum illis conspirant alia bene multa, quae ibi adducuntur. Sed tamen Apollinaris carnem Christi, quam sciebat et agnoscebat esse separatam a Divinitate, non dubitavit appellare Deum, propter eius unionem cum Deo, vel cum Divinitate, in unam *οὐσίαν.* Verba Apollinaris sunt apud *Leontium* fol. 487: *Semper scripsimus, neque carnem eiusdem substantiae esse cum Deo, quatenus est caro, et non Deus: Deus autem, quatenus unita est Divinitati in*

Suspicari quis posset, legendum esse: *Scriptura consuevit dicere totum, Deum et hominem.* i. e. S. Scriptura totum compositum, totam personam, modo vocat Deum, modo vero hominem. Verum huic lectioni et expositioni repugnant sequentia verba, si recte examinentur, et Apollinaris dogma non congruit. Conieci in Graeco fuisse: *εἰ δὲ ἡ Θεία γραφὴ εἴωθε τὸ ὅλον ἀποκαλεῖν Θεὸν, μέρος δὲ ἄνθρωπον, si vero Scriptura totam personam Deum vocat, eamdem vero a parte tantum hominem*; aut potius sic legebatur: *εἰ δὲ ἡ Θ. γ. εἴωθε τὸν ὅλον ἀποκαλεῖν Θεὸν, οὐχὶ δὲ ἄνθρωπον, si vero Scriptura totam personam Deum vocat, non hominem.* Apollinaristae enim refugiebant Christum dicere hominem, sed a potiore parte dicendum esse volebant Deum. *Eranistes* Apollinarista apud *Theodoretum* Dial. II ait, p. 49 Tom. IV. Operum: *ἀπὸ τῆς κρέιττονος ὀνομάζειν χρὴ*, et p. 55: *ἀπὸ τῶν τιμιωτέρων χρὴ τὸν Χριςὸν καλεῖν.* Et alibi p. 61, 62 hoc multis explicatur, ubi post multa alia, tamdem Apollinarista sic concludit: *πρὸ τοῦ πάθους ἐκαλεῖτο ἄνθρωπος, μετὰ δὲ τὸ πάθος οὐκ ἔτι, ante passionem vocabatur homo, non item post passionem.* Clarissime vero p. 61 *Eranistes* ait: *Cum dicerem Christum hominem vocari non debere, ἀλλὰ μόνον Θεὸν, sed tantum Deum.* Haec sine dubio causa fuit, cur sententia haec Apollinari tribueretur, Divinitatem absorpsisse naturam humanam.

in unam personam. Vbi in Graeco videtur fuisse *εἰς μίαν οὐσίαν* (v). Digna etiam sunt verba *Timothei*, Apollinaristae celebris, quae hic apponantur, ut intelligatur ex illis, quaenam in hac controversia quoque logomachiae reciprocatae fuerint. Ea leguntur apud eumdem *Leontium* fol. 489: *Quia igitur naturam carnis recte confessus es, nobis esse homousion, nullo autem modo συνουσιῶσθαι, i. e. factam consubstantialem Divinitati, scripsisti, sed solum unionem nominasti, qualis sit hominis sancti, cum Deo non in unam vitam et hypostasin copulati, sed a Divina natura separati, cum tamen beatus Episcopus, magister noster, Apollinarius dicat in variis libris, carnem Domini communia habere nomina et proprietates Verbi, manere autem in unione carnem, neque mutatam, nec a natura propria alienatam*, etc. Non ignoro tamen, duos *Gregorios*, *Nazianzenum* et *Nyssenum*, illumque itidem auctorem, ut videtur, Nestorianum, libri de incarnatione, qui sub *Cyrilli* nomine latere voluit, citatos omnes ab (x) *Euthymio*, utrumque hoc dogma Apollinari imputare, et ubique ad ipsius huius auctoris libros et scripta provocare. Cum vero hic manifesta sit pugna, dicendum est, aut (y) Apollinarem sibi ipsi non consta-

(v) Sententiam suam Apollinaris quoque in his declaravit apud *Leontium* L. III contra Nestor. et Eutych. (in Monumentis *Canisii*, Tom. I p. 600 fin.) „Vnione *Verbi*, *Divina facta est caro*, *non* natura. *Quare in* „Vnione *habet*, *ut perseveret Divina esse*, *sicut ipse* „*ait*: *Spiritus est*, *qui vivificat carnem*. *Non enim* „*potest corpus fieri incorporeum*, *ut alii stulte dicunt*". Vid. notata supra ad § 2, et infra § 9.

(x) Vid. *Euthymium* Tit. XIII passim.

(y) *Du Pin* Biblioth. II p. 217 edit. Lat. *Theodoreus nonnullos Apollinaris locos, in dialogis suis, refert, ex quibus patet, istum auctorem agnovisse, Iesum Christum*

ſtare, aut ſententiam ſuam mutasſe aliquando, aut, quod praeterea ſuperest, alios, Arianos nempe et Eunomianos, qui crediderunt (z) Christi carnem ante mundum conditum creatam fuisſe, libris ſuis nomen Apollinaris praefixisſe. Morem certe hunc, ut celebribus auctoribus ſcripta aliena ſupponerentur, tum temporis in Eccleſia inter orthodoxos et haereticos nimium quantum invaluisſe, notius est, quam ut probatione ulla egeat. Et profecto, quemadmodum quibusdam Apollinaris libris, Athanaſii aliorumque ſummorum virorum nomen falſo inſcriptum fuit, teste *Leontio* Byzantino fol. 487, ita vicisſim quoque Ariani nomine Apollinaris potuerunt abuti, cuius ſententia ad ipſorum ſententiam accedere credebatur, et cuius nomen apud multos non in exigua erat veneratione. Conf. *Doucin* Lib. I p. 38. Verum mittimus haec, quae falſo Apollinari fuerunt tributa, aut quae ſaltem dubia esſe, fate-

ſtum in utero Virginis carnem asſumſisſe, et carnem illam in Divinam naturam non fuisſe mutatam; ſed negavisſe animam Ieſu Christi, intellectum ſive mentem habuisſe etc. etc. *Contradictio illa in cauſa fuit, cur, ut quidem videtur, Baſilius dixerit, ſententiam Apollinaris circa incarnationem valde obſcuram et intricatam esſe.* Verum contradictio illa facile ſolvi potest, dummodo intelligas, quomodo Apollinaris vocem *οὐσίας*, *naturae*, acceperit.

(z) Vid. *Pearſon* Expoſition of the Creed p. 160 in notis. Adde locum *Marii Mercatoris* infra citandum § 15 [*].

[*] Errasſe videtur *Iablonskius*. Etenim non haec, in locis laudatis, adſcribitur opinio Arianis et Eunomianis, ſed ſententia alia, ipſis et Apollinaristis communis, et de qua ipſe Auctor brevi post loquitur.

tebuntur omnes ingenui. Illud certum est, concepisse Apollinarem naturam Christi humanam anima rationali vacuam, et Divinitatem ei substitutam (*a*). Voluit enim in Christo fuisse corpus, animam et Divinitatem, quemadmodum naturam hominis, ex sententia ipsius, conficiunt corpus, anima et mens rationalis. Vnde etiam potest liquere, reliqua dogmata, ceu ex fonte hoc fluentia, per consequentiam ipsi fuisse imputata. Et forsitan, cum, ut solet fieri, errori suo inhaereret, eumque pertinaciter defenderet, sic nonnumquam ad incitas redactus fuit, ut iis argumentis uteretur, quae confusionem quamdam carnis et Divinitatis involvere viderentur. Vt vero sententiam suam perquam absurdam de Divinitate, mentis rationalis in Christo vicem sustinente, tueretur, primo usus fuit illo loco Joh. 1. 14 (*b*): *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Vbi per carnem, carnem strictissime sic dictam,

(*a*) Vid. *Pearson* of the Creed p. 160 in notis, 161 [*].

(*b*) *Gregorius Nazianz.* in celebri ad Cledonium Epist. 1 p. 313 edit. Hervag.: *Si vehementer urgent illa erba* (*εἰ διϊσχυρίζονται τὸ*) *Verbum caro factum est.* Vide cumprimis *Theodoreti* Dialogos, ubi ille, qui Apollinaristae partes agit, interlocutor semper ad haec verba, ceu ad sacram anchoram, confugit. Inprimis notanda sunt ipsa Apollinaris verba apud *Leontium* fol. 488: *Carnem homousion nostrae carni assumsit ex Maria Verbum Dei vivens, in unionem cum Divinitate ex principio conceptionis in Virgine; atque ita factus est homo, quoniam caro et spiritus est homo secundum Apostolum, et hoc st, Verbum carnem factum esse, unitum esse carni, ut humanus spiritus*, etc.

---

[*] Comparetur *le Quien* in notis ad *Ioannem Damascenum* tom. 1 p. 95.

ctam, i. e. corpus tantum et animam sensitivam, intellexit, colligens hinc, Deum Verbum in utero Virginis solum corpus sibi fabricasse, ac in eo fabricato et assumto Divinitatem, ut anima rationalis in homine, habitasse. Iam, ni fallor, intelligitur, cur Apollinari illa locutio placere potuerit, et re vera placuerit. Commune enim hoc est et sacris scriptoribus, Iobi c. IV 19, 2 Cor. V 1, 4, et similiter profanis, ut corpus comparent cum tugurio vel tabernaculo, animam vero cum hospite, qui tabernaculum illud inhabitat (*c*). Quid aliud sibi voluit Hadrianus in illis versiculis, quos *Aelius Spartianus* refert? in vita eius c. XXV:

Animula vagula, blandula
Hospes, comesque corporis.

et apposite magis *Porphyrius* [*] de Abstin. L. IV p. 372, edit. Lugd. ἔγνωσαν (loquitur de Philosophis Aegyptiorum) ὡς οὐ δι' ἀνθρώπου μόνου τὸ θεῖον διῆλθεν, οὔτε ψυχὴ ἐν μόνῳ ἀνθρώπῳ ἐπὶ γῆς κατεσκήνωσεν, *cognoverunt Divinitatem non solum hominem pervadere, nec animam in solo homine habitare* (*d*). In quibus verbis eodem modo de anima ho-

(*c*) Personatus *Iustinus*, auctor Nestorianus, qui sub nomine *Iustini Martyris* latuit, in Expositione Fidei p. 379. B, Βρίθει τὸ γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφροντίδα, i. e. *mentem multa secum agitantem deprimit terrenum habitaculum.*

(*d*) Ad *Porphyrii* locum observari debet, sententiam Phi-

[*] Locum hunc, qui exstat in nova editione p. 322, cum verbis Iohanneïs contulerunt eruditi complures, in iisque *de Rhoer* in annotatione ad *Prophyrium.*

hominis loquitur *Porphyrius*, quo divus Iohannes de Deitate Christi. Nec (*e*) dubito, quin alter palmarius illorum locus fuerit Ioh. II. 19, ubi Servator ait: *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*f*). Sic enim ratiocinabantur. Templum,

Philosophorum Aegyptiorum illic opponi opinioni inter Graecos Romanosque receptae, quam sic exprimit *Manilius* Lib. II p. 32 ed. Scaligeri [versu 107, 108], ubi de homine disserens etiam haec habet:

quem denique in unum
Descendit Deus, atque habitat, seque ipse requirit.

Marcion quoque docuit, teste *Epiphanio* Haeresi XLII p. 331, ὅτι μία ψυχή ἐςιν ἡ ἐν ζώοις καὶ ἐν ἀνθρώποις.

(*e*) Disertis enim verbis id affirmat *Harmenopulus* de Sectis p. 560 ed. Basil. 1578.

(*f*) Illustrationem hanc loci Iohannei e verbis *Porphyrii* ferre non potuit *Artemonius*, i. e. *Samuel Crellius*, in Initio Euangelii Iohannis restituto p. 390. Dicit, *non Porphyrium eodem modo de anima humana loqui, quo Iohannes de Divinitate Christi, sed quo Christiani tertii seculi, a quibus ita loqui didicit.* Respondeo, non ita didicit loqui a Iohanne, etsi eodem modo locutus sit. Nam Iohannes et Porphyrius loquuntur de inhabitatione personali et hypostatica, prior de inhabitatione hypostatica Divinitatis in humana natura, alter de inhabitatione animae in corpore. Sed ita loqui didicit *Porphyrius* ex communi loquendi usu, si rem spectes, et sigillatim a sacerdotibus Aegyptiorum, uti diserte testatur; adeoque nulla argutatione opus est. Ex iis autem, quae addit *Artemonius*, satis patet, eum meam mentem omnino non percepisse, sed de ea sibi nescio quae finxisse talia, quae vix et ne vix quidem, etsi omni adhibita opera, intelligere potui: quare supersedeo illis examinandis et refutandis. Id unum mihi proposueram, ut ostenderem, vocem κατασκηνῶσαι usurpari de tali unione, qualis est inter mentem et corpus, inter Divinitatem Christi eiusque humanam naturam, utque illustrarem haec Iohannis verba, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.

Quod

plum, de quo loquitur Servator, est id, quod Servator sibi univit, in quo Divinitas eius habitavit, in quo Verbum ἐσκήνωσε. Templum vero illud fuit corpus, nam etiam v. 21 additur: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Porro sic cogitare poterant. Illud, quod dirui ac perdi potest, est templum Divinitatis, in quo illa habitavit, anima autem perdi ac destrui non potest ab hominibus. Itaque id, in quo habitavit Divinitas, fuit corpus solum, destructioni obnoxium, *ναὸς ἄνους*, *templum mentis rationalis expers*, quam fuisse ipsissimam Apollinaristarum expressionem, ex adductis sub initium huius tmematis testimoniis coniecimus, et his modo dictis confirmavimus.

§ 8.

Quod vero attinet ad illa *Porphyrii* verba, δι' ἀνθρώπου μόνου τὸ θεῖον διῆλθεν, de iis quidem, haec scribens, non cogitavi, uti apparet ex verbis meis additis, *de anima hominis loquitur Porphyrius*, ac patet ex tota connexione disputationis. Nolui profecto illustrare nexum harum sententiarum, *Verbum caro factum est*, et, *habitavit in nobis*, quod tamen supponit *Artemonius*, sed respexi tantum posteriorem sententiam separatim, atque usum vocis κατασκηνοῦν. Quae deinde adiungit, miram phrasin esse, *carnem fieri*, et *in carne habitare*, sunt sophismata, unico halitu difflanda. Nequaquam enim dicimus *carnem fieri* idem esse, quod *in carnem converti.* Frequenter nos dicimus, *Rex factus est Imperator*, aut *Dux belli factus est Consiliarius*, cum praeter primam dignitatem deinde adscivit aliam eamque novam. Si corpus esset persona per se subsistens, ut homo, et si anima nostra praeëxisteret, dicere possemus, animam factam esse corpus. Per unionem hypostaticam participat de omnibus, quae de corpore tribuuntur. Sed nunc res aliter se habet in homine. Non praeëxistit aliquid, quod aliud in suam hypostasin adsciscit, adeoque dici non potest: Anima corpus facta est; sed duorum horum coniunctio constituit hominem aut personam humanam.

§ 8.

Ex ſchola Apollinariſtarum, uſus ille huius locutionis frequentior tranſiit ad eos, qui Apollinariſmo omnium maxime et cum vehementisſimo fervore ſe oppoſuerunt, quique poſtmodum a *Nestorio*, Patriarcha Conſtantinopolitano, *Nestoriani* nuncupati ſunt, et ſic quidem tranſiit, ut ab illo tempore iis plane proprius et peculiaris, quinimo tesſera Neſtorianiſmi, habitus fuerit. Non male quondam *Epictetus* dixit in Enchiridio· πᾶν πρᾶγμα δύο ἔχει λαβάς, *unaquaeque res duas habet anſas*, duo latera, duas facies, multumque intereſt, a qua facie, a quo latere eam contempleris, qua anſa eam apprehendas. Ac mirari proinde deſinet, cui id paradoxum primo videbitur, unam eamdemque locutionem fuisſe σύνθημα quoddam, tesſeram quaſi militarem duarum partium, ſibi adeo e diametro oppoſitarum. Quemadmodum enim non ſemper, qui idem ſentiunt, iisdem verbis ſententiam ſuam declarant, ita nec ſemper, qui in verbis conveniunt, conveniunt quoque in re ipſa. Hic certe contigisſe vidimus, ut iis verbis, eoque Iohannis loco, in quo non minimum ſententiae ſuae quaerebant praeſidium Apollinariſtae, *Nestoriani* uterentur inter validisſima argumenta, quibus Apollinariſtarum dogma ſubverſum et penitus deſtructum irent. Brevibus primo dicam, quid de locis illis Iohanneïs dicendum, quidque ad frivolas Apollinariſtarum obiectiones reſpondendum ſit, tum reſponſiones et conſequentias ex iisdem locis deductas *Nestorianorum* ſubnectam. Quod attinet ad illud Ioh. I. 14, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, illa verba, non, ut quibusdam recentioribus interpretibus placet, *habitavit*, vel *commoratus* (g) *est inter nos*, vertenda eſſe

(g) Ita tamen ipſe etiam Apollinaris nonnumquam ver-

esſe puto, ſed, ut rectius Patrum plerique, infra citandi, reddunt: *habitavit in nobis* i. e. *in nostra natura*, phraſi Graecis familiari, cuius exemplum ex *Porphyrio* ſimillimum, tmemate praecedente, adduxi. Et hoc ſufficit ad nugas Apollinariſtarum profligandas. Natura enim noſtra et corpore conſtat et anima rationali. Quodſi ergo Divinitas Christi in nostra habitavit natura, vere habitavit in corpore mente rationali praedita, quod multis urget *Gregorius Nazianzenus* in Epistola ad Cledonium. Non magis eorum hypotheſi favent verba Ioh. II. 19 et 21. Per me esto, Servator ibi tantum de corpore ſuo, quod destrui poterat, locutus fuerit. Corpus illud vocat templum, Divinitas ergo in eo habitavit; ſed quis propterea mentem rationalem excluſerit? Philoſophi Gentiles crediderunt (*h*) animas puras proborum hominum esſe habitacula Dei, concedebant igitur corpora illorum hominum esſe habitacula et mentis et Dei. Paulus Apostolus id ipſum dicit de cor-

verba haec, prout ſcopo ſuo inſerviebant, explicat. In Catena Patrum edita Corderiana ad h. l. p. 32 haec habetur Apollinaris annotatio: *τὸ δὲ σκηνῶσαι αὐτὸν ἐν ἡμῖν, τὸν μετὰ ἀνθρώπων ἐςὶ κατοικῆσαι, quod vero dicitur ipſum in nobis habitasſe, ſignificat eum cum hominibus commoratum fuisſe* [*].

(*h*) *Hierocles* in Aurea Carmina p. 25, *ψυχῆς καθαρᾶς τόπον οἰκειότερον ἐπὶ γῆς Θεὸς οὐκ ἔχει, locum in terra Deus non habet, pura anima gratiorem et familiarem magis.*

---

[*] Aliam vero testimonii Iohannei interpretationem alibi probavit Apollinaris, teste *Gregorio Nysſeno*, qui, in Antirrhetico cap. 51 p. 261, 262 edit. Zacagnii, haec eius ſervavit verba, *Μίγνυται δὲ σὰρξ γενόμενος, τουτέςιν ἄνθρωπος, καθὼς τὸ Εὐαγγέλιον λέγει, ὅτε σὰρξ ἐγένετο, τότε αὐτὸν ἐν ἡμῖν ἐσκηνωκέναι.*

corporibus fidelium, illa esse templa Spiritus S. 1 Cor. v. 19. An, quia talia sunt, anima rationali carent? Maria Θεοτόκος fuit templum et humanae Christi naturae, et simul per id eius Divinitatis, quae corpori, quod assumsit, ab ipso conceptionis momento personaliter unita fuit. Abunde perspicitur, illam Apollinaris ratiocinationem non procedere. Alio modo respondebant *Nestoriani*, qui ex verbis ipsis divi Apostoli clarissime colligi posse contendebant, templum hic non posse (*i*) solum corpus significare, sed corpus cum anima coniunctum necessario intelligendum esse, adeoque ex hoc loco demonstrari validissime contra Apollinaristas, templum Divinitatis Christi fuisse templum ἔμψυχον et ἔννουν, *templum anima et mente animatum.* Insignis est eam in rem locus illius auctoris de incarnatione, quem dixi ab *Euthymio* sub nomine *Cyrilli* saepius laudari. Eius verba, etsi pluscula, hic et quidem Graece adducenda esse duxi, cum, quod Graeca insignis huius scriptoris editio obvia (*k*) non est, tum

(*i*) Si obiiceretur v. 21, respondissent, *corpus* hic intelligendum esse synecdochice, partem pro toto, ut saepe alias. Non erat mediocre argumentum Apollinaristarum, per *templum* in verbis Christi intelligi debere solum corpus. Conferantur modo dicta. Et tamen *Garnerius* in Auctario Operum Theodoreti p. 39 scribit: „ Nomine *templi* corpus intellexere Catholici, *Nestoriani* totum hominem. Catholicorum sententia nitebatur dicto Christi et Euangelistae, solvite templum hoc, etc. Nestorianorum error commodo explicabatur exemplo *templi*, in quo Deus inhabitat, facitque inhabitando sanctum et suae religionis obiectum. " Vbi notandum, hoc verum non esse, orthodoxos omnes *templum* significare tantum corpus voluisse. Hoc potius esset Apollinaristarum; et contrarium clamant loca *Cyrilli* et multorum aliorum, quae magno numero exstant et produci possunt.

(*k*) In oris nostris Latina tantum huius auctoris versio le-

tum quod in illis verbis utrique Apollinaristarum obiectioni, ex locis Iohanneïs petitae, occurritur, ex quo coniicere licet, auctorem libri huius de incarnatione non modo esse Nestorianum, sed et ex antiquioribus et doctioribus, forte ipsum *Diodorum Tarsensem* aut *Theodorum Mopsuestenum*. Locus exstat apud *Euthymium* Tit. XIII edit Latinae p. 531, 532: *Μειζόνως αὐτοῦ δεῖξαι τῆς εὐεργεσίας τὸ μέγεθος ἐθελήσας, οὐ τῆς ψυχῆς ἐμνημόνευσε τῆς ἀθανάτου*, (in loco Ioh. I. 14.) *ἀλλὰ τῆς σαρκὸς τῆς παθητῆς, τῆς θνητῆς, τῆς φθειρομένης, τῆς ἐκ πηλοῦ γεγενημένης, καὶ ἀπὸ τοῦ μέρους τὴν πᾶσαν φύσιν ἐδήλωσεν, ὡς μαρτυρεῖ τὰ ἐπαγόμενα. Ὁ Λόγος γὰρ, φησὶ, σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. ἕτερον δὲ ὁ οἰκήσας, καὶ ἕτερον τὸ ἐν ᾧ ἐνῴκησε. διὸ καὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἔλεγε, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. λύσις δὲ τοῦ ναοῦ, ψυχῆς καὶ σώματος ἡ διάζευξις. θάνατος γάρ ἐστι ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀναχώρησις, οὐκοῦν τοῦ ναοῦ τὴν λύσιν ὁ τῆς ψυχῆς ἐργάζεται χωρισμός· εἰ τοίνυν οἱ Ἰουδαῖοι τὸν ναὸν ἔλυσαν, σταυρῷ καὶ θανάτῳ παραδεδωκότες, λύσις δὲ ναοῦ τῶν συνημμένων ὁ χωρισμὸς, ὁ δὲ Θεὸς Λόγος τοῦτον ἀνέστησε λυθέντα, σαφὲς, ὡς οἶμαι, τοῖς ἔμφροσιν, ὡς οὐκ ἄψυχον οὐδὲ ἄνουν, ἀλλὰ τέλειον ἀνέλαβεν ἄνθρωπον ὁ Θεὸς Λόγος. εἰ γὰρ ἀντὶ τῆς*

legitur, quod profecto mirandum est. Graeca tamen ex Codicibus MSS. a *Petavio*, *Sirmondo*, *Cotelerio* aliisque viris eruditis nonnumquam citata fuerunt. Verum nuper, anno 1710, editio Graeca Tergobysti in Walachia prodiit, quam secum a Clariss. *Enemanno* communicatam, recenset doctiss. *Fabricius* in Bibl. Graeca Vol. VII p. 461 seqq. Eadem quoque, beneficio viri politissimi, Damiani Parascenae Sinopensis, qui ex Oriente ad Academiam nostram Viadrinam accesserat, in manus meas incidit, ex qua locum hunc Graece transscripsi.

τῆς ἀθανάτου ψυχῆς ἐν τῷ ἀναληφθέντι σώματι γέγονεν ὁ Θεὸς Λόγος, εἶπεν ἂν τοῖς Ἰουδαίοις, λύσατέ με καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἀναςήσομαι. Νῦν δὲ διδάσκων καὶ τοῦ ναοῦ τὸ τηνικαῦτα θνητὸν, καὶ τὸ δύνατον τῆς ἐνοικούσης Θεότητος, λύσατέ φησι τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. οὐ γὰρ ἐγώ φησιν ὑφ᾽ ὑμῶν λυθήσομαι, ἀλλ᾽ ὁ ληφθεὶς ὑπ᾽ ἐμοῦ ναός, hoc est, interprete *Fr. Zino*, *cum vehementius vellet Euangelista beneficii magnitudinem indicare, non animae immortalis, sed carnis patibilis, mortalis, quae corrumpitur, quae ex luto confecta est, mentionem fecit, et ex parte naturam totam indicavit, ut ea, quae sequuntur, ostendunt: Verbum, inquit, caro factum est, et habitavit in nobis. Aliud autem* (*l*) *est id, quod inhabitavit, quantum pertinet ad naturae rationem, aliud id, in quo inhabitavit. Quapropter et Iudaeis dicebat: solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Porro templi solutio est animae corporisque disiunctio. Mors enim est animae a corpore separatio, qua quidem separatione animae* (*m*) *templi consequitur dissolutio. Quare si Iudaei templum dissolverunt, cruce et morte ipsum afficientes, templi autem dissolutio est coniunctorum separatio, templum vero dissolutum Deus Verbum excitavit, nemo sanus, ut arbitror, non perspicit, Deum Verbum non animae nec mentis expertem, sed perfectum hominem suscepisse. Nam si animae immortalis loco Deus Ver-*

(*l*) Videtur in Codice *Zini* fuisse ἕτερον δὲ τὸ οἰκῆσαν. alioquin potius verterem: *Aliud est is, qui inhabitat, et aliud id, in quo inhabitat.*

(*m*) Vertendum est: *Separatio igitur animae est illa templi dissolutio*, vel, *illam templi dissolutionem efficit.* Iacet hic robur argumenti, quod non satis in sua versione *Zinius* expresſit.

Verbum in asſumto corpore exſtitisſet, Iudaeis dixisſet: ſolvite me et in tribus diebus (*n*) *excitabo me. Nunc autem declarans et templi* (*o*) *mortalitatem, et Divinitatis inhabitantis potentiam: ſolvite, inquit, templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Non enim inquit: Ego disſolvar a vobis, ſed templum a me ſusceptum.* Ex his iam clare ſatis apparet, quamobrem illa naturae Christi humanae comparatio cum templo, in quo habitat Deitas, perplaceret illis, qui contra Apollinarem disputabant. Nam primum exiſtimabant, ex verbis Euangelistae conſtare luculenter, templum, id est, naturam humanam, ibi non posſe intelligi, niſi templum mente animatum. Deinde cum ex veſana Apollinaris doctrina hoc conſequi viderent, unam tantum in Christo esſe naturam, quae in nobis quidem appellanda est humana natura, quia corpus nostrum a mente humana regitur, in Christo vero appellanda ſit Divina, quia ipſa Deitas esſet mens Christi, excluſa alia mente humana, abſurditatem hanc non melius, quam comparatione illa, quam inter humanam Christi eiusque Divinam naturam, pluribus locis ipſa Sacra Scriptura inſtituit, profligari penitus posſe, credebant. Quemadmodum enim per inhabitationem Dei in templo id non fit, ut ipſe Deus ad perficiendam naturam templi concurrat, et cum ipſo unam naturam conſtituat, ſed in templo per ſe perfecto habitat, ita Christi Deitas naturam humanam

(*n*) In Graeco est: *In tribus diebus reſurgam*, quod h. l. est emphaticum; reſurgere enim unum tantum involvit reſurgentem, at vero excitare obiicit ideam et excitantis et excitati.

(*o*) In Graeco additur: *Templi, quae tum adhuc erat, mortalitatem*, quod in ſequentibus apud *Euthymium* auctor ille pluribus explicat.

nam per se iam perfectam assumsit quidem, et in illa habitavit, verum Divinitas minime concurrit ad perficiendam naturam humanam, sive ad supplendum quod et ad perfectam in suo genere naturam deërat, et ad sic unam cum illa naturam conficiendam. Hoc est verum fundamentum, haec origo *Nestorianismi*. Et quis neget, innocentissimo et bono sensu primum hanc locutionem, et superstructam ei argumentationem, contra Synusiastas adhibitam fuisse? Per concertationes et velitationes secutorum temporum factum est, ut comparationem illam nonnumquam plus aequo extendere, sed et per id ipsum arctissimum unionis vinculum, quod inter utramque Christi naturam intercedit, minuere, cumque ipsi ex hac phrasi diversitatem naturarum in Christo conarentur demonstrare, re ipsa duas quoque personas introducere viderentur.

§ 9.

Detecta fuit, nisi fallor, in praecedentibus occasio, qua locutio illa in scholas *Nestorianorum* introducta est. *Nestorianos* autem, quod semel monuisse sufficiat, intelligo non modo *Nestorii* sectatores, verum et eiusdem magistros, quorum ille vestigia legit. Cum tam egregium illis in hoc cum Apollinaristis negotio usum praestaret haec S. Scripturae phrasis, quid mirum est, quod ipsis, quibus nihil magis cordi erat, quam haereticos hos penitus debellare, in ore perpetuo fuerit, quod clypei instar eam ad omnes ictus obiecerint, quodque, uti loquitur nuperus *Iohannis Damasceni* editor, *Nestorianismi specimen et tessera* tamdem evaserit. Quod multis eam in rem conquisitis testimoniis probare, etsi supervacaneum quibusdam videri possit, non tamen plane negligendum mihi erat, quo et dictis fidem

dem facerem, et aliis quaerendi laborem diminuentem. Primus, qui singulari cum vehementia Apollinaristas adortus est, atque sic *Nestorianismi* fundamenta iecit, *Diodorus* est *Tarsensis*, vir magnae apud omnes existimationis ac auctoritatis, et cum paucis seculi sui comparandus (*p*). Paucula eius habemus fragmenta (*q*) indubia, quasque nomen eius praeferunt. Inter illa hoc tamen legitur (*r*) apud *Leontium Byzantinum*, in quo locutio illa pariter occurrit: *Si quis voluerit Filium Dei, Deum Verbum nominare* καταχρηστικῶς *i. e. abusive Filium David, propter templum Verbi Dei ex David, nominet et genitum ex semine David Filium David gratia et non natura*; et paulo ante: *Sed neque duos Filios Dei secundum substantiam dico, Filium Dei ante secula, habitasse in genito ex semine David* (*s*). Huius *Diodori Tarsensis* discipulus longe celeberrimus fuit *Theodorus Mopsuestenus*, cuius plura habentur fragmenta apud eundem *Leontium Byzantinum*, apud *Facundum Hermianensem*, per totum opus passim, in Actis Synodi Quintae, et in Catenis Patrum. Quae ille scripsit, phrasin hanc ubique praeferunt [*]. Ex multis pauca haec suffi-

(*p*) Quaestiones ad Orthodoxos, quae inter *Iustini Martyris* Opera hactenus vulgata sunt, foetum esse huius *Diodori Tarsensis*, argumentis non contemnendis in doctissima ad reverendum *Moshemium* Epistola probavit vir rarae eruditionis *Mat. Veyssiere la Croze.* Vid. Biblioth. Brem. Class. v, Fascic. iv, num. iii.

(*q*) Vid. *Cave* in Hist. Liter. ad sec. iv p. 217.

(*r*) In Biblioth. Patr. Colon. Tom. vi. fol. 484.

(*s*) Haec ipsa verba et plura sequentia, ne quid dissimu-

[*] Hinc factum, ut *Simeon*, Episcopus Beth-Arsamensis, scri-

ficere posſunt. In Libro eius IV. contra Apollinarem haec (*t*) legebantur: *Igitur ſequentes leges veſtras, et converſionem acuminis tui, imo everſionem amplectentes, et approbantes, age confundamus omnia in ipſo, et nulla ſit deinceps diſtinctio, non templi asſumti, non habitantis in templo, non templi ſoluti, non excitantis templum.* Lib. VII. de Incarnat. haec ſcripſerat (*v*): *In Christo tamen non ſic dicimus factam esſe inhabitationem*, (quemadmodum in Prophetis et Apoſtolis) *numquam enim eo dementiae procedemus, ſed tamquam in Filio. Sic enim bene placens inhabitavit. Sed quid est, tamquam in Filio? Quia ſcilicet, cum inhabitasſet totum quem asſumſerat, ſibi univit, et fecit eum comparticipare totum honorem, quem, qui inhabitat natura Filius, communem cum eo habere voluit, ut ad unam quidem perſonam pertineret ſecundum unionem cum ipſo, ſic autem omnem principatum cum eo communicare, et ſic omnia in eo agere voluit, ut iudicium totius mundi, et examinationem, per ipſum adventum eius facturus ſit.* Digna quoque nostra attentione ſunt illa *Theodori* verba, quae in Synodo Quinta, apud *Labbeum* Tom. v. Concil. col. 457. relata leguntur: *Duas nativitates Deus Verbum non ſuſtinuit, unam quidem ante ſecula, alteram autem in ultimis temporibus: ſed ex Patre quidem na-*

mulem, ſub nomine *Theodori Mopſueſteni* tamquam auctoris citantur in Actis Synodi Quintae Tom. v. Concil. col. 456, etc.

(*t*) Apud *Leontium* Tom. VI. Bibl. Pat. fol. 480.

(*v*) Apud eumdem *Leontium*, fol. 483.

ptor Syriacus ſec VI, *Theodoro Mopſuesteno* dicam haereſeos ſcriberet, in *Asſemani* Biblioth. Orientali t. I p. 348.

natura genitus est, templum vero. quod ex Maria natum, ex ipso utero (*x*) *sibi fabricavit.* Haec iam *Theodori* mentem satis nobis aperiunt. Antequam vero ad *Nestorium* ipsum pergam, rogo lectorem etiam atque etiam, ut duo inprimis posteriora *Theodori* loca relegat, ac cum his *Camp. Vitringae*, summi certe Theologi, verbis conferat, quae leguntur in eius Doctrina Religionis Christianae c. XXI §. 32, 33: *Huius proinde unionis fundamentum esse constat voluntatem Filii Dei. Sic est: Filius Dei humanam naturam sibi voluit formare in Maria Virgine, eam excellentibus dotibus ornare, Spiritus S. donis ungere, in ea singulari prorsus modo ac peculiari gratia operari, per eam perficere totum negotium nostrae salutis, ac tamdem in ea aeternum adorari et glorificari, ut in suo templo vel tabernaculo.* Et quis tamen in his verbis aliquid latere heterodoxi suspicatus est? Nunc ad *Nestorium* ipsum pervenio, qui *Theodori* placitis tenaciter inhaesit, nullamque praeterire passus est occasionem, qua locutionis huius vim aliis ob oculos poneret. Multis eam urget in Epistola quadam ad Cyrillum c. II. in Actis Con-

(*x*) Verba haec, quomodo nunc leguntur, emphasin non habent: *ex ipso utero.* Et potuimus iam aliis exemplis observare, quam male interpretes et librarii Theodorum tractarint. Forsitan [*] posset legi: *Ipse ex utero sibi fabricavit.* Sententia tum est elegans et vivida: Deus Verbum ab aeterno a Patre generatus est, humanitatem vero in Maria ipse generavit et fabricavit. Iam qui generavit, tum cum generavit, natus aut genitus esse, dici non potest. Haec certe mens est horum *Theodori* verborum.

[*] Vid. animadversio ad pag. 176.

Concilii Ephesini col. 323: *Quasi vero, quae in Dei Verbum natura conveniunt, ea per coniunctionem cum templo penitus abolita sint? aut parvi hoc ab hominibus fieri debeat, templum peccati omnis expers, et cum natura Divina indissolubili vinculo unitum, peccatorum nostrorum causa et natum, et mortuum esse: aut denique Domino Iudaeos eiusmodi oratione compellanti: solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud, fidem habere non oporteat: ecce, non dicit: solvite Divinitatem meam, et in tribus diebus excitabitur; sed, solvite templum hoc.* Idem in Sermone IV c. x. apud *Marium Mercatorem*, qui nobis illos conservavit Tom II p. 27, edit. Garn. ait: *Alius quidem Deus Verbum est, qui erat in templo, quod operatus est Spiritus, et aliud templum praeter habitantem Deum. Templi est morte dissolvi, inhabitantis autem templum, id ut resuscitet, proprium est. Non hic meus sermo, sed vox est Domini: solvite templum hoc, inquit, et in triduo resuscitabo illud.* Et Serm. XII c. x. apud *Mercat.* T. II p. 86: *Genitrix Dei est, non propter nudam humanitate Divinitatem, sed propter unitum templo Deum Verbum. Hominis vero genitrix (ἀνθρωποτόκος) propter templum, quod consubstantiale est naturaliter Virgini sanctae.* Nestorianis hic accensendos esse puto Orientales Episcopos, qui in illo, uti vocari solet, Conciliabulo Ephesino, Cyrillum deposuerunt, reliquos vero eius factionis excommunicarunt. Inter illos auctoritate plurimum pollebat, *Iohannes Antiochenus*, Patriarcha veluti Orientis, qui in confessione fidei, quam, post habitum Concilium Ephesinum, ad Cyrillum, cum quo in gratiam redire volebat, misit, haec quoque verba posuit (y): *Confitemur sanctam Virginem Dei geni-*

(y) In Actis Concilii Ephesini part. III col. 1094.

nitricem esse, propterea, quod Deus Verbum incarnatus et homo factus est, et ex ipsa conceptione ἕνωσεν ἑαυτῷ τὸν ἐξ αὐτῆς ληφθέντα ναὸν, *univit sibi templum, quod ex illa assumsit*, quomodo semper *Nestorius* et *Theodorus* loqui soliti fuerunt. Et, qui illam confessionem Cyrillo nomine Orientalium, pacis cupidorum, obtulit, *Paulus* Emesenus Episcopus, publice tum pro concione ad populum Alexandrinum dixit, ut fidei suae et sincerae doctrinae specimen aliquod ederet, ibique his quoque verbis (z) usus est: *Natura namque nostra perfecte assumta, humanitateque ex prima conceptione sibi conjuncta, ac nostro corpore sibi in templum fabrefacto, ex Deipara Virgine Deus perfectus et homo itidem perfectus prodiit.* Periodus haec adeo pulchra mihi visa est, ut temperare mihi non possim, quin Graeca apponam: Τὴν γὰρ ἡμετέραν τελείως ἀνειληφὼς φύσιν, καὶ τὸ ἀνθρώπινον ἐκ πρώτης συλλήψεως οἰκειώσας ἑαυτῷ, καὶ τὸ ἡμέτερον σῶμα ναὸν ἑαυτῷ κατασκευασάμενος, προῆλθεν ἐκ τῆς Θεοτόκου, Θεὸς τέλειος καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτός (a). Insigne in his verbis latet ar-

(z) In Actis Concil. Ephes. col. 1095. Notandum ceteroquin, hanc *Pauli* Emeseni Homiliam magno applausu a populo exceptam, et a Cyrillo multis encomiis ornatam fuisse, testante *Facundo* pag. 305, et *Eulogio* apud *Photium* p. 441. edit. Hoeschel.

(a) *Proclus* in tantopere laudata illa Homilia, Constantinopoli adversus *Nestorium* habita § VI, οὕτως οὐδὲ μιαίνει τὸν ἄχραντον Θεὸν, τὸ ἐκ παρθενικῆς γαστρὸς προελθεῖν. *Athanasius* in Epistola ad Epict. p. 454 D, πῶς ἀμφιβάλλειν ἐτόλμησαν οἱ Χριστιανοὶ, εἰ ὁ ἐκ Μαρίας προελθὼν Κύριος, υἱὸς μὲν οὐσίᾳ καὶ φύσει τοῦ Θεοῦ ἐστι. add. *Cyrillus* in Actis Concil. Ephes. Tom. III pag. 319. A. In Homilia ante citata usurpatur vox συνδρομῆς, quam culpat *Bergerus*; cum tamen eadem voce utatur *Cyrillus* in

artificium, atque dicere ausim, nihil a veterum ullo in hac causa fuisse melius et elegantius dictum. Vsus autem est iis phrasibus, quae *Nestorium* invisum, doctrinam vero eius suspectam reddiderunt. Sed eo modo illas correxit, eum illis habitum induxit, ut ne ipse quidem livor, quod reprehendat, inveniat, adeoque is verum usum et sensum illarum phrasium docuit (*b*) Cyrillum et orthodoxos. Inter omnes vero, non modo Orientales, sed et totius illius seculi doctores Ecclesiae, acumine ingenii, eruditione haud vulgari, et dictionis singulari elegantia eminet *Theodoretus*, auctor certe et aliis temporibus, et meliori sorte dignus. Etiamsi *Nestorio* ille anathema dixerit coactus, eiusque in compendio suo Haereticarum Fabularum, Lib. IV. c. XII. Opp. Tom. IV. p. 244 sqq, mentionem non valde honorificam fecerit, nemo tamen dubitat, quin dogmatibus eius, aut potius *Theodori Mopsuesteni* fuerit addictior. Id-

in Actis Conc. Ephes. p. 77. A. et in Epistola secunda ad Nestorium p. 46 ed. Marii [*]. Ibidem utitur *Cyrillus* voce προῆλθεν eodem plane modo, quo adhibetur in Homilia laudata pag. 47 et 72.

(*b*) Huius iudicii, quod dente critico mordere voluit *Bergerus*, at nimis infelici successu, quoniam *Paulum Emesenum* non intellexit, atque ostendit, se totius huius controversiae esse prorsus imperitum; huius igitur iudicii mei me nondum pudet ac poenitet. Conf. dicta ad § 2 huius Exercitat. p. 9 [167].

[*] Scribit *Gregorius Nyssenus*, in Antirrhetico Advertus Apollinarem pag. 138 ed. Zacagnii, Ταῦτα τῆς ὑγιαινούσης φωνῆς ἐςὶ τὰ ῥήματα· ὁ γὰρ ἡνῶσθαι τῇ σαρκὶ τὸν Λόγον εἰπὼν, οὐδὲν ἕτερον ἢ τῶν δύο τὴν συνδρομὴν λέγει. Nec sensu dissimili voce σύνοδος usus est *Cyrillus* in Anathematismo III c. Nestorium, tom. V. Collectionis Concil. Mansianae p. 7.

Idcirco etiam eadem illa phrasis saepissime apud eum occurrit. Verum contenti simus hisce, quibus Anathematismum Cyrilli secundum oppugnat, apud *Marium Mercatorem* T. II p. 184: *Oportet autem obtemperare Domino, demonstranti duas naturas, et dicenti Iudaeis: solvite templum istud, et in triduo reaedificabo ipsum. At si commixtio fuisset facta, nec Deus remansisset Deus, nec templum cognosceretur templum, sed et Deus templum esset, et templum Deus. Id enim commixtionis ratio postulat, et non recte Dominus Iudaeis dixit: solvite templum istud, et in triduo reaedificabo ipsum. Oportuerat enim ita dicere: solvite me, et in triduo resurgam.* Quae plane gemina sunt iis, quae, ex auctore Pseudonymo apud *Euthymium*, protuli § 8 (*c*). Post *Nestorium*, in exilio vita functum, secta *Nestorianorum* exstincta non fuit, sed totum Orientem [*] invasit. Habent etiamnum Patriarcham suum, qui Mosule, ubi olim Ninive fuisse creditur, commoratur. De *Nestorianis* hisce ex Relationibus Missionariorum sic scribit *Iacobus Navarchus* (*d*) in Epistola sic appellata Asiatica: *Nestoriani et* (*e*) *late et magno numero prae-*

(*c*) Orientalibus ante laudatis iungendus etiam est *Ibas*, cuius verba ex Epistola eius notissima notari merentur. Vide *Facundum* p. 239, 304 sq.

(*d*) Exstat illa Epistola lectu non indigna in collectione Epistolarum Indicarum et Iapanicarum, quae Lovanii prodiit a. 1570, Parte II, quae Epistolas Iapanicas comprehendit, p. 303 etc.

(*e*) Vide auctorem des Recherches du Christianisme dans les Indes p. 267.

[*] Inter Nestorianos Syros et Chaldaeos fuit inprimis *Ebed Iesu*, Metropolita Sobensis, sec. XIII extremo et XIV ineunte clarus,

praememoratos (Maronitas) *ſuperant, ac per univerſum Orientem coetus ſuos habent usque eo, ut in Mozal, ubi ipſorum Patriarcha ſedere ſolet, quae Parthorum Seleucia putatur, quindecim templa celebrent, tribus tantum Iacobitarum religioni dicatis. Ceterum an a famoſisſimo Neſtorii veneno modo prorſus ſint alieni, non ſatis conſtat, certe in multarum orationum ſolennium volumine nusquam divam Virginem* Θεοτόκον, *ſed parentem vitae lucisque appellant.* Plura ibi ſequuntur de multitudine, deque ritibus eccleſiarum Neſtorianarum Orientis, quae cum a ſcopo meo ſint aliena, praetermitto. *Neſtoriani* autem illi, etiamſi in ſumma ſimplicitate degant, a magiſtrorum tamen ſuorum dogmatibus non recesſerunt. Et quemadmodum ex citatis modo verbis apparet, eos etiamnum vocabulum Θεοτόκου, quando de B. Virgine Maria ſermo est, ſtudioſe declinare, ita aliunde ſatis etiam conſtat, eos humanam Chriſti naturam in libris ſuis et ſacris frequentisſime templum Divinitatis nuncupare. Quod in genere de omnibus obſervat *Mich. le Quien* Diſſertat. IV. Damaſcen. p. LXI. b: *Nihil etiamnum Neſtorianis, qui ſuperſunt in Oriente, familiarius est, quam ut Chriſtum hominem, Dei templum vocitent.* Exemplo nobis imprimis ſunt Chriſtiani, uti vocantur, S. Thomae in India, qui a ſeculo quinto usque ad finem ſeculi XVI. *Neſtorii* ſectae addicti, et ab omnibus reliquis Chriſtianae religionis coetibus ſeparati fuerunt. Etiamſi (*f*) eccleſiae Romanae Misſio-

(*f*) *Melchior Nunneſius*, Misſionarius celeber, cuius mul-

rus; cuius verba, e libro de adventu Christi huiusque unione ducta, leguntur in *Aſſemani* Bibl. Orient. tom. III part. p. 354.

ſionarii aliud longe primo nobis perſuadere conati fuerint, res tamen ipſa ac monumenta illius eccleſiae Hiſtorica, quae nuper ab illuſtri *la Crozio* ſtudioſe collecta, et eruditorum oculis expoſita fuerunt, ſatis docent, eos confesſioni Orientalium, qui *Neſtorii* partes ſecuti fuerant, per omnia conſtantisſime adhaeſisſe, et ab illis ſuperſtitionibus ac corruptionibus, quae ſecutis ſeculis Eccleſiam tam turpiter foedarunt, immunes ſeſe conſervasſe. Illa igitur locutio et comparatio humanae naturae cum templo inhabitantis Dei, et (*g*) in libris horum Christianorum

multae exſtant Epiſtolae, in collectionibus Epiſtolarum Misſionariorum, de Christianis S. Thomae, adductus a *Navarcho* in Epiſtola illa iam citata Aſiatica p. 307 ita ſcribit: *Cum inquirerem, quid fidei noſtrae tenerent, aut quid repudiarent, deprehendi eos, quicquid nobis de Trinitate*, de incarnatione Verbi, *de euchariſtiae Sacramento, traditum et descriptum esſet*, ſolide credere; quae omnia falſisſima esſe, mox ipſi Loyolitae confesſi fuerunt. Posſunt vero dogmata et ritus illorum Christianorum facile intelligi ex Actis Synodi Diamperienſis, quae primum lingua Luſitanica, deinde Anglica evulgata, et nuper ab eruditisſimo *la Crozio*, in hiſtoria illorum Christianorum, in compendium redacta fuerunt.

(*g*) Inter libros a Christianis hisce communiter lectitatos, et in Synodo Diamperienſi Sesſione III damnatos, comparet etiam *Liber Homiliarum*, propter has, ut iudicat Synodus, haereticas ſententias lectione indignus: *Il est dit, que l'Euchariſtie n'est que l'image du corps de Ieſus Christ; que le corps de Ieſus Christ n'est pas dans le Sacrement, mais dans le ciel; que toute la Trinité s'est incarnée; que le Christ est le temple de la Divinité.* Vid. *la Croze* Hiſtoire. L. III p. 241. Adde, quae ex libro dicto *Menra* citantur paulo ante in eadem Sesſione c. XIV. Decret. XVI p. 161. edit. Anglicae Mich. Geddes: *Subſtantiam Dei habitasſe in Christo, ceu in templo.*

rum non raro occurrit (*h*), eadem Liturgiis quibusdam eorum publicis inserta, ac proinde (*i*) ut locutio his Ecclesiis propria considerata ac condemnata fuit.

§ 10.

Et sic brevem quasi phraseos huius historiam contexui. Illud iam, cuius caussa potissimum ad scribendam hanc Dissertationem accessi, restat, ut locutionem illam *Nestorianis* adeo familiarem et gratam sub examen revocem, et quid illa boni habeat, quid porro in ea desiderandum censeri possit, disquiram. Et primo quidem, quando phrasin hanc saepius vocavi *Nestorianam*, id non ita intelligi cupio, tamquam

(*h*) Patet hoc ex iis, quae Archi-Episcopus Goanus *Alexius de Menezes* Christianis his in colloquio quodam obiecit, quae sic enarrat Clarisf. *la Croze* Histoire du Christian. dans les Indes L. II p. 118: *Et bien, dit l'Archevèquo, puisque vous recevez cet Euangile, qui dit*, le Verbe a été fait chair, et a habité parmi nous, *pourquoi enseignez-vous, avec vos Patriarches, et vos Evèques, que ie Verbe ne s'est point fait chair, que le Christ n'est pas Dieu, et que Dieu ne s'est point fait homme? Pourquoi chantez-vous dans l'Egiise, le jour de Noël, le Verbe ne s'est point fait chair, comme vous le dites, o Romains incredules! mais il a habité dans Christ, comme dans un temple.*

(*i*) Idcirco in confesfione publica Fidei, quae in Synodo Diamperiensi adornata est, omnes illius Ecclesiae Christiani anathema se dicere profitentur doctrinae *Nestorii* et aliorum eius sectae doctorum: *Qui disent, que le Verbe Eternel n'a point pris chair humaine, en unité de personne, mais par forme d'habitation et de demeure, comme dans un temple.* Vid. *la Croze* Histoire L. III p. 189 fin. et seq.

quam illi soli in disputationibus suis eam adhibuerint. Tantum enim abest, ut illa *Nestorio*, aut *Nestorianis* solis, propria fuerit, ut in ipsius etiam *Cyrilli* scriptis, et illis quidem, quae contra *Nestorium* scripsit, plus semel (*k*) legatur. In scholiis de Incarnatione sic scribit c. IV: *Atqui Virgo sancta peperit templum Verbo unitum.* Eodem porro libro c. XXV. unionem non modo (*l*) vocat ἐνοίκησιν, quod in *Nestorio* valde culpatur, sed illa etiam ἐνοίκησις eodem adhibetur, eodemque explicatur modo, quo fieri a *Nestorianis* solebat, ad ostendendam naturarum discrepantiam: *Intelligitur namque certe, tamquam aliud in alio inhabitare, i. e. Divina natura in humanitate, non perpessa commixtionem, aut confusionem, aut commutationem in id, quod non erat. Quicquid enim in alio habitare dicitur, non ipsum fit tale, quale est id, in quo habitat, sed potius aliud in alio intelligitur.* Non poterat *Nestorius* ipse aut *Theodorus* mentem suam clarius aperire, nec usum phraseos huius opportune magis ostendere. Idem *Cyrillus* eodem laudato capite: *Non autem*, inquit, *cum Deus dicitur inhabitasse in Christo: inhabitavit namque in eo omnis plenitudo Divinitatis corporaliter: non per participationem, vel σχέσιν simplicem, quasi sole illucescente, aut igni insitum sibi calorem aliis immittente; sed ut*

(*k*) Adde Epistolam *Cyrilli* ad Iohannem Antiochenum in Actis Concilii Ephesini f. 1107. Apud *Marium Mercatorem* T. II p. 221, et Tom. III. Concil. col. 947. Conferantur, quae iam supra memoravi.

(*l*) Hunc ipsum locum Concilium Chalcedonense laudavit et approbavit action. II, Tom. IV Concilior. ed. Labb. col. 366, 367. Et tamen *Bergerus* mihi regerere ausus est, Concilium Chalcedonense hunc *Cyrilli* librum reiecisse.

ut ita dicam, ipsa Divina sinceraque natura, iuxta totum id, quod est, inhabitationem sibi faciente, per veram, ut ante diximus, unitatem in templo, quod natum est ex Virgine. Parcius tamen post certamina illa cum *Nestorianis*, phrasis haec et nonnisi cum interpretatione in usu fuit apud orthodoxos, quia, ut aliquoties iam monui, specimen postea facta est *Nestorianismi.* Ante illa (*m*) tempora vero, praecipue postquam *Diodorus Tarsensis* usum eius locutionis ostenderat, celeberrimi nominis et magnae auctoritatis in Ecclesia viri, sine ulla haereseos suspicione, scriptis suis eam inseruere. *Eustathii* et *Flaviani*, Antiochenorum Episcoporum, nec non *Gelasii* Caesareënsis et aliorum (*n*) loca *Theodoretus* produxit Dialogo primo, opp. Tom. IV p. 31, 37, 38. Ibidem auctor ille p. 44 hunc *Chrysostomi* locum egregium affert: *Extremae* (ait sanctus vir, contra gentiles disputans) *dementiae est, quod cum ipsi deos suos ligneis vel lapideis statuis ac simulachris, ceu carceribus, includant, nos tamen reprehendant, quando dicimus*, ὅτι ναὸν ἑαυτῷ κατασκευάσας ὁ Θεὸς ζῶντα ἐκ Πνεύματος Ἁγίου, δι᾽ αὐτοῦ τὴν οἰκουμένην ὠφέλησεν, *Deum, cum sibi ipsi templum vivens ex Spiritu Sancto construxisset, per illud templum summa in totum terrarum orbem be-*

(*m*) Etsi nihil magis certum exploratumque est, negavit id tamen *Bergerus*; quo pudore, quave verecundia, ipse viderit. Ante eum idem illud negarat *Saligius* in Eutychian. ante Eutych. p. 371, sed cuius verba interpretationem benigniorem patiuntur.

(*n*) Notabilis etiam est locus *Ignatii* in Epistola, quae interpolata dicitur, quam tamen citavit auctor Chronici Paschalis sive Alexandrini. Vide *Whiston's* Dissertation on the gen. Epistles of Ignatius p. 57, 58, in Christianity primitive reviv. Tom. I.

beneficia contulisse. Si enim turpe (o) *putant, Deum in humano corpore habitare, turpius certe est, eum in*

(o) Itaque dogma de incarnatione Gentilibus non modo falsum, sed et *αἰσχρὸν*, turpe et Numine indignum videbatur, illudque haud dubie inter praecipuas causas fuit, quamobrem tota Christianorum doctrina Gentilibus esset *μωρία*, stultitia, ut Paulus loquitur 1 Cor. I, 23. Videtur etiam mysterium hoc tangere, ille religionis omnis derisor, quique nec diis nec hominibus pepercit, *Lucianus* [t. 1 p. 404 ed. Hemsterh.] in Dialogo Diogenis et Herculis. Ibi enim praeter alia notabilia et huc spectantia, sed quae brevitatis causa praetermitto p. 262. edit. Salmur. Diogenes quaerit ex Hercule, an, cum in ipso aliquid divinum fuerit ex Iove patre, immortale, aliquid humanum ex Alcmena matre, mortale, duo quoque fuerint Hercules ab Alcmena in lucem editi, gemelli. Respondet Hercules. *Minime, ambo enim* (mortalis et immortalis) *unus idemque eramus.* Regerit tum Diogenes p. 263. *οὐκ ἔστι μαθεῖν τοῦτο ῥᾴδιον συνθέτους δύ' ὄντας Ἡρακλέας, ἐκτὸς εἰ μὴ ὥσπερ ἱπποκένταυρός τις ἦτε, εἰς ἓν συμπεφυκότες, ἄνθρωπος καὶ Θεός, haud facile hoc intelligi potest, duos in unum conflatos esse Hercules, nisi, quemadmodum hippocentaurus aliquis, in unum homo et Deus copulati estis.* In quibus etsi homo harum rerum imperitus mysterio sibi incognito stolide illudit, testimonium tamen non vilipendendum perhibet Christianae doctrinae illius temporis de incarnatione Christi. *Samuel Crellius*, in Initio Euang. Ioh. illustr. p. 391 et seqq. notam hanc sub censuram vocat, aitque tempore Pauli talem incarnationem notam non fuisse, et hinc Paulum non dicere, Christum incarnatum, sed crucifixum esse stultitiam Gentilibus. Verum enim vero Paulus quidem ibi loquitur de Christo cruci affixo, sed ideo incarnatio etiam putabatur stultitia, quia concipere non poterant, incarnatum Deum pati, uti nec *Lucianus* concipere poterat, Herculem igne comburi potuisse, si aliquid divini habuisset. Deinde contendit personatus ille *Artemonius*, haec verba non proba-

in lapide et ligno habitare, quanto lapis et lignum homine sunt ignobiliora. Iungantur etiam haec *Gregorii Nyssenii* verba, in antirrhetico adversus Apollinarem cap. 27 p. 189: Λέγομεν, ὅτι ὑπὲρ τὴν αὐτοῦ φύσιν ὁ ἄνθρωπος ἔσχε τί μεῖζον ἕτερον, τὴν ἐν αὐτῷ κατοικοῦσαν Θεότητα. Plura iam non addo. Ex his enim paucis abunde intelligitur, *Nestorianos* nec solos, nec primos, humanam Christi naturam templum Divinitatis vocitasse. Iam me tacente, res ipsa

bare, *Luciano* cognitam fuisse doctrinam de incarnatione. Respondeo, non probant apodictice, et idcirco tantum scripsi, *videtur.* Sed res tamen est admodum probabilis: (1) quia *Lucianus* rerum Christianismi ignarus non erat, ut manifestum est e dialogis, inscriptis de morte Peregrini et Philopatris; (2) quoniam ostendi potest, incarnationem iam tempore *Luciani* non modo Christianis notam fuisse, sed et passim ab ipsis vulgatam; (3) quia vix ullus Gentilium eamdem de Hercule fabulam eo modo traduxit; (4) quandoquidem satis aperte illudit mysterio incarnationis, in una nempe persona esse naturam Divinam et humanam. Quidquid enim indicant verba *Luciani*, quae sane ex scholis Christianorum non deprompserat, tamen id vult ridere in Hercule, quod nos de Christo dicere rident similiter antitrinitarii; (5) accedit, alios et antitrinitarios, *Lucianum* deinde imitatos, dogma de Deo incarnato cum fabula Gentilium de Hercule etiam contulisse, cum tam simile visum est ipsis hoc Gentilium de Hercule commentum. Quis ergo miretur, *Lucianum* in eamdem cogitationem incidisse? Reliquas *Crellii* observationes iam non morabor; sed potius addam, incarnationem rideri quoque a *Iuliano* Imp. in Epistola apud *Facundum* Lib. IV p. 164, 165, et a *Marcione*, qui *Luciano* aequalis fuit, apud *Tertullianum* Lib. III adv. Marcion. cap. 11, coll. c. 8, ubi de aliis non dissimilia referuntur. Comparentur etiam loca *Augustini* Lib. X de Civ. Dei c. 29 et alibi, iam citata a *Petavio* Lib. IV de Incarnat. c. 13 § 5.

ipsa loquitur, *Nestorianos* haec orthodoxis obiecisse, seque exemplo magnorum horum hominum tuitos fuisse, sed in cassum. Quod enim *Augustinus* quondam Pelagianis, similia sibi exprobrantibus, respondit, contra Iulian. L. I c. 2: *Ante mota certamina Pelagiana, Patres securius loquebantur*, quodque *Hieronymus* Arianis regessit Apol. II. adversus Ruffin: *Antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, scriptores Ecclesiastici innocenter quaedam et minus caute locuti sunt* (*p*), id ipsum plane *Nestorianis* ab orthodoxis respondebatur. Vnus erit instar omnium, *Leontius Byzantinus*, contra *Nestorianos* et *Eutychianos* Lib. III. in Biblioth. Patr. T. VI fol. 479: *Quale praeterea est illud? In quibus, inquit, corrigitis Theodorum, aut Diodorum, in eisdem etiam reliquos patres reos esse reperimus. Et proferunt quidem nobis ex Serapione illud:* Deus hominem induit, *ex Basilio autem:* Homo Deifer (ἄνθρωπος Θεοφόρος) etc. *et praeter cetera omnia Cyrilli Hypostases, et* hominem ex virgine, *et* templum ex virgine etc. *Primum igitur illud est consideratione dignum, quod non est nobis de vocibus controversia, sed de modo totius mysterii Christi. Hoc autem non simpliciter ex hac aut illa voce, aut ex quibusdam verbis est approbandum, sed ex primis principiis.* Quam regulam si secuti fuissent in hac controversia orthodoxi, cito, quantum coniicere licet, pacari Ecclesia potuisset. Vidimus nempe sub initium huius Dissertationis, quosdam libenter, alios vi veritatis adactos, agnovisse, omnes has disputationes versari in meris vocibus.

§. 11.

(*p*) Sic et *Chemnitius* de duabus naturis c. IX p. m. 45. a., ubi ille multa annotavit.

§. II.

Praeter auctoritatem vero summorum in Ecclesia virorum, poterant *Nestoriani*, quod rei caput est, huius perdilectae suae locutionis fundamentum in ipsa Sacra Scriptura ostendere. Eo saltem ab ipsis trahitur locus Gen. XLIX, 11: *Lavat in vino vestimentum suum, et in succo uvarum operimentum suum.* Vbi per vestimentum et operimentum corpus, et per vinum succumque uvarum, sanguinem ex latere in corpus profluentem intelligit *Theodoretus* Dial. primo. Vestimentum autem et templum Divinitatis eodem modo et eodem sensu hic accipi, aliquoties monitum iam est. Eo igitur, ex hac sententia, referenda etiam erunt verba Messiae Prophetica, apud Ies. LXIII, 2, 3. Valde idcirco etiam idem *Theodoretus* probat *Gregorii Nyssenì* expositionem loci Proverb. IX, 1, de quo sic scripserat contra Eunomium: *Φαμὲν τοίνυν, ὅτι ἐν μὲν τοῖς πρὸ τούτου λόγοις, εἰπὼν τὴν σοφίαν ᾠκοδομηκέναι ἑαυτῇ οἶκον, τὴν τῆς σαρκὸς τοῦ* Κυρίου *κατασκευὴν τῷ* Λόγῳ *αἰνίττεται, οὐ γὰρ ἐν ἀλλοτρίῳ οἰκοδομήματι ἡ ἀληθινὴ σοφία κατῴκησεν, ἀλλ' ἑαυτῇ τὸ οἰκητήριον ἐκ τοῦ παρθενικοῦ σώματος ἐδομήσατο, dicimus igitur* (Salomonem) *cum in superioribus dixisset, sapientiam sibi ipsam fabricasse domum, subinnuisse carnem Dominicam adaptatam Deo Verbo. Non enim in alieno domicilio habitavit vera sapientia, sed sibi ipsa habitaculum ex corpore virginis construxit.*

Taceo nunc iam alia, quae ex Sacris Testamenti Veteris voluminibus adferri hunc in finem potuissent, aut reapse a *Nestorianis* allata sunt. Propero ad alia Novi Foederis loca clariora, et extra omnem controversiam posita. Agmen inter illa ducit locus Ioh. I, 14, ubi primò traditur incarnationis mysterium, *ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, Verbum caro factum est*: et mox illa in-

incarnatio per inhabitationem explicatur, *καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν*, *et habitavit in nobis*, in noſtra humana natura. Ipſe *Apollinaris* in Catena ad h. l. edita, et alii quidam veterum, conſentientibus multis recentioribus interpretibus, ſic verba haec accipiunt, tamquam ſenſus eſſet: *et commoratus est Deus Verbum inter homines.* Sed tum profecto videtur perire emphaſis illorum verborum, et totius connexionis. Non dubito, quin Iohannes de Divinitate dixerit *ἐσκήνωσεν*, eodem plane modo, quo *Porphyrius*, ſupra laudatus, de anima dixit: *οὐκ ἐν μόνῳ τῷ ἀνθρώπῳ κατεσκήνωσεν*, *non in ſolis hominibus habitat.* Sic, exceptis paucis quibusdam, veteres fere ad unum omnes ceperunt verba Iohannis. Ita ipſe *Cyrillus* ſaepius, & alii, qui *ἐν ἡμῖν* interpretantur *ἐν ἡμετέρᾳ φύσει*, *in noſtra natura.* Vide Excerpta *Photii* ex Eulogio p. 441. Sic ex Graecis exponunt *Chryſoſtomus*, *Flavianus* Antiochenus, *Gelaſius* Caeſareënſis, qui duo poſtremi a *Theodoreto* etiam in Dialogo primo adducuntur in teſtimonium, ex Latinis vero *Ambroſius* apud eumdem *Theodoretum*, *Iulius* Epiſcopus Romanus, in Epiſtola ad (*q*) Docium, *Leo* Magnus Serm. XXIX c. 3. Sine dubio *Neſtoriani*, in cauſa ſua, auctoritatem adeo inſignem non neglex-

(*q*) Ita a *du Pinio* et aliis pasſim epiſtolam hanc nuncupari video. In Actis Concilii Epheſini col. 510. in quibusdam codicibus legitur *πρὸς Δόκιμον*, correctiores habent *πρὸς Δόκιον*. Sed *Facundus Hermianenſis* legerat in ſuis codicibus *πρὸς Προσδόκιον*, quam puto veriorem eſſe ſcripturam, Lib. I. p. 40: *Cum in eadem ſancta Synodo Epheſina, hoc ſolum ipſius Beati Iulii contra Neſtorium recitatum fuerit ex Epiſtola ad Proſdocium.* Librarii priorem ſyllabam in Προσδόκιος putarunt eſſe repetitionem praecedentis praepoſitionis [*].

[*] Non diſſentit *M. le Quien* in Diſſertatione Damascenica I. § 4.

glexerunt. In Actis Concilii Ephesini col. 522, haec ex *Nestorii* scriptis afferuntur, quae et leguntur in Sermone III. apud *Marium Mercat.* T. II p. 15, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, τουτέςι, ἡμετέραν φύσιν ἐνεδύσατο, *habitavit in nobis, hoc est, nostram induit naturam. Theodoretus* in illo, quem saepius iam laudavi, Dialogo primo [*] p. 28, haec, ut solet, eleganter sic παραφράζει, et scopo suo accommodat, εἰπὼν γὰρ, ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἐπήγαγε, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, τουτέςιν, ἐν ἡμῖν σκηνώσας, καὶ οἷον τινι ναῷ χρησάμενος τῇ ἐξ ἡμῶν ληφθείσῃ σαρκὶ, λέγεται γεγενῆσθαι σὰρξ, *nam postquam dixerat: Verbum caro factum est, subdit: et habitavit in nobis, hoc est, habitans in nobis, et carne, quam ex nobis assumsit, ceu templo utens, dicitur factus esse caro. Theodoretus* igitur τὸ *habitare in nobis* exponit, naturam nostram humanam in templum perpetuo habitandum assumere. Qua in re habuit praeeuntem *Flavianum*, Antiochiae Episcopum, cuius haec verba aliquanto post [p. 46] laudat, ὁ Λόγος, φησὶ, σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, οὐκ εἰς σάρκα μεταβέβληται, οὐδὲ ἀπέςη τοῦ εἶναι Θεὸς, ἀλλ' ἐκεῖνο μὲν ἦν ἀϊδίως, τοῦτο δὲ γέγονεν οἰκονομικῶς, αὐτὸς οἰκοδομήσας τὸν ἑαυτοῦ ναὸν, καὶ ἐνοικήσας τῷ παθητῷ γεννήματι, *Verbum, inquit, caro factum est, et habitavit in nobis. Non* (ait) *in carnem conversum est, aut Deus esse destitit, verum hoc quidem erat ab aeterno, illud vero factum est iuxta oeconomiam, quando ipse sibi templum suum aedificavit, et fabricam hanc passionibus obnoxiam inhabitavit.*

Loco huic Iohanneo, quem merito in causa sua *Nestoriani* vocare poterant classicum, iungendus est alter divi Pauli ad Colosf. II. 9. Ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος σωματικῶς, *in eo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

Vbi

[*] Tom. IV p. 40, 41 edit. Schulzii.

Vbi unionem duarum naturarum in Christo Paulus exprimit per ἐνοίκησιν, inhabitationem Deitatis, ut adeo natura humana ex mente Pauli templum existimandum sit, a Deitate Christi inhabitatum, et quidem σωματικῶς. Veteres orthodoxi (r) τὸ σωματικῶς fere omnes interpretantur οὐσιωδῶς, i. e. Divinam naturam in Christo habitasse substantialiter; non male, si sensum eorum intuearis. Ipse vero Apostolus versu 17. optime se explicat, inquiens, ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *quae omnia umbra sunt futurorum, corpus vero in Christo quaerendum.* Nec ambigi potest, quin Paulus respexerit ad maiestatem Divinam, Hebraeis ab inhabitando שכינה dictam, quae, stante tabernaculo et templo Salomonis, in nube super propitiatorium hoc certe erat Divinae praesentiae symbolum, sed tamen σκιὰ erat, et eius respectu Divinitas in Christo inhabitat σωματικῶς, eidem realiter, inseparabiliter, ac personaliter arctissime iuncta.

Non raro etiam in *Nestorianorum* disputationibus afferuntur verba Christi Ioh. II, 19, *solvite templum hoc*, ad probandum huius phraseos usum, quoniam ibi vocabulum templi αὐτολεξεὶ occurrit. Verum eo in loco malim cum Apollinaristis per templum, non totam humanam Christi naturam, sed corpus tantum intelligere. Sic enim ipse Apostolus explicat versu 21. Et praeterea, quidquid hic argutentur *Nestoriani* (vide dicta § 8.), mens Christi extendenda non est ultra, quam metaphora permittit. Templum dicitur dissolvi, non quando ab inhabitante Numine derelinquitur, sed quando aedificium corruit, et structura perit. Id igitur Christus vocat templum, phrasi perquam apta et familiari, quod destrui poterat,

(r) *Paulus Emesenus* in Homilia Alexandriae habita, in Actis Concilii Ephesini col. 1098, sic interpretatur σωματικῶς, τουτέστιν ὡς ἐν ἰδίῳ σώματι, ingeniose profecto,

rat, nempe corpus. Et (liceat nobis sic loqui) etiamsi Christi naturae humanae unita non fuisset Divinitas, recte tamen corpus suum templum nuncupasset.

§ 12.

Multum sic profecisse *Nestorianos* vidimus, quando hanc suspectam orthodoxis locutionem, non modo a sanctis Patribus, verum et a scriptoribus Θεοπνεύστοις se accepisse gloriari potuerunt. Accedit nunc etiam ratio, ob quam haec locutio magis, quam alia, in isto negotio ipsis perplacuerit, eaque adeo non improbanda, ut orthodoxorum antesignanos etiam ad phrasin eamdem utiliter adhibendam, nonnumquam compulerit. Error, in quem Apollinaristae inciderant, qui unicam tantum in Christo statuebant naturam ex corpore humano et mente Divina conflatam, *Nestorianis* ita ob oculos versabatur, tantum portendere periculum, tam metuendus videbatur, ut nihil in hoc incarnationis mysterio tradendo aeque observandum, et serio inculcandum magis censerent, quam naturarum in Christo diversitatem. Et hunc usum praestabat iis haec locutio scripturaria, ac propterea, ut existimabant, omni cavillatione omnique reprehensione maior. Non suis, sed ipsius Christi et Apostolorum armis pugnare videri volebant, et istius modi tamen armis, quae cavillationes et errores adversariorum ad vivum resecarent. Quam quidem fuisse intentionem suam, ipse *Nestorius* Sermone I. apud *Marium Mercat.* p. 5. sic declaravit: *Divido naturas, sed coniungo reverentiam*, quae apud veteres in hac caussa saepe producuntur verba. Et hoc non modo involvit illa comparatio naturae Christi humanae cum templo Deitatis, sed ipsi quoque hanc consequentiam omni occasione palam inde de-

deducebant, omniumque oculis exponebant. Obſervat hoc *Facundus Hermian.* L. VI c. IV p. 246: *Cui enim potest catholico displicere differentia naturalis inter templum et inhabitantem in eo, cum ecclesia Dei ſic confiteatur, Verbum carnem factum, ut non deneget, quod ibi ſubiunctum est, quia et habitavit in nobis?* et mox: *ideo Verbum caro factum est, Neſtorianos expugnat: Eutychianos autem, vel Apollinariſtas eorum progenitores, et habitavit in nobis: duas manifeſte dicit naturas. Non enim posſunt esſe duae perſonae, quando is, qui Verbum est, ipſe etiam factus est caro: aut duae non esſe naturae, quando aliud ſit, quod inhabitat, et aliud, quod inhabitatur.* Vide et omnino eumdem *Facundum* L. VII c. VII p. 303 et 304. Poſtrema autem illa in loco prolato verba: *quando aliud ſit, quod inhabitat, et aliud, quod inhabitatur*, ſunt conſequens, quod pro naturarum in Chriſto diverſitate ex hac phraſi ſcripturaria deducere ſemper ſolent *Neſtoriani.* Sic *Theodorus* de Incarnatione adverſus Apollinariſtas, apud *Facundum* L. IX p. 403: *Si utique, quod dictum est, Verbum caro factum est, quomodo inhabitavit ſuſcipiendum est? Palam enim est omnibus, quia quod inhabitat alius est, quam quod inhabitatur.* Ipſe *Neſtorius* Serm. IV c. X: *Alius quidem Deus Verbum est, qui erat in templo, quod operatus est Spiritus Sanctus, et aliud templum praeter habitantem Deum. Templi est morte disſolvi, inhabitantis autem templum, id ut reſuſcitet, proprium est: Non hic meus ſermo, ſed vox Domini: ſolvite, inquit, templum hoc, et in triduo reſuſcitabo illud. Theodoreti* ſimilia verba vidimus iam § 9. Addamus unicum locum *Pauli Emeſeni*, qui certe erat Crypto-Neſtorianus, quique phraſes magiſtrorum ſuorum, ingenio ſuo et arte perpolitas, omnique ambigua ruditate liberatas, ſub habitu orthodoxo

in scenam protrahere norat, felicior ea in re et cautior *Nestorio*, ex Homilia eius pro merito celeberrima, quam (s) habuit Alexandriae: *Addit Iohannes: et habitavit in nobis. Posterius prioris explanatio est. Nam quid est: Verbum caro factum est, nisi quod habitarit in nobis, h. e. in nostra natura? Adverte etiam Iohannem, duas naturas praedicantem, unum autem Filium*, ἕτερον σκηνὴ, καὶ ἕτερον τὸ σκηνοῦν, ἕτερον ναὸς, καὶ ἕτερον ὁ ἐνοικῶν Θεός, *aliud enim est habitaculum, et aliud, quod inhabitat: aliud templum, et aliud, qui in templo degit, Deus.* Cumque hoc consequens orthodoxis esset suspectum, et Nestorianismum saperet, mox sic illud emollivit: *Attende, quid dicatur. Non dixi, alius et alius, veluti de duabus personis, aut duobus Christis, aut duobus Filiis, sed aliud et aliud, tamquam de duabus naturis.* Quamvis re vera *Nestorius* ipse locutiones suas sic explicuisset, minus tamen perspicue et evolute. Vid. eius Sermon. XII c. XIX. apud *Marium Mercat.* p. 88. Res ipsa haec culpari non potest: nihil enim certius, nihil S. Scripturae aut rationi convenientius est, quam ut duae naturae in Christo distinguantur, ita ut aliud plane naturâ suâ humanitas, aliud sit Divinitas, neque illae possint in unam naturam commisceri, eaedem vero duae naturae, adeo a se diversae, arctissimo vinculo in unam personam uniantur. Quia tamen plus portendere orthodoxis videbatur haec *Nestorianorum* phraseos huius cum suo consequenti affectata ostentatio, et non tantum naturas dividere, verum et duas personas constituere, eo factum est, ut phrasis in se innocens et scripturaria, ob causam bonam et veram adhibita, *Nestorianismi*, i. e. haereseos argueretur. Omnem hanc accusationem in pauca contra-

(s) In Actis Concil. Ephes. col. 1101.

trahit *Mich. le Quien* in Dissertatione IV Damasceni-ca p. LXI. b: *Vnde Patribus Quintae Synodi displicuit etiam, quod Ibas Edessenus, in Epistola ad Marim, repetere amaverit, Christum esse Dei Verbi templum*, ὃν ναὸν ἀποκαλεῖ. *Haec enim locutio, ut antea dicebam, Nestorianorum veluti symbolum ac tessera fuit, propter illa Domini verba: solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Ex quibus, post Theodorum suum, praetexebant, aliam esse templi naturam, et aliam habitantis in templo, aliam item soluti templi, et aliam eius, qui solutum excitavit.* Sic *Nestorianis* vitio vertitur, quod orthodoxis defendendum est, quodque tenaciter defendere contra Apollinaristas et Eutychianos solent. Atro igitur calculo notandus etiam erat *Chrysostomus*, qui idem quoque consequens e verbis Ioh. I. 14 profluere vidit, et visum emphatice exposuit (*t*) his verbis, Τί ἐϛιν τὸ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Τὸ σκηνοῦν οὐ ταυτὸν ἂν εἴη τῇ σκηνῇ, ἀλλ' ἕτερον ἐν ἑτέρῳ σκηνοῖ. Τουτέϛιν ὁ Θεὸς Λόγος ἐσαρκώθη καὶ ἑνώθη σαρκί. ἕτερον δὲ κατὰ τὴν οὐσίαν φαμέν. Τῇ γὰρ ἑνώσει καὶ τῇ συναφείᾳ εἷς ἐϛιν ὁ Θεὸς Λόγος καὶ ἡ σάρξ, οὐ συγχύσεως

(*t*) Excerpsi haec ex Catena Patrum in Iohannem MSS. optimae notae et octingentorum circiter annorum codice, cuius copiam mihi fecit, cum apud nos moraretur, vir humanissimus, cuius iam semel feci mentionem, *Damianus Parascenas* Sinopensis. Eadem verba, quae Patres Chalcedonenses memoratu digna iudicarunt, reperi citata quoque in Actis illius Concilii Tom. IV col. 830. fin., paucis tamen quibusdam immutatis. Ego hic dedi lectionem codicis MSS. [*].

[*] Exstant in editione *Chrysostomi* Montfauconiana tom. VIII p. 64, sed cum aliqua lectionis varietate.

σεως γενομένης, οὐδὲ ἀφανισμοῦ τῶν οὐσιῶν, ἀλλ' ἑνώσεως τινος ἀῤῥήτου καὶ ἀφράστου, καὶ ἣν μόνος οἶδεν ὁ αὐτός. Hoc est: *Quid est hoc: habitavit in nobis? id quod inhabitat, et tabernaculum, non ſunt unum idemque. Verum aliud in alio habitat. Hoc est, Deus Verbum caro factus et carni unitus est. Aliud autem quando dicimus, hoc intelligimus reſpectu naturae. Si enim unionem et coniunctionem ſpectes, unus est Deus Verbum et caro, nulla facta confuſione, aut disparentia naturarum, ſed per unionem ineffabilem et inenarrabilem, et quam ſolus ipſe novit.* Cuiuspiam *Neſtoriani* dicerentur haec verba, niſi esſe *Chryſoſtomi* ſciremus ex teſtimonio DXXXC Patrum Chalcedone congregatorum. Sed quid ad *Chryſoſtomum* provoco? cum ipſum videamus ſic loquentem *Cyrillum* in Scholiis de Incarnat. c. XXV, apud *Mercatorem* p. 237, Νοεῖται γὰρ πάντως ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ τὸ κατοικοῦν, τουτέστιν, ἡ Θεία φύσις ἐν ἀνθρωπότητι. Τὸ γὰρ ἐνοικεῖν ἑτέρῳ λεγόμενον, οὐκ αὐτὸ γέγονεν, ὅπερ ἐστι τοῦτο, ἐν ᾧ κατοικεῖ· νοεῖται δὲ μᾶλλον ἕτερον ἐν ἑτέρῳ, *intelligitur namque certe, tamquam aliud in alio inhabitare, id est, Divina natura in humanitate. Quidquid enim in alio habitare dicitur, non ipſum fit tale, quale est id, in quo habitat, ſed aliud in alio magis intelligitur* (*u*). Hactenus igitur non male *Neſtoriani*, cum et verbis S. Scripturae conceptam ſententiam ſuam exhiberent, et cauſam, ob quam locutioni huic ipſi, eiusque necesſario conſequenti, mordicus inſiſterent, haberent

(*u*) Vide et *Cyrilli* locum memorabilem ex Lib. II Comment. in Matthaeum, apud *Facundum* p. 501, 502, coll. p. 583, et locum alium, quem ipſe *Hoffmann's* citavit p. 43. *Cyrillo* iungendus est *Proclus* in Homilia Conſtantinopoli habita § II et III, in Actis Concilii Epheſini col. 12.

rent optimam certe et maximi momenti, cum praeterea ipsi orthodoxi hac in re aut viam ipsis ostenderent, aut eorum premerent vestigia.

§ 13.

Attamen non obstantibus eis, quae dixi, locutio haec *Nestorianorum* et eius consequentia, seu potius propter consequentiam ipsa locutio, ab orthodoxis reiecta et condemnata veluti fuit. *Cyrillus* certe factionis anti-Nestorianae dux atque caput, locutionem hanc, aut saltem frequentiorem eius usum et quasi ostentationem, sub qua monstrum ali suspicabatur, concoquere plane non potuit, et indignationem suam non uno loco testatus fuit. Ei itaque opposuit Anathematismum v: *Si quis dicere audet, Christum* Θεοφόρον ἄνθρωπον *hominem Deiferum* (i. e. qui in natura humana ceu in templo Deum gerat habitantem) *Anathema sit*; et Anathematismum xi: *Si quis Domini carnem vivificam ipsiusque Verbi, quod ex Deo Patre est, propriam esse negaverit, sed veluti alterius cuiusdam, ipsi Verbo secundum dignitatem coniuncti, aut quasi Divinam tantum inhabitationem sortiti*, ὡς μόνην Θείαν ἐνοίκησιν ἐσχηκότος, *Anathema sit.* Satis clare etiam mentem suam nobis explicat in Scholiis de Incarnatione apud *Marium Mercat.* T. II p. 233: *Homo igitur factus est vere is, per quem fecit et secula Deus Pater; et* non, *ut nonnulli existimant*, in homine *fuit*, *ut homo intelligatur a nobis tamquam Deum habens inhabitantem. Nam si haec recte se habere vere confidunt, supervacaneus esse videbitur beatus Evangelista Iohannes dicens: Et Verbum caro factum est.* Quid post haec opus est, plura ex *Cyrillo* adferre? Liceat autem mihi parallelismum quemdam inter *Nestorium* et *Cyril-*

 lum

lum inſtituere. Latent in his verbis quaedam non mala, et ea in § 16 a me evolventur, ſed fatendum tamen est, ea verbis, niſi crudis, certe obſcuris elata esſe. Et quis tamdem non intelligat, hominem, aut, ut clarius loquar, humanam Christi naturam, habuisſe Deum inhabitantem? ant ſi id vitio cuipiam verti debet, culpa est penes divum Iohannem, qui totidem verbis id affirmat. Similiter plane mens *Nestorii* in plerisque erat bona. Quare igitur, ſi *Cyrillo* condonatur, quod nonnumquam incaute ſententiam in ſe veram protulerit, quare, inquam, *Nestorius* ob ſimilem imprudentiam, aut ob ſimilem infelicitatem expresſionis, erat deponendus, et ab Eccleſia cum omnibus asſeclis, dicto etiam Anathemate, ſegregandus? Rectius aliquanto, ſaltem contra errorem, qui *Nestorio* affingitur, *Damascenus* disputat, contra Neſtorianos c. LXXXVI. (ſequor nunc citationem *Euthymii* Tit. XV p. 588.): *Qui vero Christum ſapientia et gratia ita dicunt profeciſſe, ut eorum augmenta acceperit, ii Neſtorium vanum hominem ſecuti, illi unionem* (v) *per habitum* καὶ ψιλὴν ἐνοίκησιν, *et nudam inhabitationem, confingunt.* Vidit *Damascenus*, qui aetatem ſuam in his controverſiis triverat, inhabitationis locutionem non posſe culpari, quae ipſi Spiritui Sancto in Verbo Dei debetur; ſed et recte obſervavit, *ſolam inhabitationem* non (x) ſufficere, quod unice in *Neſtorianis*, et in illorum huius phraſeos uſu, cul-

(v) In Edit. Lugd. 1577. in 8vo editum est *per habitum*, qui ſine dubio est error operarum. Sed tamen ne ſic quidem recte locus redditus est. Graeca ſonant σχετικὴν ἕνωσιν, quod reddendum erat, *unionem mere relativam.*

(x) Sic etiam aperte *Cyrillus* in Epiſtola ad Monachos Aegyptios, in Actis Concilii Epheſini col. 32.

culpari poterat. In *Epiſtola* III. ad Neſtorium *Cyrillus* mentem ſuam et clare et bene exprimit his verbis, Ἀλλ' οὐδ' ἐκεῖνο φαμὲν, ὅτι κατῴκησεν ὁ ἐκ Θεοῦ Λόγος, ὡς ἐν ἀνθρώπῳ κοινῷ, τῷ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου γεγεννημένῳ, ἵνα μὴ Θεοφόρος ἄνθρωπος νοεῖτο Χριςός. *Mario Mercatore* interprete. „ Sed nec „ illud dicimus, quod Dei Verbum veluti in ho„ mine communi, qui de ſancta virgine natus est, „ habitarit, ne Deum homo Christus habitatorem „ posſidere credatur, " et paucis interiectis, ἀλλ' οὐ ἐννοοῦμεν, ὅτι γενόμενος σάρξ, οὐχ' ὥσπερ ἐν τοῖς ἁγίοις κατοικῆσαι λέγεται κατὰ τὸν ἴσον καὶ ἐν αὐτῷ τρόπον γενέσθαι διοριζόμεθα τὴν κατοίκησιν· ἀλλ' ἑνωθεὶς κατὰ φύσιν, καὶ οὐκ εἰς σάρκα τραπεὶς, τοιαύτην ἐποιήσατο τὴν κατοίκησιν, ἣν ἂν ἔχειν λέγοιτο καὶ ἡ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ πρὸς τὸ ἴδιον ἑαυτῆς σῶμα, interprete *Mario Mercatore*, „ haud intelli„ gimus, quod caro factus, ſicut in ſanctis habi„ tare dicatur, nec talem in ipſo habitationem fa„ ctam definire tentavimus; ſed unitus juxta natu„ ram, nec in carnem penitus commutatus, talem „ ſibi fecit habitationem, qualem et anima hominis „ habere creditur ad proprium corpus." Interrecentiores, ne aliorum mentionem faciam, *Ioh. Garnerius*, eruditus ſocietatis Loyoliticae ſocius, cui ob erutum et vindicatum e tenebris *Marium Mercatorem*, auctorem eo usque vix nomine notum, gratias debent eruditi plurimas, locutionem hanc astutiae et malae menti *Neſtorianorum* tribuit. Omnes vero accuſationes ad haec quatuor capita redigit, notis in *Marium Mercat.* Tom. II p. 12: *Cur humanitatem Christi frequentius appellet Neſtorius templum, quam alio quocumque nomine, non una cauſa est. Hoc enim nomen haereſi suae explicandae accommodatius ſentiebat. Nam primo, reiici non potuit, ſiquidem eodem uſus ſit Christus;*

ſol-

ſolvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis ſui. (Ioh. II 19. 21.) *Deinde, aptum erat, ad ſignificandum unionis modum, quem volebant esſe* puram *ἐνοίκησιν, Deus enim templum inhabitat. Tertio, videbatur idoneum ad explicandam σχετικὴν ἕνωσιν, qua fieret, ut una veneratione Verbum et homo colerentur, una quippe religione Deus et templum colitur. Quarto, exprimebat locus Iohannis, ut ipſi quidem Neſtoriani putabant, et diſtinctionem naturarum et inoperationem alterius in altera, etſi nulla esſet ἕνωσις καθ' ὑπόςασιν.* Aliorum tam veterun, quam recentiorum de hac *Neſtorionorum* phaſi iudlcia vidimus, de quibus quid ſentiendum ſit unius cujusque arbitrio lubentisſime relinquo. Poſtulat iam res et ordo, quem mihi praeſcripſi, ut, quid mihi penſitatis omnibus rite momentis hic videatur, ſubnectam.

§ 14.

Quid boni in ſe habeat illa humanae Christi nature cum templo comparatio, expoſitum iam est. Oſtendi enim, illam et S. Scripturae auctoritati, et uſui Patrum orthodoxorum magnique nominis, ac denique rationi haud inficiandae esſe ſuperſtructam. Verum id tamen fatendum penitus est, locutionem hanc modum unionis duarum in Christo naturarum non accurate et ſufficlenter exprimere. Illuſtrat qnidem incarnationis myſterium, et crasſos quosdam confuſionis et converſionis duarum naturarum conceptus in mente noſtra praeſcindit, ſicque viam quaſi ſternit aptis et dignioribus hoc myſterio cogitationibus; ſed non ſufficit, non enim tam ſuggerit, quid ſit incarnatio, quam potius docet quid non ſit. Quamobrem qui ubique hanc locu-

locutionem in ore habebant, qui per illam incarnationis mysterium explicabant, videri poterant rationem et vim intimam huius mysterii et unionis hypostaticae diminuere. Nec quis vero mihi obiiciat auctoritatem S. Scripturae. Saepe enim testatus sum, locutionem in se esse optimam et emphaticam. Verum Scriptura utitur et aliis istiusmodi figuratis et emblematicis locutionibus, quae in se verissimae sunt, et, in uno aliquo tertio, mysterio incarnationis quam optime applicari possunt, sed quae tamen ultra scopum dicentis extendendae non sunt, quaeque non omnia attributa rei, de qua sermo est, complectuntur. Sic caro Christi etiam vocatur *velamen*, *stola*, et *vestimentum*, quae profecto comparationes vim huius mysterii non exhauriunt. Nam alia est relatio inter vestem et hominem, qui veste induitur, et alia est relatio, alia unio inter humanitatem Christi et eius Divinitatem. Quare etiamsi certo sensu eoque plane egregio, humanitas Christi velamen Divinitatis dici potest, nemo tamen asseverabit, per hanc comparationem modum unionis, quae inter utramque naturam intercedit, exprimi, quod pluribus ostendere inutile duco. Praeterea multiplex est inhabitationis modus. Alio modo quis habitat in domo sua, ex qua, cum visum ipsi est, egreditur, quam pro lubitu mutat; alio modo Deus inhabitat templum, ubi tantum symbola praesentiae suae exhibet, vid. Act. Ap. XVII, 24, quo respicit etiam Paulus, quando Colloss. II, 9 ait, Divinitatem non sic in Christo habitare, sed corporaliter; alio modo anima nostra inhabitat corpus. Quod postremum etsi recte dicatur, certum tamen est, hanc inhabitationis comparationem, modum unionis, quae animam nostram cum corpore suo constringit, haudquaquam exprimere. Eodem modo, praeeunte S. Scriptura, recte dicitur, Divinitatem Christi habi-

bi-

bitasse in humana eiusdem natura, dummodo haec locutio nobis non obtrudatur ceu exprimens et definiens modum unionis. Atque id ipsum dicere, nisi fallor, voluit *Cyrillus* de Incarnat. c. XIII. verbis, quae nimium prolixa apud ipsum auctorem, si operae pretium videbitur, legi poterunt. Videor autem mihi audire, Paulum ad Colosf. II, 9. modum unionis per inhabitationem definire. Fateor, Paulum dicere, Deitatem Christi in eius humana natura habitasse: verum nemo certe, qui ad connexionem rerum animum suum appulerit, asseret, eo loco Paulum incarnationis doctrinam tradere, et modum unionis definire. Comparationem instituit inter veterem et novam foederis Dei oeconomiam. Concedit sub veteri oeconomia aliquamdiu Maiestatem Divinam in templo habitasse, quemadmodum etiam, uti iam monuimus, ab inhabitando שכינה dicta fuit. Huic vero Schechinae opponit Divinitatem in Christo sub nova oeconomia etiam habitantem, sed cum hac praerogativa, quod Divinitas Christo inseparabiliter, realiter et personaliter iuncta sit. Emphasis igitur Apostoli non in voce κατοικεῖν quaerenda est, quippe quam accommodat rei illi, de qua loquitur, Schechinae, eamque sic Christo applicat, sed emphasis sita est in τῷ σωματικῶς. Docet enim Paulus, praesentiam illam Divinitatis, quam in Christo veneramur, non esse praesentiam symbolicam, qualis erat praesentia Dei in tabernaculo et in templo Salomonis super Arcam Foederis, sed veram praesentiam, realem et hypostaticam. Habitatio convenit et praesentiae symbolicae, at habitatio σωματικὴ non potest praedicari nisi de praesentia reali. At dices, saltem divus Iohannes, in Euangelio c. I. 14, unionem duarum in Christo naturarum per inhabitationem definivit, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *habitavit Deus in nostra natura.* Diffiteri non

non posſum, divum Apoſtolum in illo loco myſterium incarnationis enucleate explicare. Sed verba illa *habitavit in nobis*, a praecedentibus: *Verbum caro factum est*, ſegreganda non ſunt. Alioquin priora verba, *Verbum caro factum est*, posſent plus, poſteriora verba, *habitavit in nobis*, posſent minus iuſto nobis in mentem ingerere. Priora enim verba posſent confuſionem quamdam et converſionem naturarum innuere: *Verbum caro factum est*; poſteriora verba: *habitavit in nobis*, posſent unionem quamdam ſimpliciter παραςατικὴν nobis repraeſentare: idcirco utrumque coniungendum, et unum per alterum explicandum est. Deus Verbum factus est caro, ſed ſic factus est caro, ut in carne illa, quae alius prorſus naturae est et manet, habitaverit: verum et ſic habitavit in carne vel in humana natura, ut ipſe homo factus esſe dici posſit, ut duae illae naturae conſtituant unum ſubiectum omnium operationum et pasſionum. Hic igitur locus Iohanneus fundamentum est quatuor illarum vocum, quibus modum unionis deſcribere et definire voluit Concilium Chalcedonenſe. Quia enim Verbum caro factum est, hinc intelligitur unio facta fuisſe ἀχωρίςως et ἀδιαιρέτως, quia autem Verbum in carne habitavit, intelligitur rurſus, eamdem unionem factam fuisſe ἀσυγχύτως et ἀτρέπτως.

§ 15.

Vt vero defectum et inſufficientiam phraſeos huius *Neſtorianae*, in explicando unionis duarum naturarum Christi modo, clarius videamus et asſequamur, inutile non erit, in antecesſum monere, duplicem posſe esſe duarum naturarum diverſarum unitionem, vel cohabitationem, vel inhabitationem, quarum alteram quidem vocare licet παραςατικὴν, vel

cum

cum aliis Theologis παραθετικὴν, alteram vero ὑποϛατικήν. Vnitio παραϛατικὴ, quasi dicas *unitionem assistentiae*, illa intelligenda est, quando natura aliqua potentior inferiori se ad certum aliquod tempus et ad certum quemdam finem unit et adiungit. Talis erat unio Spiritus Sancti cum Prophetis; Spiritus enim Sanctus Prophetas agebat, inspirabat, ipsis ceu instrumentis suis aliquamdiu usus, per illos locutus et operatus fuit, quod etiam inhabitatio Spiritus Sancti in sacro volumine dicitur. Ita etiam homines a daemone obsessi habent cum ipso unionem παραϛατικὴν, ipsis enim daemon ceu instrumentis suis utitur, et in illos ac per illos operatur. Et talem principio, si credimus *Mario Mercatori*, unionem duarum in Christo naturarum sibi Apollinaris finxit. Locnm eius huc transscribere tanto minus pigebit, quod, observante *Garnerio*, cuius observatio nonnihil persitanda est, solus est *Mercator*, qui rem hanc memoriae prodiderit. In Contradictionibus ad *Nestorii* Anathematismos T. II. Opp. p. 129 sic inquit *Mercator*: *Angelos ergo, quos frequenter et diversis temporibus ad sanctos quosque missos esse, sicut legimus, credimus quoque, ut his, ad quos missi sunt, possent esse visibiles, humanum habitum gessisse*, sumtis corporibus, *certum est. Sed utrum tantum corpora ab his suscepta sint, in quibus illi spiritus pro tempore habitando, animarum rationalium ministerium impleverint, an animata corpora, vatum more, extrinsecus inspiraverint, non est facile et temere horum aliquid affirmanduu. Quae praesumta incerta tamquam certa, et Scriptura minime expressa opinio*, Apollinarium *Laodicenum, et postea Arianos* (*non autem ipsum* Arium) *et* Eunomium *quoque, et ultimum* Macedonium *forte decepit, ut hinc sentirent et pronunciarent, Christum Dei Filium corpus tantum

tum hominis, non etiam animam suscepisse, pro anima autem Dei Filium, Verbum Patris, in illo corpore habitasse. In istiusmodi vero unione parastatica, duae naturae non unum sic constituunt subiectum, ut ei utriusque naturae actiones et operationes ex aequo competant. Nam quae in possesso agit spiritus malus, illa homini tribui non possunt, et vicissim, quae agit homo naturae suae convenienter, et suo instinctu, in eorum societatem daemon haudquaquam venit. Vnio vero *Hypostatica* est eiusmodi unio, per quam duae naturae conficiunt unam hypostasin, unumque subiectum omnium actionum et passionum utriusque naturae (*y*). Exemplum eius habemus in homine, etsi non adaequatum, et propterea a *Petavio* (*z*) aliisque (*a*) repu-

(*y*) Definitionem hanc meam sapere scholam *Bezae*, iudicant auctores der Unschuldige Nachrichten. Definitionem, quam dedit *Beza*, vide apud *Gerhardum* in loco de Persona Christi § 139 p. 1274, qui etiam alias definitiones exhibet § 132 p. 1268 et seq. Comparetur *Masson* Part. II Anat. p. 75. Meae definitioni favet ipse *Lutherus*. Vid. *Wincklerus* in Christol. p. 81, 93, 111, 128, coll. p. 165, ubi de Concilio Chalcedonensi.

(*z*) De Incarnat. L. III c. X. Certum est ceteroquin, simile hoc in plerisque valde esse accommodatum, neque exstare aliud, quod rem hanc aeque clare exprimat atque explicet. Quamobrem veteres frequenter admodum, ipseque *Athanasius* in Symbolo, hoc simili usi fuerunt. Vid. *Facundum Hermian.* L. IX c. 4. Usi sunt eodem exemplo *Gregorius Nazianzenus* in Epistola I ad Cledon., *Augustinus* in Enchiridio ad Laurentium cap. 36, Tom. III edit. Basil. p. 165, et *Cyrillus* Epistola III ad Nestorium c. 19 p. 75 coll. c. 11 p. 73 ed. Marii Mercatoris.

(*a*) De abusu similitudinis desumtae a natura hominis, constante anima et corpore, qui abusus praecipue in systemate Monophysitarum conspiciendus est, vide auctorem libri

pudiatum. Quaecumque agit vel anima vel corpus, ea omnia pariter homini tribuuntur, nam homo et corpus est et anima, est ſubiectum operationum et paſſionum utriusque naturae ſpiritualis et corporeae. Verum in unione duarum naturarum in Christo, hoc praeterea accedit, qua in re est diſſimilitudo huius ſimilis, ut, quando totum ſubiectum Θεάνθρωπος, ab una tantum natura, concretive denominatur, illi tamen tribuantur ea, quae alteri naturae ſunt propria. Sic quando Christus a Divinitate denominatur Deus, aut Dei Filius, potest tamen dici, et re vera dicitur pati atque mori. Et quando idem ab humanitate denominatur homo, aut filius hominis, illi homini tamen tribuitur potestas remittendi peccata, iudicium totius mundi, et alia eiusmodi, quae Divinitati propria ſunt. Secus ſe res habet in unione humani corporis et animae. Etiamſi enim rationi plane conveniens ſit dicere, hominem edere, quod tantum corporis est, et eum cogitare, quod nonniſi anima facit, nemo tamen ait, corpus cogitare, aut animam edere ac bibere. Cuius quidem diſcrepantiae rationem malim a lectore indagari, quam a me (*b*) explicari. Iam vero, ut ad *Neſtorianos* redeam, ſi unitio naturarum in Christo, non plus aut maius quid ſit, quam inhabitatio Divinitatis in homine

libri *de Suppoſito* [*] et *du Bernatium* dans les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. II Part. 2. p. 106, et Tom. III p. 202 ſqq.

(*b*) Viſum tamen iam mihi fuit hic addere, rationem huius discrepantiae in eo ſitam eſſe, quod utraque Chriſti

[*] Quo est accuratior in citandis plerisque libris *Jablonskius*, eo fit veriſimilior coniectura, quam ſupra p. 156 et 157 propoſui, ubi de libro longe rariſſimo eiusque ſcriptore.

mine Christo, tamquam in templo, certum est, illam unionem dicendam potius esse παραςατικὴν, quam ὑποςατικὴν, quod nunc rationibus quibusdam illustrabo et declarabo.

§ 16.

Primi argumenti loco sint nobis verba Iohannis Euangelistae c. I v. 14: *Verbum caro factum est.* Non sine causa orthodoxi haec verba urgebant, uti Nestoriani sequentia, *et habitavit in nobis.* Certum esse pono, his verbis tradi doctrinam de incarnatione, modumque unionis duarum naturarum, quod, quantum scio, nemo negavit, nec ut puto umquam negabit. Illae igitur comparationes, quae, ad mysterium incarnationis et modum unionis definiendum, et pro modulo intellectus nostri exhauriendum, con-

qui-

sti natura per se natura perfecta sit, cui itaque separatim tribui potest, quod universae Personae competit. Explicat hoc etiam *Petavius* L. III de Trinitate c. 3 § 12 et seqq. Homo ab una sui parte non solet denominari anima aut corpus; sed totus Christus solet ab una sui natura modo *Deus*, modo etiam *homo* denominari. Vid. quoque *Facundum Herm.* Lib. I p. 50, 51, Anonymum apud *Euthymium Zigabenum* Tit. VII fol. *x. θ.* a. b., quem puto esse *Johannem Damascenum.* Quando de hominis partibus *anima* et *corpore* loquor, intelligo *abstracte* in homine *naturam corpoream* et *spiritualem naturam.* Quando autem Christum appello *hominem*, intelligitur id non abstractive, sed concrete, nec quando Christum appello *Deum*, id quoque aliter quam concrete intelligitur. Conf. Anonymus [*I. T. Canzius*] de usu Philosophiae Leibnitianae in Theologia p. 330 in notis, et *Chemnitius* de duabus in Christo naturis c. v p. 26. Haec causa fuit, cur *Nestorius*, qui hoc applicabat ad *Christi* unionem, nollet dicere, *Deum* passum esse, *hominem* adorandum esse.

quiruutur, tales esse debent, ut eis omnia haec verba, quae incarnationem perfecte explicant, quadra'e posfint. Talis autem non est comparatio Dei inhabitantis templum. Illi enim quadrant quidem ultima verba, *habitavit in nobis*, sed non quadrant priora verba, *Verbum caro factum est*, quae duae tamen locutiones, ut monuimus, a se invicem disiungendae minime sunt. Quis enim de Deo, cum praesentia singularis suae gratiae templo adest, illudque inhabitat, dixerit: Deum factum esse templum? Aut si malunt nonnulli verba haec σὰρξ ἐγένετο sic interpretari: *Verbum caro fuit*, nihil sic lucrabuntur *Nestoriani*. Non magis enim dicere proprie licet: *Deus templum est*, vel *Deus templum fuit*. Et hoc in mente habuit *Cyrillus*, quando in Scholiis de Incarnatione, apud *Mercatorem* T. II. p. 233., in haec verba scripsit: *Homo igitur factus est vere is, per quem fecit et secula Deus Pater, et non, ut nonnulli existimant, in homine fuit, ut homo intelligatur a nobis, tamquam Deum habens inhabitantem. Nam si haec recte se habere, vere confidunt, supervacaneus esse videbitur B. Euangelista Iohannes, dicens: Et Verbum caro factum est.* Patebit hinc iam, si recte rationem inii, defectus istius locutionis, ad explicandam unionem (*c*).

II. Secundum argumentum depromtum est a natura unionis hypostaticae, quam quidem unionem *Nestorium*, etsi verbo sublatam, re ipsa tamen agnovisse, certissime probari potest. Quando enim non admisit, unionem factam esse κατ' οὐσίαν, vel, quod idem

(*c*) Vix opus est, ut dicatur, quo consilio scripserit auctor [*Souverain*] libri *le Platonisme devoilé* Part. I chap. 22 p. 289: *Quelque pouvoir qu'il* (Christ) *s'attribue, ce n'est pas la voix du Temple, mais de celuy, qui y habite.*

idem esse tum credebatur, καθ' ὑπόστασιν, vocibus his ipse alium plane sensum affinxit, quam tribuere solebant orthodoxi. Unionem enim, quae concipitur κατ' οὐσίαν vel καθ' ὑπόστασιν fieri, συνουσίωσιν, naturarum commixtionem et confusionem involvere sibi persuasit. Unio autem hypostatica est ea, per quam duae naturae sic uniuntur, ut constituant tertium (*d*) aliquod, subiectum omnium operationum et passionum utriusque naturae. Sic Christus est tertium, cui tribuuntur operationes et proprietates tam humanae, quam Divinae naturae, et eo modo homo est tertium, de quo praedicatur, quidquid aut animae, aut corpori peculiariter proprium est. Per inhabitationem autem in templo, talis unio non efficitur. Quodnam enim est tertium illud, de quo pari iure praedicari possit, et quod templo, et quod inhabitanti templum competit?

III. Tertio observari velim, si unio duarum naturarum inhabitatione absolvatur, nos eodem modo uniri cum Spiritu Sancto, quo humana Christi natura cum eius Divinitate unita fuit. Nam si unio duarum naturarum in Christo tantum in eo consistit, quod Divinitas in humanitate, ceu in templo, habitet, nos certe eodem modo cum Spiritu Sancto unimur, qui in nobis, ut templis suis, habitat. Emphatica sunt eam in rem Pauli verba 1 Cor. III, 16: *An*

(*d*) De hac locutione vid. *Masson* Anatom. Part. II cap. 5 p. 61. Non satis commode dici hoc *tertium*, alii monent. Conf. *Gerhardus* in Exegesi de Christo § 108 pag. 1228. Quidquid incommodi habere videtur, minime probatur. Vide verba *Danaei* apud *Fabricium* de Persona Christi p. m. 215, 116, et Leydenses in Synopsi Disput. XXV § 27 p. 320. Fortasse omnis invidia posset emolliri, addendo, *tertium* hoc esse *mente tantum, non realiter a naturis distinctum.*

An nescitis, vos esse templum Dei, et Spiritum Dei habitare in vobis? et 1 Cor. VI, 19: *An ignoratis, corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti, qui est in vobis, quem habetis a Deo?* At cui in mentem venire potest, unionem nostram cum Spiritu Sancto eiusmodi esse, cuiusmodi est unio humanitatis in Christo cum eiusdem Deitate? Et tamen utriusque generis unio in Sacra Scriptura inhabitatio vocatur. Hinc igitur manifestum est, in unione duarum Christi naturarum, praeter inhabitationem, maius et arctius unionis vinculum accedere. Fuit quidem aliquando ab orthodoxis *Theodoro* et *Nestorio* obiectum, ipsos unionem duarum in Christo naturarum talem concepisse, qualis intercedit inter Spiritum Sanctum et fideles. Etiamsi autem quaedam, inprimis *Theodori*, verba, ex connexione sua divulsa, accusationem hanc videantur confirmare, mihi tamen extra omne dubium positum est, eum de re adeo absurda non cogitasse, idque tmemate sequenti ipsius verbis, ut spero, abunde probatum dabo. Haec ceteroquin ratio, quam modo exposui, ob quam inhabitatio modum unionis exprimere non possit, adeo evidens est, adeo non potest non hac de re cogitanti sponte oboriri, ut ab omnibus fere veteribus, qui contra *Nestorium* exquisite disputare voluerunt, observata et in medium prolata fuerit. Saepissime hoc et ubique urget *Cyrillus*. Omnia vero sic contraxit *Iohannes Damascenus*, adversus Nestorianos tmem. XXIII p. 560, edit. novissimae doctissimi *le Quien: Si ob simplicem in homine inhabitationem, et relationis unitatem, Dei Verbum appellatur homo: igitur et Pater et Spiritus Sanctus homines appellentur. In nobis quippe per Spiritum Sanctum inhabitat plenitudo sanctae Trinitatis. Et sane sapientissimus Paulus ait: Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat*

bitat in vobis? Ipſe etiam Christus: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus. Atqui Pater nequicquam dictus est homo, neque Spiritus Sanctus, quia in nobis habitant: ergo nec Filius eadem de cauſa homo appellatur, ſed quia factus est homo, ſecundum ſubſtantiam.

IV. Quarto, hoc etiam *Neſtorianos* premere videtur incommodum, ſi unio duarum naturarum in Christo tantum in eo conſiſtit, quod caro facta fuerit templum Divinitatis, Christi Divinitas, non modo cum carne ſua, ſed et cum utero B. Virginis fuerit eodem modo unita. Namque Divinitas Christi non modo habitavit in carne asſumta, verum et in utero matris ſuae benedictae, qui propterea ſingulari cum emphaſi templum Christi dici potuit, et (*e*) ab ipſis etiam *Neſtorianis* ſic nuncupatus fuit; unde cum nollent, Mariam recte dici posſe Θεοτόκον, lubentisſime tamen eam vocabant Θεοδόχον, i. e. quae Deum ut hoſpitem apud ſe commoraturum ſuſceperit. Audiamus *Neſtorium* ipſum, ſic loquentem Sermone IV c. I. apud *Mercatorem* p. 26: *Amatores Christi populos, plauſus his conferre, qui pro B. Maria impendunt ſermonis officium, non est mirandum, hoc ipſum enim, quod templum facta est Dominicae carnis, excedit omne, quod est laude dignisſimum.* Dicit quidem *Neſtorius*, Mariam factam fuisſe templum *Carnis* Dominicae, ſed per id ipſum necesſario etiam fuit templum Divinitatis, quo-

(*e*) *Douein* Hiſt. du Neſtorianisme L. I p. 75: *Ce mot* Θεοδόχος *s'appliquoit également et à Marie et à Ieſus, d'autant que ſelon eux la ſein de la Mere, ausſi bien, que la ſubſtance du Fils a ſervi de temple au Verbe.*

quoniam illa, ab ipso conceptionis momento, cum carne indissolubili et arctissimo vinculo coniuncta fuit Quemadmodum igitur corpus Christi templum fuit et mentis rationalis humanae, et simul Deitatis, ita Maria templum fuit et carnis et Deitatis Christi. Iam itaque, quoniam Deitas Christi et in carne sua, et in corpore B. Virginis Mariae vere, ut in templo, habitavit, et immensa tamen intercedit inter duplicem hanc Dei Verbi, cum suo et cum corpore Mariae, unionem discrepantia, quivis intelligit, comparationem illam templi, ad incarnationem explicandam Verbi, minime suffecisse.

V. Quinimo, quod ultimo loco addam, si illa Deitatis Christi in corpore assumto, tamquam in templo, habitatio incarnationem absolvit, tum Christus quotidie incarnari dicendus est. Quotidie enim in cordibus fidelium veluti concipitur, nascitur, et paulatim μορφοῦται, *formatur*, quemadmodum Paulus emphatice loquitur, Gal. IV, 19, donec vita spiritualis, quam in illis vivit Servator, appareat, atque sese exserat. Idcirco dicitur Christus *esse in nobis* 2 Cor. XIII, 5, *vivere in fidelibus*, illosque animare Gal. II, 20, κατοικεῖν, *habitare* in illis Eph. III, 17, quae inhabitatio tam arcto vinculo eos cum Servatore suo constringit, ut membra corporum ipsorum sint membra Christi, ipsique cum eo unus sint spiritus, 1 Cor. VI, 15, 17. Hoc *Cyrillus* etiam incommodum in hac *Nestorii* locutione observavit, et sic exprimere voluit, in Scholiis de Incarnat. c. XXIV: *Si erat homo* Θεοφόρος, *quomodo, propemodum ac nos, participavit carni ac sanguini? Heb.* II, 14. *Nam si, quia Deus inhabitavit, hoc ei sufficit, ut, similiter ac nos, participaret carni et sanguini, et ita his participare, id ipsum est, quod hominem factum esse; inhabitat autem et in multis sanctis, homo igitur non semel,*

sed

ſed ſaepisſime factus est. Quare ergo, ſemel in conſummatione ſeculorum, in deſtructionem peccati, per hoſtiam ſuam dicitur apparuisſe? Hebr. IX, 26. *Quomodo autem unum nobis Verbi adventum praedicant Divinae Scripturae, ſi* Θεοφόρος *erat homo? Si templum et ipſe factus est Dei, quomodo et in nobis etiam Christus est? Sicutne templum in templis? An ut Deus magis in templis per Spiritum?* Facile foret, pluribus aliis iſtiusmodi argumentis, hoc quod iam dixi, probare et confirmare, ſed temporis et lectorum habenda est ratio, iamque ad finem propero.

§. 17.

Postquam ſic phraſin hanc, quae certo ſenſu phraſis Scripturaria, alio vero ſenſu, et in uſu ſuo vel in applicatione, *Neſtoriana* nuncupari potest, ab omni parte verſavimus et excusſimus, duo nobis ex hac conſideratione enaſcentur conſectaria. Primum quidem est certisſimum, idque res ipſa ſponte unicuique ſubminiſtrat, phraſin hanc unionem duarum in Christo naturarum et eius modum non exhaurire, ſic quidem, ut, qui unionem ex hac phraſi metiatur, de illa tenuius multo et angustius ſenſurus ſit, quam res ipſa et Sacra Scriptura poſtulat, adeoque, ut paucis omnia comprehendamus, phraſin illam in hoc negotio incommodam esſe, et etiamſi recte quidem adhiberi posſit, tamen non ſufficere. Nemo prudens in orthodoxis vitio vertere potuisſet, ſi haec incommoda, debita cum animi moderatione, *Neſtorianis* ob oculos poſuisſent, eosque non criminationibus falſis, ſed argumentorum vi ac pondere obtudisſent, ac volentes nolentes in partes ſuas pertraxisſent. Alterum conſectarium, incertum ſane, haeſitanter et magna cum cautione elicien-

 dum,

dum, hoc est, eos, qui hoc incarnationis mysterium vocibus parum commodis, et ad magnitudinem rei, quam exprimere debent, non assurgentibus explicent, et quasi definiant, conceptus suos vocibus, et voces conceptibus ita examussim adaptasse, ut nihil augustius, nihil majus cogitent, quam verbis exprimere videntur, eosque adeo unionem duarum in Christo naturarum re vera eo modo diminuere, quo voces et phrases id diminuere videbantur. Certe si *Nestoriani* consequentias ex illorum usu huius phraseos deductas admisissent, easque aliis claris verbis docuissent, dubium relictum non esset, quin mysterium hoc pervertissent, quin Christum habuissent pro mero homine, nobis per omnia simili, et in hoc tantum nobis praestante, quod Deus Verbum singulari aliqua et eminenti gratia ipsi adfuisset, et super eum quievisset, adeoque personas, a se invicem plane diversas, introduxissent. At certum est, *Nestorium* et *Nestorianos* omnes has consequentias serio aversatos et deprecatos fuisse, quod ex lectione scriptorum horum hominum unicuique illico patet (*f*). Cum ipsis phrasium harum insufficientia et defectus ob oculos poneretur, regerebant, hanc phrasin esse phrasin Christi et Scripturae Sacrae, et sese phrasi illi indere et accommodare sententiam de incar-

(*f*) Logomachiam in hac controversia cum *Nestorianis* non ex eo deduxi, quod putaverim, omnibus eorum locutionibus incommodis commodiorem sensum affingendum esse, uti quaestionem hanc proponit *Heinsius* in Historia Eccles. ad seculum v p. 814; sed logomachiam exinde colligo, quia, cum *Nestorius* orthodoxiam suam claris et disertis verbis expressit, heterodoxia eius ex quibusdam phrasibus colligitur, quarum consequentiam ipse deprecatur, et quas propter singularem suum scopum adhibuit, sibique utiles esse putavit.

carnatione S. Scripturae et Ecclesiae Catholicae. Poterant certe admoneri, ut istiusmodi locutionibus parcius et cum circumspectione uterentur in definiendo mysterio incarnationis et unionis naturarum, quae imperitis illud obscurare et diminuere aptae essent, sed ceteroquin, quia re vera orthodoxe sentiebant, erant tolerandi. Mysteria enim fidei vere, sine dubitatione ac tergiversatione, amplecti, et sine gravi errore sincere credere, fidei est; sed eadem, praecipue, ubi difficilia et sublimia sunt, vere et recte credita apte semper proferre et enunciare, est accurationis Philosophicae, et nonnumquam felicitatis (*g*). Recte autem *Nestorianos* de mysterio incarnationis sensisse et credidisse, vel hinc manifestum est, quod duarum in Christo naturarum unionem vere hypostaticam agnoverint et confessi fuerint. Si respuerent vocem ὑποςάσεως, vocem tantummodo respuebant, non rem ipsam, quia metuebant, ne vox illa, in exponenda unione adhibita, Apollinarismo et συνουσιώσει faveret, ut supra iam notavi. Loco ὑποςάσεως malebant usurpare vocem προσώπου (*h*), cui eumdem sensum affingebant, quem

(*g*) Subtiliter *Iurieus* apud auctorem libri *le Platonisme devoilé* p. 271 distinguit *fidem* et *Theologiam* veterum.

(*h*) Vox ὑποςάσεως quondam, ante certamina Nestoriana, orthodoxis ipsis suspecta fuit. Vide *Theodoreti* Hist. Eccl. Lib. II cap. 8. Memorabile admodum est, quod in vita Athanasii *Gregorius Nazianzenus* versus finem p. m. 107 observat, dissidentibus quibusdam de usu vocum προσώπου et ὑποςάσεως, in quantum singulis aliquid difficultatis occurrebat, his illam, aliis hanc vocem praeferentibus, eos tantum de vocibus certare. Non neglexit hunc locum *M. le Quien* ad Dialecticam *Io. Damasceni* p. 37, scribentis cap. XXIX, τὸ τῆς ὑποςάσεως ὄνομα δύο σημαίνει· ἁπλῶς μὲν γὰρ λεγόμενον σημαίνει τῆς (leg. τὴν) ἁπλῶς

quem orthodoxi vocabulo ὑποςάσεως tribuere solent. Sane verba valent usu ut nummi, et ex usu, cui hic vel ille vocem aliquam destinavit, mens dicentis aesti-

ἁπλῶς οὐσίαν· ἡ δὲ καθ' ἑαυτὴν ὑπόςασις τὸ ἄτομον σημαίνει, καὶ τὸ ἀφοριςικὸν πρόσωπον, „ *Hypostasis vocabu-„ lum duplicem significationem habet. Nam cum ab-„ solute usurpatur, id quod simpliciter existit, signifi-„ cat, quae autem per se est hypostasis, individuum „ significat, ac personam peculiarem*; c. XXX ait de Patribus Ecclesiasticis, τὸ μὲν κοινὸν, καὶ κατὰ πολλῶν λεγόμενον, ἤγουν τὸ εἰδικώτατον εἶδος, οὐσίαν, καὶ φύσιν, καὶ μορφὴν ἐκάλεσαν, οἷον ἄγγελον, ἄνθρωπον, ἵππον, κύνα καὶ τὰ τοιαῦτα· καὶ γὰρ καὶ ἡ οὐσία παρὰ τὸ εἶναι λέγεται, καὶ ἡ φύσις παρὰ τὸ πεφυκέναι· τὸ δὲ εἶναι καὶ πεφυκέναι ταυτόν ἐςι· καὶ ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος τὸ αὐτό σημαίνει τῇ φύσει. Τὸ δὲ μερικὸν ἐκάλεσαν ἄτομον, καὶ πρόσωπον, καὶ ὑπόςασιν· οἷον Πέτρον, Παῦλον „ *id quod commune est, „ ac de multis dicitur, i. e. specialissimam speciem, sub-„ stantiam, et naturam, et formam appellarunt, ut „ angelum, hominem, equum, canem, et similia. Enim-„ vero* οὐσία, *ab eo, quod sit, dicitur; et natura ab eo, „ quod aptum natum sit. Esse porro et natum esse, „ idem sunt. Atque etiam forma et species eamdem „ de natura habent significationem. Quod autem par-„ ticulare est, individuum, et personam, et hypostasin „ nuncuparunt, ut Petrum, Paulum.*" Voces duas ὑπόςασιν et πρόσωπον idem significare ex usu Theologorum docet *Petavius de Trinit. L.* IV *c.* II § X. De voce hac accurate agit *L.* IV *c.* IV. toto, et observat quidem ibid. vocem *personae* nonnumquam confundi cum natura, citatque *Facundi Hermian. L.* XI *p.* 464. Voce προσώπου utitur etiam *Cyrillus* in Epist. ad Iohannem Antiochenum (in Concil. Ephes.) *col.* 1109, et illam ἰσοδυναμίαν vocis ὑποςάσεως agnoscit *Anathemat.* IV. Utramque hanc vocem conjungit et pro una habet *Ephraemus* in Apologia Concilii Chalcedonensis, de qua haec *Photius Cod.* 229 *pag.* 419, ὅτι ὀρθοδοξίας ἐςὶ φρόνημα, καὶ Κυρίλλῳ φίλον, μίαν ὑπόςασιν τοῦ Λόγου σεσαρκωμένην κηρύττειν, καὶ ἓν πρόσωπον καὶ τὸ δύο φύσεις ὁμολογεῖν. Vid. et *p.* 420.

aeſtimari debet, quippe penes quem uſum, ut iam dudum verisſime obſervavit *Horatius* de A. P. v. 70, arbitrium est, et vis et norma loquendi. Id igitur, quod dixi, ex *Neſtorianorum* verbis luculentis perſpici poterit (*i*). *Theodori Mopſueſteni* hac in re cauſam agit *Facundus Hermianenſis* Lib. III. pag. 103, qui (*k*) crimen illud tanto viro impactum fictionem vocare non veretur: *Qui* (Theodorus) *non ſicuti iſti* confingunt, *ante iam ſubſiſtenti homini Verbum dixit esſe unitum; ſed ab ipſa in matris utero plasmatione, hominis naturam cum Dei Verbi natura* (*l*) *in* unam *ſubſtitisſe* perſonam. Quod ne fruſtra dixisſe argui posſet, ipſa haec *Theodori* verba profert, ex Lib. XIII. de Incarnat., quae ita habent: *Non puro alicui haec coaptantes homini dicimus. Hoc enim in unaquaque dictorum demonſtratione addere non moramur, ut nullam calumniantibus praebeamus male loquendi occaſionem. Sed inhabitato quidem a Deo Verbo, ab ipſa in utero plasmatione, inhabitato vero, non ſecundum communem inhabitationem, neque juxta eam, quae in multis intelligitur, gratiam, ſed juxta quamdam excellentem, ſecundum quam etiam* adunari *dicimus utrasque naturas, et* unam *juxta adu-*

(*i*) Sic *Neſtorius* etiam agnovit cauſam orthodoxorum in ſe esſe bonam, ſed obſcuris tantum verbis et fallaciis obnoxiis proponi, in Epiſtola ſecunda ad Cyrillum cap. 9 et 10 p. 59 edit. Marii Mercatoris.

(*k*) Conferatur idem *Facundus* p. 127, 128, 389, et *Cyrilli* iudicium de *Neſtorio* ac *Neſtorianis*, in Synodico Casſ. c. 204 p. 910 edit. Baluzii.

(*l*) Si haec ipſa ſint *Theodori* verba, alicubi exſtantia, et a *Facundo* fideliter translata, ſcripſerat *Theodorus*, Φύσιν (vel οὐσίαν) Θεοῦ Λόγου, *καὶ οὐσίαν ἀνθρώπου ἐν ἑνὶ προσώπῳ*, vel *εἰς ἓν πρόσωπον ὑφίςασθαι*, atque ſic habemus Hypoſtaſin. Sed forſitan *Facundus* hanc tantum *Theodori* mentem fuisſe, ex ſcriptis eius collegit.

adunationem effectam esse personam. Non potest haec citatio in ullam suspicionem malae fidei cadere. Nam etsi causam *Theodori* in eo libro agit *Facundus*, ad eos tamen scribebat vir sane insignis, et eruditis nostris seculis non indignus, qui fraudem facile potuissent detegere. Verum quidquid sit, *Leontii* nomen nemini suspectum esse potest. Quam inimieus enim is esset memoriae *Theodori*, multis argumentis manifestum fecit. Is autem (*m*) ex *Theodori* L. VIII. de Incarnat. haec verba profert: *Sed quid est, habitavit tamquam in Filio? Quia scilicet, cum inhabitasset, totum quem assumserat, sibi univit, et fecit eum comparticipare totum honorem, quem, qui inhabitat natura Filius, communem cum eo habere voluit, ut ad* unam *quidem* personam *pertineret secundum unionem cum ipso.* Ex Lib. VIII. eiusdem *Theodori* de Incarnatione afferuntur (*n*) haec: *Ex omni igitur parte manifestum est, supervacaneam esse et indecoram atque discrepantem confusionem, cum unaquaeque natura in se indissolubiliter maneat. Rursus manifestum est, aptam et congruentem esse unionem. Per hanc enim naturae copulatae* unam personam *secundum unionem constituerunt* (*o*). Non aliter ipse *Nestorius* sententiam suam declaravit. In Epistola ad Cyrillum, quae in Actis Synodi Ephesinae legitur, sic loquitur col. 323: *Quia enim Paulus* (Philipp. II, 5.) *mortis facturus mentionem erat, ne quis Deum Verbum hinc patibile esse colligeret, subjungit nomen hoc, Christus, quod utramque*

(*m*) *Leontius* L. III. contra Nestor. et Eutych. Tom. VI. Biblioth. Patr. Colon. fol. 480.

(*n*) Apud *Leontium* l. c. fol. 481.

(*o*) *Theodorus* haec dixit, non ex metu, quippe qui ab omnibus suspiciebatur et magni aestimabatur, sed ut mentem declararet et ab omni ambiguitate liberaret.

que naturam, patibilem et impatibilem, ἐν μοναδικῷ προσώπῳ, *in* unica persona *denotat* (*p*). Idem is quoque repetit in Epistola ad Coelestinum Episcopum Romanum in Actis Synodi Ephes. col. 352: *Nescio enim, quemadmodum quidam de Ecclesiasticis quamdam contemperationis imaginem Deitate et humanitate unigeniti accipientes, aegrotant aegritudine praedictorum haereticorum, dum et corporis passiones audent superfundere Deitati Vnigeniti, et immutabilitatem Deitatis ad naturam corporis transiisse confingunt, et utramque naturam, quae per coniunctionem summam et inconfusam in* una persona *Vnigeniti adoratur, contemperationis mutabilitate confundunt* (*q*). Ex his igitur omnibus, id quod initio hujus Dissertationis dixeram, clarissime intelligitur, *Nestorianis* et orthodoxis controversiam tam gravem, tam cruentam multisque exitialem, non de re et veritate ipsa, sed de meris vocibus et phrasibus

(*p*) Notandum, μοναδικὸν πρόσωπον multo plus significare, quam ἓν πρόσωπον, neque ulla subterfugia ullasve tergiversationes relinquere. Duae personae, quae propter certam aliquam relationem sensu quodam vocari possunt ἕν, numquam tamen dici possunt ἓν μοναδικὸν, vel simpliciter μοναδικὸν πρόσωπον. In Synodo Quinta Canone IV de Nestorianis sic scribitur, καὶ δύο πρόσωπα προφανῶς λέγοντες, κατὰ μόνην τὴν προσηγορίαν, καὶ τιμὴν, καὶ ἀξίαν, καὶ προσκύνησιν καὶ ἓν πρόσωπον καὶ ἕνα Χριστὸν ὑποκρίνονται λέγειν. Conf. ib. Canon. V.

(*q*) Si quid contra haec clarissima *Nestorii* effata ex verbis eius elicitur, quod unitatem hic agnitam tollere videtur, id certe non personae unitatem respicit, sed naturarum duarum diversitatem. Id agnovit aliquando, et tamen, quod valde mirum est, vituperavit *Cyrillus* apud *la Croze*, Histoire du Christian. des Indes p. 19 in notis.

bus (*r*) intercesſisſe, rem ipſam, unionem naturarum hypoſtaticam, utrimque agnitam fuisſe, ſed iis locutionibus expresſam, quae utrique disſidentium parti incommodae, periculoſae, et ad haereſin aliquam deducere viderentur. Valde igitur probo illud iudicium *Facundi Hermianenſis*, quod in ipſa hac cauſa tulit Lib. VI. p. 247: *Contigit nonnumquam inter unius ſententiae viros, ut, cum de rebus ipſis, quae in quaestione ſunt, idem ſapiunt, de ſe tamen aliquid ſuspicentur, cum vel a dicente minus aperitur verbis, quod corde conceptum est, vel ab audientibus minus inſpicitur dicentis intentio.* Quod quidem ſi et in hac controverſia (*s*) et in aliis conſimilibus ſemper obſervatum, et pro merito evitatum fuisſet, luce ſua in multis Eccleſiis radiaret unitas ſpiritus; conſpicuum foret pasſim vinculum pacis, quod ab hominibus vanam eruditionis gloriam captantibus, et contentionis ſtudio ridicule deditis, tot indignis modis discisſum est; florerent tot inſignes Eccleſiae, quae primo quidem ambitioſorum et contentioſorum doctorum, et mox enervatae hoſtium Eccleſiae victimae evaſerunt; eliminatae esſent ex Eccleſia Dei tot ſpinoſae et fumo repletae inanes controverſiae, quae multorum ambitioni, contentioni et ſimulatae pietati pabulum quidem praebent ventoſum et turgidum, ſed adeo ad vera Chriſtianismi incrementa non conducunt, ut illis potius, adeoque etiam verae Dei gloriae, obicem ponant tanto graviorem, quanto id minus a plerisque obſervatur et cavetur.

DIS-

(*r*) Hoc agnovit et aperte fasſus est *Neſtorius* Serm. v c. 1, 2, XII. 22, in Epist. 2 ad Cyrillum apud *Marium Mercat.* p. 59.

(*s*) Conf. *Chemnitius* de duabus Christi naturis p. 79.

DISSERTATIO [*]

DE ORIGINE ET FVNDAMENTO NESTORIANISMI.

PROOEMIVM.

Quartus iam agitur annus, ex quo *Exercitationem* quamdam, ſic iubentibus Facultatis noſtrae Theologicae legibus, in publicum emiſi *de Neſtorianismo*, eo praeſertim fine conſcriptam, ut phraſin aliquam *Neſtorianorum*, notatu non indignam, quae ſectae illius hominibus cumprimis placuit, et propterea characteriſticam, exigua illa mea opella nonnihil illuſtrarem. Praeter omnem ſpem opinionemque meam accidit, ut levidenſes hae pagellae virorum quo-

[*] Edita est anno 1728, et disquiſitioni publicae ſubiecta, reſpondente *Friderico Guilielmo Iablonskio*. Repetuntur hic nonnulla eorum, quae iam ſcripſerat *Iablonskius* in Exercitatione de Neſtorianismo, p. 149 et ſeqq. partis huius Opusculorum. Meum non est, aut omittere aut in compendium redigere, quod in exemplo typis impreſſo exſtat Non paucas autem eidem exemplo annotationes adſcripſit ipſe auctor, ſed pleraſque eas parum diverſas ab iis, quas Exercitationi laudatae alleverat, et quae adeo non iterum lectoribus apponendae mihi videntur.

quorumdam eruditorum, nescio qua de causa, attentionem excitaverint. Expertae sane sunt, quod gratus agnosco, iudicia multo, quam promeruerant, benigniora virorum, quos supra laudes meas iam dudum evexit fama meritis parta. Et eos quidem non tam scriptum illud suo suffragio comprobasse, quam potius conatibus meis calcar addere voluisse, iudico. At neque defuerunt, qui eamdem Exercitationem sub censuram vocandam esse putarent. Quorum a me dissensum ferre tanto patientius potuissem, quod, mea sententia, tota haec controversia non sit magni momenti, de qua quid iudicem libere dixi, etsi de adem litem movere nemini cupiam. Non enim inter nos disceptatur de articulo aliquo fidei, quippe cui, prout in Concilio Ephesino et Chalcedonensi definitus est, ab utraque parte lubenter subscribimus, sed quaeritur tantum, utrum hanc doctrinam nostram tenuerit quoque *Nestorius*, an secus. Vno verbo, quaestio est non iuris, sed facti Quare si per *Nestorianismum* id intelligatur, quod *Nestorio* imputari solet, me plane consentientem habebit celeberrimus *Bergerus*, qui orationem suam Exercitationi meae totam oppositam inscripsit: *Nestorianismum haereseos convictum.* Restat tum inter nos hoc tantummodo disquirendum, an *Nestorius* vere *Nestorianismi* convictus fuerit. Aliud tamen est dissentire, aliud dissentientem ultro verbis lacessere, et ad certamen provocare Quamquam ne hoc quidem me commovisset, uti vel diuturnum meum silentium abunde testatur, nisi nunc rationes idoneae, quas commemorare nihil attinet, mihi persuasissent, ut idem argumentum, in quo evolvendo opera mea iam semel versata est, de novo persequerer, innocentiam et fundamentum eorum, quae in Exercitatione asserui, in maiori luce collocarem, atque ab exceptionibus clarissimorum adversariorum vindicarem. Fiet hoc

hoc in *Ingenua in Neſtorianismum inquiſitione*, quae, ſi ſubſidia necesſaria non defuerint, brevi lucem videbit. Interea dum illa prodeat, hanc *de origine et fundamento Neſtorianismi* Disſertationem praemittere volui. Poteris autem B. L. ex hoc quoque ſpecimine iudicare, non aliquem novitatis pruritum, quam antiquam ſatis et protritam cantilenam, *μορμολυκείου* inſtar, etiam mihi obtendi video, ſed ſolum veritatis amorem, ea quae de *Neſtorianismo* dixi, mihi expresſisſe.

§ 1. Non citra rationem a me factum esſe puto, quod, cum ante hos ferme quatuor annos *Neſtorianismum* in ſingulari quadam *Exercitatione* ſub examen revocarem, ipſi huic examini nonnulla de origine *Neſtorianismi*, etſi pauca, praemitterem, inquirens in cauſas, quibus *Neſtorius* inductus, vocabulum Θεοτόκος et alias itidem orthodoxorum phraſes repudiaverit, alias vero, quae orthodoxis displicebant, praetulerit, et cum affectatione quadam ubique adhibuerit. Nam cum dubitari non posſit, quin haec quarumdam phraſium bonarum et orthodoxarum reiectio, et aliarum, quae ambiguae merito videri poterant, electio, *Neſtorii* haereſin abſolvat, illud aeque certum esſe mihi perſuadeo, *Neſtorium* hoc non forte fortuna et temerario quodam impetu egisſe, ſed ob rationes, quas ipſe graves esſe exiſtimavit. Aliud quid ſuſpicari non licet de viro, qui magiſtris uſus est eo tempore celebratisſimis, quique ſub eorum auſpiciis ita profecit, ut primum Antiochiae (*a*) Presbyter, doctrinae, facundiae et pie-

(*a*) *Neſtorius* Antiochiae Presbyter Catechiſta fuerat, vel Catecheſeos magiſter. Vid. *Garnerius* Praefat. in *Marium Merc. T.* II *pag.* IV, *Fleury* Hiſtoire Eccleſ. Liv. XXIV Tom. V. p. 604. Illud vero munus Antiochiae perquam honorificum erat, quo ante eum *Theodorus Mopſue-*

pietatis laude inclarefceret, deinde vero propter hoc ipfum dignus iudicaretur, qui, exemplo magni *Chryfoftomi*, ex cathedra Presbyteriali Antiochena ad Epifcopalem fedem Conftantinopolitanam, cui iam tum, ex decreto Concilii Conftantinopolitani, primae in toto Oriente delatae erant, transferretur. Et fi quis tamen non obftantibus his errorem illum *Neftorii*, Mariam Θεοτόκον recte dici negantis, fortuitum et plane temerarium fuisfe, pervicaciter asferere vellet, reclamantem habebit aut totam antiquitatem, aut certe meliorem eius partem, quae *Neftorii* dogmata altius ab aliis fontibus derivare folet. Si itaque error ille *Neftorii* innixus fuit rationibus, quas ille non leves esfe putavit, nemo est, qui non intelligat, aequum de *Neftorianismo* iudicium ferri non posfe, nifi rationes illae perfpectae fint, nifi illius origines attente luftraveris. Verba quidem figna funt rerum et indicia eorum, quae mens concepit; verum quis dixerit, ea femper apta et rebus, quas exprimere debent, per omnia accommodata esfe? Haud raro verba, fi illa ex confueto ufu diiudicentur, et mens dicentis inter fe disfidere cernuntur, quando is qui loquitur, verbis fuis, ad peculiarem fcopum accommodatis, fenfum indit non ufitatum. Quare profecto non mens ex verbis femper tuto colligitur, nifi alia indicia accedant, fed vicisfim ex mente, fi illam probe cognitam habueris, verba dicentis recte et fine periculo erroris aeftimare poteris. Duo cum dicunt idem, idem tamen femper (*b*) non fentiunt, quo fit, ut eaedem locu-

fueftenus, et *Iohannes Chryfoftomus* functi fuerant. Erat autem Presbyteri Catechiftae, non modo *competentes* inftruere, fed et haereticos refutare.

(*b*) De Valentinianis fcribit *Irenaeus* L. 1 c. 1 § 2: *Si-*

cutiones diversas persaepe interpretationes non modo admittant, verum etiam flagitent. Aliud sentiebat *Cyrillus*, aliud *Apollinaris*, et post eum cum *Eutyche Dioscorus*, cum unicam tantum Verbi incarnati naturam admittendam esse contenderent, quoniam diversa illis erat unius huius locutionis causa et origo. Vt itaque *Nestorii* mentem perspiciamus, et lucé hac accensa genuinum verborum eius sensum non coniectando, verum cum certitudine aliqua pernoscere possimus, age fundamenta et origines *Nestorianismi* pandamus. Et primo quidem, ne quid praetermisisse videri possim, originem *Nestorianismi* ab aliis nobis suppeditatam nonnihil lustrabo, ut hoc facto ad veram eiusdem originem ostendendam et stabiliendam progredi possim.

§ 2. Historici quidam recentiores (*c*) originem *Nestorianismi* a fortuito quopiam casu repetunt, quem et caussam *Nestorianismi* vocant, quod, cum *Anastasius* Presbyter, quem Antiochia secum adduxerat *Nestorius*, aliquando pro concione in hanc vocem erupisset: *nemo Mariam vocet Θεοτόκον. Maria enim homo fuit. Ex homine autem Deus nasci non potest*; *Nestorius* non modo hominis istius audaciam non repressisset, sed eius etiam, utpote amici diuturno usu cogniti, causam posthaec egisset. Non

Similia quidem nobis loquentes, dissimilia vero sentientes. Alia huius generis testimonia dabit auctor libri *le Platonisme devoilé* Part. I cap. 19 toto.

(*c*) Clarisf. *Bergerus* in Oratione, quam inscripsit, *Nestorianismum haereseos convictum* pag. 10. „*Fontem* „ *inprimis seu originem discriminis huius inquirentes*, „ *inter se admodum diversos inveniemus auctores*, *cum* „ *modo hanc*, *modo illam*, *erroris edant* caussam. *Sunt*, „ *qui consuetudine singulari et amicitia*, *qua Anastasium prosecutus est*, *eo perductum referunt*" etc.

Non uno eodemque modo gesta haec a veteribus in literas relata esse, deprehendimus. Primam motuum circa vocem Θεοτόκος culpam in *Anastasium* Presbyterum *Socrates* historicus reiicit, eo fere, quo nunc eius verbis commemoravi, modo *L.* VII *c.* 32, quem alii sequuntur. Ab hac *Socratis* narratione discrepare videtur *Cyrillus*, qui in epistola ad Acacium Berrhoeënsem, originem eorumdem motuum expositurus, in haec verba (*d*) scribit: *Non enim sat fuit Reverendissimo* Nestorio *ea publice pro concione proponere, quae Ecclesiam gravissime offenderent, fidemque in Christum everterent; sed ulterius progressus, Episcopum quemdam Dorotheum, palam in Ecclesia, dum sacra peragerentur, temerario ausu effutire passus est: si quis Mariam dixerit esse* Θεοτόκον, *anathema sit* (*e*). Eorum tamen non est improbanda observatio, qui *Socratem* cum *Cyrillo* amice conciliant. Utriusque et Anastasii et Dorothei mentionem illius temporis historia iniicit, ut fautoris et amici *Nestorii.* Anastasius classicum cecinisse videtur verbis illis, quae *Socrates* exhibet: *nemo Mariam vocet* Θεοτόκον, quae *Nestorius* deinde suo consensu firmavit. Vlterius progressus est, ut diserte *Cyrillus* scribit, Dorotheus, anathema illis denuncians, qui Mariam Θεοτόκον appellare audeant. Nuspiam tamen veteres (*f*) memoriae prodiderunt, aut Anastasium, aut Do-

(*d*) Vid. Acta Concil. Ephes. Part. I cap. XXII, et eiusdem Epist. ad Coelestinum ibid. *Part.* I *c.* XIV. col. 342.

(*e*) *Petavius* de Incarnat. Lib. I c. VII § 5, *Garner.* Praef. in Partem II Marii Mercat. p. VII.

(*f*) Unicus *Theophanes* in Chronographia Lib. VII c. 37, scriptum reliquit, *Anastasium non suam, sed scriptam a Nestorio Homiliam populo praelegisse*, obser-

Dorotheum hoc fecisse *instinctu et impulsu Nestorii*, quemadmodum eruditissimus (*g*) *Hoffmannus* refert. *Cyrillus* et cum eo veteres alii, nec minus recentiores, *Petavius*, *Garnerius*, *Doucinius*, ubi huius rei meminere, id unum *Nestorio* vitio vertunt, quod dicentes haec oratores patienter audiverit, quodque eorum dicta postmodum publice defendere in animum induxerit. Si acta haec caussam occasionalem propagandi et publice defendendi *Nestorianismi* appellare velis, per me quidem licebit. Neque aliud sibi voluerunt veteres, qui ex isthoc fonte originem malorum, quae controversiae *Nestorianae* pepererunt, deducere solent. Sciunt enim, neque dissimulant, *Nestorium* illam doctrinam, quae postea tot in Ecclesia bellorum intestinorum occasio fuit, secum ex Oriente advexisse. Sed quam eo usque in Regia urbe sub pectore tacitus sententiam volverat, eam diutius celare non potuit, simul atque eam in Anastasio et Dorotheo symmistis suis oppugnari, in deteriorem sensum torqueri et publico veluti iudicio condemnari, cum dolore intellexit. Haec igitur occasio subministrata est *Nestorio*, ea, quae de incarnatione Domini in scholis Orientalium didicerat, quaeque tenaci memoria imbiberat, palam exponendi et defendendi Haec vero gesta fontem, caussam et originem ipsius *Nestorianismi*, seu locutionum *Nestorianarum*, cum recentioribus quibusdam vocare, nescio, utrum magis stu-

servante *Garnerio* ad Mercatorem fol. 54. Sed quis credat homini indocto et rudi, quique errores plurimos commisit? cum rei huius certe memoratu dignae non modo non meminerint *Cyrillus* aliique, aut aequales, aut temporibus hisce propiores, sed potius contrarium luculenter satis subinnuant.

(*g*) In dissertat. de controverrsia Nestoriana pag. 16.

ſtudium inſigne partium, an vero hiſtoriae Eccleſiaſticae imperitiam redoleat. Non enim tumultus ille Conſtantinopolitanus, occaſione Anaſtaſii et Dorothei coortus, ſuit cauſa *Neſtorianismi*; verum *Neſtorianismus* cauſa iſtorum motuum ab eruditioribus merito cenſetur. Habeo hic conſentientem celeberrimum *Bergerum*, qui in oratione, quam *Exercitationi* meae oppoſuit, postquam aliorum de origine *Neſtorianismi* opiniones breviter commemorasſet, ſic tamdem in caſtra noſtra tranſit, *p.* 13: *Mittamus priores, ab adverſario vero allegatos examinemus fontes, et concedamus*, Neſtorium *veſtigia presſisſe, et Theodori, et Diodori, etc. etc.*

§ 3. Pluribus neque huic, quam modo tetigi, de origine *Neſtorianismi* ſententiae, neque (*h*) aliorum opinionibus et hariolationibus inhaereo, quas verbo tantum ſubindicasſe, ſatis erat, ne ſtudio quidpiam disſimulasſe viderer. Quid enim opus est verbis, ubi res ipſa loquitur? Et praeterea, ubi veriores et certiores *Neſtorianismi* origines depromſerimus, aliorum commenta non poterunt non corruere. Quodſi iam *Neſtorianismi* genuinam originem indagare quis velit, ei multo labore, et anxia disquiſitione opus non est, cum praeeuntem et manu ſe ducentem totam habeat antiquitatem Eccleſiasticam. Nam ſi non contentus iis, quae *Socrates* et *Evagrius*, hiſtorici (*i*), eorumque ſequaces, levi admodum brachio controverſias *Neſtorianas* attingentes, comme-

(*h*) Vide, ut alios iam taceam, orationem *Bergeri* p. 12 et 13, ubi ſtudium rixandi et ignorantiam *Neſtorii* a quibusdam pro cauſis *Neſtorianismi* venditari notat.

(*i*) Dudum viri docti obſervarunt, hiſtoricos hosce in multis non esſe valde accuratos, et veram rerum gestarum ſeriem ex aliis fontibus hauriendam esſe. Vide ex. gr. *Hermantii* Prolegomena in Vitam Chryſoſtomi p. 3 et 4.

memorant, Acta Concilii Ephesini aliaque authentica litium harum monumenta consuluerit, origo eum *Nestorianismi* latere non poterit, quam in *Exercitatione* post alios exposui, quamque ex mente illius meae *Exercitationis* sic in pauca contrahit doctissimus *Bergerus* p 13: *Adversarius noster partim institutionibus* Theodori *et* Diodori, *quare quasdam orthodoxis usitatas loquendi formulas reiecerit, tribuit causam, partim fervore contra* Apollinaristas *disputandi eo deiectum refert.* Duo igitur, ut veram *Nestorianismi* originem cognitam perspectamque habeamus, ostendenda et in aprico collocanda sunt: *primo*, *Nestorium* nec primum dogmata sua excogitasse, nec fortuito in sententiam, quam tuitus est, incidisse, sed eam potius in scholis Orientalium traditam a praeceptoribus suis hausisse; *secundo*, fundamentum huius doctrinae, harumque locutionum, quas Orientales post tempora cumprimis schismatis Antiocheni Meletiani adoptarunt, metum fuisse *Apollinarismi*, Orientem labe sua longe lateque inficientis, qui eos compulerat, ut in exponendo incarnationis Divinae mysterio huiusmodi phrases seligerent, quae fraudes Apollinaristarum et detegerent, et funditus everterent.

§. 4. Paulo uberius ea quae dixi explicabo, et veterum testimoniis adstruam. Et primo quidem, ut monui, ad pernoscendam *Nestorianismi* originem scitu necessarium est, *Nestorium* illam exponendae incarnationis Divinae rationem et methodum, qua Constantinopoli usus est, quaeque aliorum aures vehementissime offendit, non ipsum excogitasse, nec fortuito in quasdam locutiones incidisse, easque deinde studio rixandi, ut fieri nonnumquam solet, tueri voluisse, verum eam retinuisse doctrinam, quam in scholis Orientalium didicerat, et inde secum attulerat. Neminem historiae Ecclesiasticae gnarum

latere potest, maximam fuisse *Diodori Tarsensis*, et *Theodori Mopsuesteni* Episcopi, in ecclesia Orientali famam, quorum prior seculo IV vergente, posterior eodem et V seculo floruerat (*k*). Tantam hi doctrina sua, et scriptis, cum ad illustrandam Scripturam S., tum ad convellendas praecipuas illius temporis haereses, magno numero editis, nominis celebritatem consecuti erant, ut pro totius Orientis doctoribus haberi merito possent. Quidquid est celebrium ea aetate virorum, eos deprehendas horum fuisse aut amicos familiariori usu cognitos, aut studiorum socios, aut etiam discipulos. Sciendum vero est, illustres hos Orientis doctores, *Diodorum* et *Theodorum*, communi tritaeque dogmata sacra tradendi viae non usque quaque institisse. Nam uti in disciplinis Philosophicis quaedam innovaverant, ita cum adversus Arianos, Macedonianos atque Apollinaristas, purioris fidei inimicos molestissimos, sine intermissione decertarent, ut tanto felicius in hac arena versarentur, in capitibus etiam quibusdam Theologicis, de Trinitate praesertim et de incarnatione, explicandis, utebantur locutionibus sibi (*l*) peculiaribus et propriis, quasque insignem sibi usum praestare posse, credebant. Hinc novitatem in doctrina ipsis exprobrarunt *Eutychiani* apud *Vigilium* L. v *c.* iv. Omnino itaque sic putandum est, ab eorum tempore in Oriente rationem tradendorum dogmatum sacrorum, novam (*m*) in quibusdam aliamque faciem induisse, quam antea habuerat, ut

(*k*) Praeter testimonia de *Diodoro* et *Theodoro* liberali manu a *Facundo Hermianensi* collecta, videatur *Leontius* de Sectis p. 448 [conf. supra p. 162].

(*l*) Vide locum memorabilem *Philostorgii* L. viii Hist. Eccl. c. 13.

ut proinde, qui ex schola illa Orientis prodierunt, certis quibusdam notis characteristicis dignosci facile possint. Argumentum hoc, attentione nostra profecto non indignum, quod iam a proposito me nimium abduceret, aliquando, si Deus vitam, valetudinem et otium concesserit, in Commentario singulari *de Orientalium doctrina post schisma Antiochenum et Meletii tempora* accuratius persequi animus est. Ex hac Orientis schola *Nestorius* quoque (*m*) prodierat, ipsius *Theodori Mopsuesteni* institutione et disciplina usus, cuius et postea placita in doctrina de *incarnatione*, ab *Anastasio* et *Dorotheo* imprudenter et contra *Theodori* mentem, quam non recte perceperant, proposita, ab aliis vero invidiose traducta, et ferventissime oppugnata, defendenda esse censuit.

§ 5. Quae de institutione *Nestorii*, deque eius cum *Theodoro* et cum aliis Orientalibus in doctrina consensione dixi, etsi non omnibus arridere sciam, sunt tamen verissima, et extra omnem dubitationis aleam facile poni possunt. Vtique id I. inter recentiores omnes fere agnoscunt et profitentur doctiores

(*m*) Contestatio tertia, nomine septem ex Oriente Episcoporum, qui reliquorum Legati ad *Theodosium* Chalcedone detenti fuerant, haec habet verba: *Pars enim non parva tui Oriens existit imperii, in qua semper recta fides effulsit*, in Synodico Cassin. Cap. XXXV col. 736, edit. Baluz., et in *Actis Concil. Ephes.* ed. Labb. T. III col. 730 fin.; Theodoretus, *Alexander Hierap.*, et alii Episcopi in Epistola ad Episcopos Syriae, Ciliciae primae et secundae, et secundae Cappadociae in Synodico Cassin. c. CXXIX: *illum vero, qui neque iudicatus est, neque praeter Apostolicam doctrinam quicquam praedicat, sed vestigia paterna secutus est, i. e. Deo amicissimum et sanctissimum Episcopum Nestorium crudeliter et latrocinaliter interemit* (i. e. damnavit Iohannes).

res (*n*), qui historiam controversiae *Nestorianae* accuratius tradere moliuntur. Quod ipsum II. pariter testantur veteres historiae Ecclesiasticae scriptores, etsi pauca admodum de iis, quae *Nestorio*, antequam Constantinopolin proficisceretur, evenerunt, memoriae mandata legamus. *Evagrius* (*o*) lib. 1 c. 2. com-

(*n*) *Garner.* Praefat. ad Tom. II Marii Mercat. p. V. *Haec eadem* (in *Nestorio*) *mirum in modum auxit Theodori Mopsuesteni disciplina, quo magistro didicit, primum male sentire de incarnatione Verbi*; *Petavius de Incarn.* Lib. I c. VII § 3: *Quanquam non ille quidem* (Nestorius) *auctor et fabricator haeresis istius fuit. Sed ab Ebione primum, deinde ab Artemone etc. traditam, Theodorus Mopsuestenus amplexus erat, a quo illam Nestorius accepit.* Vide eumdem de Diodoro Nestorii magistro c. X § 4, 5, et iterum de Theodoro, toto c. XI.; *Doucin in Hist. Nestorii Lib.* I *p.* 16: *C'étoit dans le cours de ses voyages, qu'il avoit connu Theodore Evèque de Mopsueste, le plus celèbre ecrivain, qui fut alors, et dont tout ce qu'il y avoit de jeunes gens de merite, se faisoient honneur d'être les disciples. Nestorius avoit pris ses leçons avee plus d'attention que touts les autres: mais il s'en falloit bien, qu'il n'approchat de la capacité de son maitre*; *Du Pin* Biblioth. Scriptor. Eccles. T. III. in *Theodoro Mopsuest. pag.* 90: *Theodore selon quelques uns maitre de Nestorius*; *Caveus* Histor. Literar. Part. I. in Theodoro pag. 296: *Aliquamdiu Nestorium et Theodoritum auditores habuit*, et in *Nestorio p.* 324: *In Monasterio S. Euprepii educatus, Diodorum postea Tarsensem praeceptorem habuit*, ubi vir eruditus, memoriae lapsu, Theodorum pro Diodoro dicere voluit. Diodorus enim ab anno iam 378, Antiochia relicta, ubi etiam Presbyter docuerat, Tarsi Episcopatum tenuit, mortuus a. circiter 393. At *Nestorius* anno demum 428 Constantinopolin pervenit, et postea in exilio vitam protraxit usque ad Concilium Chalcedonense, mortuus paulo antequam illud sederet. Sedit autem Concil. Chalcedon. anno 451.

(*o*) Hunc *Evagrii* narrationem, praeeunte *Garnerio*, falsi

commemorat, *Nestorium* in itinere, dum Constantinopolin pergit, Mopsuestiae apud Theodorum divertisse, et audita illius docrina a fidei puritate deflexisse. Exstat (*p*) in Actis Conciiii Ephesini epistola Iohannis Antiocheni ad *Nestorium*, in qua ei in memoriam revocat concionem aliquam sacram a Theodoro habitam, cui uterque interfuerint (*q*): *Memoria haud dubie tenes*, inquit, *cum* B. Theodoro *in expositione quadam excidisset quiddam, quod tibi inprimis, qui per id tempus ceteris liberius egisti, tum aliis quoque omnibus, qui audierant, non recte dictum videbatur.* Narrat deinde, Theodorum reprehensum, et, recte se reprehensum esse sentientem, brevi post publice pro concione verba sua correxisse, et errorem agnovisse: qui candor magni et celeberrimi tum viri memoriam omnibus aequi et recti amantibus commendare merito debet. Addit ibidem Iohannes, haec non ita diu ante conti-

falsi postulavi in Ingenua in Nestorianismum inquisitione Diss. I. de meritis *Nestorii* § XIII, ea ratione motus, quod Theodorus eo tempore, quo *Nestorius* Constantinopolin ut Episcopus profectus est, diem iam obiisset. Ceterum *Assemanus* Biblioth. Orientalis Tom. III part. I p. 30 in notis ex *Theodoreto* observat, Theodorum mortuum esse A. C. 429. Quod si verum est, potuit utique *Nestorius*, qui A. 427 Constantinopolin profectus est, eo tempore ipsum invisere.

(*p*) Concil. Ephes. P. I c. XXV § 3.

(*q*) In Graeco erat τοῦ μακαρίου Παύλου, *B. Paulo*, de quo haud facile dixeris, quisnam fuerit. Opportune autem *Labbeus* notat in margine col. 392. in MS. Seguieriano legi, non Παύλου, sed Θεοδώρου, quae est sine dubio genuina scriptura Eam confirmat *Facundus Hermianensis*, qui epistolam hanc aliquoties pro Theodori causa adducit. Vid. *L.* X *cap.* II *pag.* 421. ubi sic eadem verba citantur: *recordaris enim certe B. Theodori,*

tigisse. Nondum satis ex hisce intelligitur, quo in loco et quamdiu *Nestorius* disciplina Theodori usus fuerit, quare diversimode ea de re recentiores loquuntur (*r*). Verosimillima eorum habenda est sententia, qui *Nestorium* Antiochiae institutione Theodori gravisum fuisse putant. *Nestorius* certe, etsi Germaniciae natus, Antiochiae tamen Baptismi lavacrum suscepit, postea inter Monachos Euprepii allectus, et ultimo Ecclesiae illius Presbyter ordinatus, in qua diu Theodorus magna cum laude docuit, donec ad Mopsuestenam in Cilicia sedem transferretur. Theodorus itaque *Ecclesiae Antiochenae Doctor* (*s*) Meletio successori audit in epistola (*t*) ad Titum vicarium Dionysii, Magistri militum per Orientem, uti et ea ipsa de causa in catenis Patrum

(*r*) Vide omnino *Garnerium* in Historia Theodoreti, in Auctario Operum fol. 118, et inprimis *Assemanum* in Bibl. Orient. Tom. III P. I p. 30, 31 in notis.

(*s*) Antiquis nonnullis sub eo nomine notior erat, quam sub nomine *Mopsuesteni Episcopi*. Appellatur a *Gennadio* in libro de Scriptoribus Eccles. cap. XII *Theodorus Antiochenae Ecclesiae* [*] *Presbyter*, etc.

(*t*) Epistola illa exstat in Synodico adversus tragoediam Irenaei, ex edit. Garnerii, in Auctario Operum Theodoreti, ubi p. 651. b. haec verba leguntur: *Cum B. Babyla, cui totius ecclesiae, et ecclesiae, cuius* Theodorus *exstitit Doctor, commissus est Praesulatus.* Itaque ait, Theodorum fuisse Doctorem *Ecclesiae Antiochenae.* Et quidem fuit Catecheseos *magister*, cui incumbebat haereticos refutare, et fidei puritatem asserere. Hoc apparet ex libris, quos *Theodorus* conscripsit *ad baptizandos* et *ad baptizatos*, de quibus alias plura. Itaque iure Theologus et

[*] Minus recte alii, ut monet *Aub. Miraeus* in Scholiis ad h. l. p. 10 editionis Fabricii, intelligendum existimant *Theodorum Presbyterum in monasterio Rhaitu.*

trum et (*u*) a vetuſtis aliis ſcriptoribus Antiochenus nuncupatus. Scimus adhaec, ex *Leontio Byzantino* (*v*), Theodorum, cum Antiochiae doceret, iam tum vocem Θεοτόκος ſine tergiverſatione reprehendisſe. Neque minus certis argumentis (*x*) colligitur, eum in eadem urbe, cum Presbyter esſet, edidisſe vaegrande illud opus *de Incarnatione*, libris XV conſtans, ex quo postmodum inimici eius eum haereſeos convincere voluerunt. Si autem omnibus hiſce testimoniis careremus, III. ipſa tamen *Neſtorii* doctrina argumentum nobis omni exceptione maius ſuppeditaret. Nam quaecumque a *Neſtorio* prolata aures orthodoxorum Conſtantinopoli, in Aegypto et in Occidente offenderunt, ea ipſa in Theodori quoque ſcriptis, et ſaepius quidem, reperiunda esſe, luce meridiana clarius apparet. *Neſtorius* frequentiorem uſum vocis Θεοτόκος deprecabatur. Idem a Theodoro quoque factum esſe, monui in Exercitat. mea p. 10 et 11, in notis [ſupra p. 168], quibus alia addi posſunt. *Neſtorii* doctrina ſic explicabatur, tamquam is in incarnatione Domini primo nativitatem et deinde aliquo post tempore unionem duarum naturarum factam esſe conciperet. Idem ex Theo-

et Doctor eccleſiae Antiochenae dici potuit, quod nomen ei etiam poſtea adhaeſit, quam Epiſcopatum Mopſueſtenum adeptus iam esſet.

(*u*) Vide hac de re plura apud *Caveum* Hiſt. Liter. P. I p. 296, *Garnerium* in Marium Mercat. *Tom.* II *p.* 260, *Fabricium* Biblioth. Graec. Vol. IX pag. 154, *Asſemani* Biblioth. Orient. Tom. III Part. I p. 35 in notis.

(*v*) Lib. III adverſus Neſtor. in Monumentis *Henr. Caniſii* Tom. I p. 577.

(*x*) Oſtendit hoc *Garnerius* notis in Marium Mercat. T. II. p. 290. adde *Asſemani* Biblioth. Orient. Tom. III Part. I. p. 33 in notis.

Theodori verbis quosdam exſculpere anniſos fuiſse, in Exercitatione indicavi p. 14, 15 [p. 173]. *Neſtorius* cum de unitione duarum naturarum in Christo loquebatur, loco ἑνώσεως malebat adhibere vocem συναφείας. Idem omnino in Theodori ſcriptis reprehenderunt orthodoxi. *Neſtorius* reſpuebat dicere, unionem factam esſe καθ' ὑπόστασιν. Idem plane erat Theodori crimen. *Neſtorius* unionem in Chriſto esſe dicebat κατ' ἀξίαν, *unionem*, non naturarum, ſed *honoris*, *dignitatis*, *et reverentiae*, vel, uti *S. Bernhardus* (y) loquitur, *unionem dignitativam*. Theodorus aliis verbis, ſed eodem ſenſu, unionem in Chriſto factam esſe praedicabat κατ' εὐδοκίαν et κατὰ χάριν, vel dicebat esſe illam *unionem beneplaciti et gratiae*. Quid pluribus opus est? Quin adeo Symbolum illud *Neſtorianum*, a Chariſio Patribus Epheſinis oblatum, et inter eius Synodi Acta reperiundum, auctorem habere Theodorum, post *Marium Mercatorem*, qui ſub nomine eius illud edidit, plurimi cenſent, etſi mihi vero videatur propius, aut *Neſtorium* ipſum, aut ex *Neſtorianis* quempiam, post motas iam has a Cyrillo lites, Symbolum illud concinnasſe. Sive igitur *Neſtorius* Theodorum audiverit, et ab eo inſtitutus fuerit, ſive minus, nemini tamen dubium esſe potest, quin doctrina *Neſtorii* eadem cum doctrina Theodori fuerit, quam is, dum viveret, et ſcriptis tradidit, et ore diſcipulis ſuis inſtillavit, quamque ab eo Orientales plerique acceptam conſervarunt. Quod cum ex inſpectione ſcriptorum Theodori et *Neſtorii* ſic iam ſatis pateat, IV. miro etiam conſenſu a veteribus omnibus agnitum fuit. Agnoverunt hoc orthodoxi,

(y) De Conſid. Lib. v c. 8. Opp. col. 899, edit. Antv. 1620.

doxi, Cyrillus, quem (z) adverſus Theodorum eo nomine ſtylum acuisſe conſtat, Rabulas Edesſenus, Proclus Conſtantinopolitanus, in appendice Tomi ad Armenos directi, Maximus Abbas, Theodotus Ancyranus, Acacius Melitenus, et quicumque post Concilium Epheſinum *Neſtorianos* animoſius oppugnarunt, qui, misſo *Neſtorio* iam condemnato, Theodori potius, cuius maior erat auctoritas, ſcripta adoriebantur, ceu *Neſtorianorum* magiſtri et ducis praecipui. Vide *Du Pinii* Hiſtoriam Concilii Epheſini, in Tomo IV. Bibliothecae Eccleſ. p. 317. Quinimo ſeculo ſexto appellatio *Theodorianorum* multis placuit, quae *Neſtorii* ſectatoribus adhaeſit, ſed ita tamen, ut ſemi-Eutychiani ſub hoc nomine orthodoxos pariter, quibus *Neſtorianismum* imputabant, complecterentur, quod non uno loco *Facundus* queritur pro defenſione trium Capit. Lib. IV p. 166, L. VII in fine, L. VIII p. 343. Hoc agnoverunt [*] *Neſtoriani* veteres, ex quorum numero erat Meletius, Theodori in Epiſcopatu Eccleſiae Mopſueſtenae ſuccesſor, qui cum aliis quibusdam Epiſcopatu ſeſe abdicare, et exilium colere, quam doctrinae Cyrilli et *Neſtorii* condemnationi ſubſcribere, malebat. Eius autem haec ſunt verba (*a*) in epiſtola ad Titum: *Ipſam fidem ſerva-*

(*z*) Vide eius epiſtolam ad Imperatorem Theodoſium in Synodico Casſin. c. CXCVIII, adde omnino cap. CCV, quod valde notabile est, item CCVI, CCXII, coll. cap. CC et CXCIX.

(*a*) In Synodico adverſus tragoediam Irenaei, epiſt. CLII, apud *Garnerium* in Auctario Operum Theodoreti p. 651. b.

[*] Neſtoriani praecipuos magiſtros tres numerant, Diodorum, Theodorum et Neſtorium. Vid. *Asſemanus* Bibl. Or. t. III part. 1, p. 76, 84, 99, 105, 166.

vamus Apoſtolicam, et a beatis Patribus traditam, quam a magno Theodoro, qui ea, quae illi tradidere, tradens claruit, accepimus. Operam itaque dederunt *Neſtoriani* Orientales, ut Diodori Tarſenſis et Theodori Mopſueſteni ſcripta, in linguam Syriacam, Chaldaicam, Armenicam et Arabicam converſa, ab omnibus etiam plebeiis inter ſuos hominibus legi poſſent, teſtibus *Liberato* in Breviar. c. x, et *Leontio* (*b*) Lib. III. adverſus Neſtor. Nec minus id libenter agnoſcunt *Neſtoriani* recentiores in Syria, quosque in India degentes Luſitani ad communionem Eccleſiae Pontificiae vi compulerunt. Et eam quidem ob cauſam Alexius Menezius, Goanus Archi-Epiſcopus, cuius primae fuerunt in hac bonorum Chriſtianorum Indorum μεταμορφώσει partes (*c*), in Synodo Diamperienſi eos coëgit anathema dicere *Neſtorio*, et haereſeos huius primipilis, Diodoro et Theodoro. Trium eorumdem, *Neſtorii* videlicet, Diodori et Theodori, memoriam *Neſtorianos* hodieque in Feſto commemorationis doctorum Graecorum feria VI hebdomadis 5 poſt Epiph. recolere, *Renaudotus* obſervat in Collectione Liturgiarum Orientalium, apud doctiſſ. *Fabricium* Bibl. Gr. Vol. IX p. 156 [*]. Haec igitur V. cauſa fuit, ob quam Theodorus ille, inimicis *Neſtorii*, plus quam dici poteſt, inviſus, ab iis diu poſt obitum cum doctrina et ſcriptis condemnatus et anathemate percus-

(*b*) In Monumentis *Caniſii* Tom. I p. 378.

(*c*) Vide Synodi huius Acta, Actione II. decret. 2, ex edit. Anglica Mich. Geddeſii p. 113, et celeberrimi *la Crozii* Hiſtoire du Chriſtianisme dans les Indes Liv. III p. 189.

---

[*] Comparetur *Aſſemanus* in Bibl. Or. t. III part. II p. 224, 381.

cussus fuerit. Recte hoc quidem observat eruditissimus *Bergerus;* sed non parum memoria ipsum fefellit, ubi de utroque, Diodoro et Theodoro, scribit: *Ipsos, perlustratis eorum commentariis, una cum Nestorio aliisque, in Ephesino Concilio condemnatos fuisse*, in Orat. p. 14 (*d*). Nam in Concilio Ephesino nihil actum est, quod memoriam aut Diodori, aut Theodori laederet. Et constat omnes de Theodori doctrina controversias post illud Concilium demum auditas fuisse (*e*). In Concilio Chalcedonensi, cum causa Theodori agitaretur, Patres eum ab haereseos crimine liberandum esse censuerunt, uti multis ostendit *Facundus* in defensione trium Capitulorum. Vide et omnino *Leontium* de Sectis p. 486. Posthaec demum fraudibus suis Acephali et semi-Eutychiani eo rem perduxerunt, ut Episcopi in Concilio V congregati, Iustiniani Imp. voluntati se submittentes, Theodoro anathema dicerent Quod aegre fert *Leontius* de Sectis p. 488, 490 Quis itaque miretur, in hoc Concilio *Nestorium* et Theodorum perpetuo coniungi, et a Theodoro potissimum totam haereseos labem derivari Can IV, *οἱ τὰ Θεοδώρου καὶ* Νεϛορίου *φρονοῦντες*, Can. V, *καθάπερ ὁ Θεόδωρος καὶ* Νεϛόριος, Can. VI

(*d*) Ita etiam scribit *Simeon Beth. Arsamensis*, scriptor Syrus seculi VI, sed ignorantiae admirandae, apud *Assemanum* in Bibl. Orient. T. I p. 349.

(*e*) Vide epistolam *Cyrilli* ad Proclum Constantinopolitanum, servatam in Actis Concilii V. Vide Tom. V Concil. Labb. col. 593. Nestoriani nomen Diodori et Theodori publice praeferre et scripta eorum in hac causa omnibus obtrudere coeperunt anno 433, biennio post Concilium Ephesinum, atque tum demum adversus Theodorum acuerunt stylum orthodoxi. Vid. *Garnerii* Praefat. in Tom. II Opp. Mercatoris p. LII.

VI dicitur, *haeresin, quae Mariam negat esse Θεοτόκον, a Theodoro adinventam esse.* Diodori autem Tarsensis nomen, memoriam et scripta Ecclesia numquam publico iudicio condemnavit, nisi quis putet, Conciliabuli Diamperiensis, ab Archi-Episcopo Goano anno 1599 in India coacti, quod anathema etiam Diodoro dixit, rationem quoque haberi posse. Merito autem doctissimus *Lacrozius* insignem illius Archi-Episcopi et ignorantiam et impudentiam, quod Diodorum, cuius memoriam vetus Ecclesia lacerare non ausa est, ipse duodecimo post mortem eius seculo anathemate percutere in animum induxerit, notavit in Historia Christianismi Indici L. III p. 190 [*].

§ 6. Non ignoro, contra ea, quae hactenus de consensu doctrinae *Nestorii* cum doctrina Theodori Mopsuesteni disputavi, obiici non sine magna specie posse, Orientalis Ecclesiae doctores, Iohannem Antiochenum, Theodoretum, et in universum omnes, qui cum his faciebant, talem doctrinae inter *Nestorium* et Theodorum consensionem palam negasse, idem-

---

[*] Archiepiscopi errorem redarguit quoque *Assemanus* t. III Bibl. Or. part. II p. 225. Scribit *Fabricius* vol VIII Bibl. Gr. p. 361: *Ceterum licet ambos*, Diodorum Tarsensem et Theodorum Mopsuestenum, *condemnatos esse* in *Synodo quinta*, *scribat* Photius *Cod.* XVIII, *tamen in Synodi Actis hoc non reperitur.* Affirmant autem Patres Concilii Oecumenici, Constantinopoli a. 754 celebrati, ut patet ex Actis Concilii Nicaeni II, Act. VI, ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθοῦσα — ἥτις ἀνεθεμάτισεν — Θεόδωρον τὸν Μοψουεστίας καὶ Θεόδωρον (Διόδωρον legendum esse, recte monet *Mansi*) τὸν καθηγητὴν Νεστορίου — μετὰ τῶν ἀσεβῶν αὐτῶν δογμάτων, tom XIII. Collect. Conciliorum Mansianae p. 236. Solius Theodori Mopsuesteni fit mentio in eiusdem Synodi Act. I, tom XII p. 1038.

idemque a Rabula, Theodoto Ancyrano, Acacio Meliteno horumque sequacibus, *Nestorio* et *Nestorianis* obiectum, aegerrime tulisse. Qua de re videri potest, qui accuratissime haec Orientalium certamina descripsit, candidi non minus pectoris, quam elegantis vir ingenii, *du Pinius* in historia Concilii Ephesini. Vide eius Biblioth. T. IV p. 318, 319. Eamdem cum Orientalibus hisce tibiam inflabant orthodoxi in Occidente, Africani praecipue, qui sequenti seculo sexto trium Capitulorum causam adversus Acephalos defendendam sumserunt, uti vel ex uno *Facundi* Commentario abunde intelligitur. Rationem autem, quae Orientalibus illis et trium Capitulorum defensoribus persuaserit, ut memoriam Theodori tuerentur, omneque *Nestorianismi* crimen, postquam *Nestorius* pro haeretico haberi et agnosci debuit, ab eo amolirentur, nemini obscuram esse puto. Nam, quod ad Orientales attinet, illos aliter agere non potuisse, certum omnino est. An eum calumniis et conviciis libere proscindi, et anathematibus percuti, patienter ferre poterant, cuius nomine et memoria nihil in Oriente erat venerabilius? An in eius ceu haeretici condemnationem poterant consentire, quem communem magistrum suum agnoscebant, cuius doctrinam ipsi imbiberant? Videantur eam in rem epistolae Iohannis Antiocheni, nomine totius Synodi Orientalis ad Theodosium iuniorem Imp., ad Proclum Constantinopolitanum, et ad Cyrillum Alexandr. conscriptae, apud *Facundum* Lib. VIII. Orientales igitur causam suam agebant, cum Theodori causam tuebantur. Neque ratione carent conatus Occidentalium seculo sexto pro defendenda memoria Theodori, adversus molimina inimicorum eius. Etenim, qui, imperante Iustiniano, Theodorum et scripta Theodoreti infamia notari et pu-

blice condemnari difcupiebant, qui, ut hoc perficerent, fumma imis mifcebant, quique in Concilio ita dicto quinto voti fui tamdem compotes facti funt, Acephali erant, Concilii Chalcedonenfis et doctrinae eius inimici, qui et eo Theodori et Theodoreti damnationem anhelabant, quod in Concilio Chalcedonenfi abfoluti fuisfent. Horum dolis et machinationibus, quibus quafi per cuniculos ipfum Concilium Chalcedonenfe adoriebantur, iuftisfima de caufa orthodoxi fe pro virili oppofuere. Et vetabant etiam regulae charitatis et aequitatis, quarum Patres Chalcedonenfes rationem quoque habuerant, ut Theodorus, qui vitam cum laude in luce omnium tranfegerat, quique in pace Ecclefiae mortuus erat, post mortem publico iudicio communione Ecclefiastica privaretur, ubi caufa eius non audiri, nec interpretatio, quam is verborum fuorum forte fuppeditaturus erat, examinari poterat. Et fi denique rem ipfam [illegible]entius et ab omni parte verfemus, deprehendemus omnino, diverfam fuisfe Theodori et Neftorii caufam, etfi doctrina eadem fuerit. Nam I. Diodoro et, difcipulo eius, Theodoro res erat cum Apollinariftis et Synufiastis, qui unicam in Christo naturam agnofcebant, et ea, quae humanitati propria funt, Divinae naturae adfcribebant, uti in fequentibus edisferam prolixius. Cumque numerus horum in Oriente excrefceret, et doctrina eorum periculofa multis placere coepisfet, illi phrafes iftiusmodi declinabant, quae, etfi alioquin bonae et innoxiae, fi recte explicentur, Apollinariftis tamen ita favebant, ut fub illarum patrocinio ipfi latere et doctrinae fuae venenum incautis inftillare posfent; et huiusmodi vicisfim feligebant loquendi modos, qui difcrimen naturarum evidenter docerent et inculcarent. *Neftorius* autem difputabat adverfus orthodoxos, nullo amplius Apollina-

linarismi periculo imminente. Hac ratione Theodorum excusari legimus ab Orientalibus in epistolis ad Imperatorem, ad Proclum, et ad Cyrillum datis, apud *Facundum* Lib. VIII. Adde *Leontium* de Sectis p. 450. Et hoc argumento ipse quoque *Facundus* in defendenda Theodori memoria non raro utitur. Vide eum citato Lib. VIII p. 336, 337, coll. Lib. III p. 125. II. Fatendum quidem est, Theodorum et reliquos Orientales phrasibus certis et peculiaribus, quas tamen et alii orthodoxi nonnumquam adhibuere, ceu suis usos fuisse saepiuscule, et cum aliqua affectatione, ex qua etiam hodie scripta eorum dignosci possunt. At non alias tamen orthodoxorum voces plane respuebant. Sic v. c. Theodorus non modo vocabulo συναφείας utitur, sed etiam ἑνώσεως. *Nestorius* autem phrasium huius scholae multo erat tenacior, et difficilius ab illis recedere sustinebat. Certe, antequam Concilium Ephesinum indictum esset, Iohannes (*f*) Antiochenus et Theodoretus (*g*), genuini Theodori discipuli, iidemque *Nestorii* sub hoc magistro commilitones, *Nestorium* monuerunt per literas, ut vocem Θεοτόκος, recte ab orthodoxis explicatam, sine cunctatione libere admitteret pacis studio, ne quid Ecclesia inde caperet detrimenti. Docet *Nestorii* responsoria (*h*) epistola, eum quidem vocem Θεοτόκος satis bene explicare, verum spreto tamen hoc consilio prudenti amicorum et condiscipulorum suorum.

(*f*) Epistola Iohannis Antiocheni legitur in Actis Concil. Ephes. Part. I c. XXV § 4.

(*g*) *Theodoretus* unus ex illis fuit, quorum nomine et consilio epistola illa scripta est. Aut forsitan ipse verus eius auctor fuit.

(*h*) Vide eam in collectione Casinensi apud *Garnerium* in Auctar. Operum Theodoreti p. 550 etc.

rum, viae, quam ingresſus ſemel erat, porro inhaerere maluisſe. Quamtumvis igitur a Theodoro phraſes ſuas accepisſet *Neſtorius*, quae aliorum auribus diſplicebant, non eadem tamen, qua ille, valebat eruditione et prudentia, neque eumdem ipſi hae locutiones uſum praeſtabant, quem Theodoro praeſtiterant.

§ 7. Oſtendi hactenus, a quibus *Neſtorius* doctrinam ſuam acceperit. Venio nunc ad alterum Disſertationis huius ſummum caput, ad fundamentum doctrinae Theodori et Orientalium de incarnatione, quod vera *Neſtorianismi* origo dici meretur. Verbo ſupra monitum iam eſt, celebres hos Orientis doctores, Diodorum et Theodorum, in capitibus de Trinitate et de incarnatione, peculiares loquendi modos adſcivisſe, non quidem in univerſum novos, ſed quorum tamen crebrior et continuus uſus ipſis proprius fuit, praecipue, cum alias uſitatiores phraſes interea negligerent. Harum phraſium frequentiorem uſum ipſa quodammodo temporum necesſitas, et periculum, quod a perniciofis haereſibus Eccleſiae tum imminebat, iis expresſit, ac veluti extorſit. Naſcentibus enim gravibus et periculoſis erroribus, quorum architecti locutionibus S. Scripturae, aut etiam phraſibus Eccleſiaſticis, perverſum ſuum ſenſum induunt, aliter fieri nequit, quam ut novae dicendi formulae adinveniantur, doctrinam Eccleſiae diſtincte et accurate referentes, ambiguitatem omnem removentes, et ſic fraudes haereticorum evertentes. Quis neſcit, per certamina cum Sabellianis, circa diſtinctionem Perſonarum S. S. Triados, factum esſe, ut ratio dogmata haec tradendi in quibusdam innovaretur? Tum vel primum vel frequentius audita ſunt vocabula *Perſonae*, *Eſſentiae*, *Trinitatis*, *Conſubſtantialis*, *προσώπου*, *ὑποςάσεως*, *οὐσίας*, *ὁμοουσίου*. Eadem accuratius definiri coeperunt occaſione contro-

troverſiarum Arianarum, ipſis orthodoxis de vero vocum harum ſenſu et uſu inter ſe dimicantibus. Alia proinde facie et iſthac aetate diſciplina Theologica conſpicienda erat, qualem nempe tempora poſcebant. Conſimilis cauſa Diodorum et Theodorum, magnos Orientis doctores, horumque ſectatores coëgit, dogma de Trinitate et incarnatione eo modo explicare, qui temporibus, in quae inciderant, et erroribus furtim in Eccleſiam tum ſe inſinuantibus, esſet accommodatus. Erant autem illa aetate haereſes duae, quae regiones Orientis pervagabantur, et incrementum captura erant, niſi obſtitisſent fortisſimi hi orthodoxiae propugnatores, haereſis Arianorum, Trinitatem evertens, et Apollinariſtarum, incarnationem deſtruens. Quantos utraque haec haereſis in Oriente progresſus fecerit, quamque opus fuerit exercitatis et eruditis viris ad conſervandam fidei puritatem, *Sozomenus* pro me dicat, qui de temporibus iſtis in haec verba ſcribit: *Parum certe abſuit, quin Orientis omnes Provinciae, a Cilicia usque ad Phoenicen, Apollinaris haereſin amplecterentur; Eunomii autem haereſis, a Cilicia et monte Tauro ad Helleſpontum usque et Conſtantinopolin, cuncta propemodum occupavit*, Hiſtor. Eccleſ. L. VIII c. 27. Haec itaque arena fuit, in qua Diodorus et Theodorus per totam ſuam vitam deſudarunt; in id, ut horum adverſariorum impetus ſubdolos frangerent, ut pectora ſuorum adverſus illorum ictus communirent, omnem ingenii ſui aciem omnesque vires contulerunt. Docent hoc libri a Diodoro et Theodoro conſcripti, deperditi quidem, quorum inſignis quondam exſtabat numerus, ſed quorum notitiam dabit celeberrimus *Fabricius*, de Diodoro agens, Biblioth. Graec. Vol. VIII p. 358 et ſqq., de Theodoro Vol. IX. p. 153. ſeq. Et Theodorus quidem

de se ipse (*i*) alicubi haec testabatur: *Ante triginta iam hos annos de incarnatione Domini codicem conscripsimus usque ad quindecim millia versuum pertingentem, in quo Arii et Eunomii de hac re delicta, nec non etiam Apollinarii vanam praesumtionem per totum illud opus examinavimus: ut nihil, sicut mea fert opinio, praeterirem ex his, quae ad firmitatem Ecclesiasticae orthodoxiae pertinerent, et ad convincendam eorum impietatem.* Et supersunt ex his Theodori libris, quos de incarnatione et adversus Apollinarem (*k*) scripserat, non pauca fragmenta, ex quibus de ipsius doctrina iudicium ferri potest. Theodori vestigia legerunt eius discipuli, *Nestorius*, qui, in sermonibus a *Mario Mercatore* servatis et in aliis λειψάνοις, hoc unum quasi

(*i*) Verba haec et quae sequuntur, ex libro *Theodori* contra Apollinarem, adfert *Facundus* Lib. x c. 1. p. 417. Conf. *Gennadius* de Scriptor. Eccles. c. 12. Obiter observa, librum *Theodori* de Incarnatione ab ipso editum fuisse Antiochiae, quemadmodum § 5 iam monuimus. Ex quo et hoc colligas, officii demandati rationem postulasse, ut haereticis se opponeret. Erat enim Presbyter Catechista Antiochiae, id est, Ecclesiae illius veluti doctor Theologus. Partes huius muneris *Garnerius* exponit Praefat. in *Marium Mercat.* T. II p. IV: *Fidem in Ecclesia non tantum competentibus exponere, sed etiam adversus haereticos defendere, duo erant Presbyteri Catechistae officia.* Adde doctissimum *Fleury* Hist. Eccles. Tom. v p. 604.

(*k*) Orientales Episcopi, in epistola Synodali ad Acacium Berroeënsem scripta, aiunt: *Olim quidem perdocuimus tuam Sanctitatem, quanto studio egerimus, ut ab Ecclesiasticis dogmatibus radicitus amputemus Apollinarii vesaniam, redivivam per Cyrilli Alexandrini doctrinas.* Vide Synodicum Cassin. cap. 19 p. 714 edit. Baluzii.

quasi agit, ut Arianos et Apollinaristas confodiat, et *Theodoretus*, cuius de incarnatione scripta, aliaeque adversus Arianos, Macedonianos et Apollinaristas commentationes, a viris eruditis diligenter recensentur. Testantur idem expositiones fidei, aut Symbola *Nestorianorum*, quae ad manus nostras pervenere. Cuiusmodi est expositio illa fidei, quae sub nomine *Iustini Martyris*, interque eius opera, saepius edita est Ne quis autem miretur, me Symbolo huic inter *Nestorianorum* Symbola locum concedere. Etenim ab alio, quam *Nestoriano*, scribi illam fidei expositionem non potuisse, in qua omnes *Nestorianismi* notae characteristicae apparent, eruditis iam persuasit argumentis certissimis postremus isque doctissimus *Damasceni* Operum editor *Mich. le Quien*, Dissertat Damascen. IV § 11 (*l*). Et is quidem rectissime animadvertit, in hac expositione phrases occurrere Diodori et Theodori. Ego vero iam non dubito, quin eius verus auctor sit ipse Theodorus, quod alias argumentis pluribus ostendam. Tota illa fidei expositio duas habet partes. Prior pars Θεολογικὴ, ut cum veteribus loquar, doctrinam de Trinitate tradens, Arianis, Eunomianis et Macedonianis opposita est. Posterior pars οἰκονομικὴ, mysterium incarnationis sollicite explicans, ferit Apollinaristas, quos (*m*) et auctor alloquitur. Eumdem

(*l*) Ante *le Quien* iam dudum id observaverat *Iacobus Wellerus* adversus Masoni Anatomiam Part. II c. 9. Argumenta eius refert et probat *Tentzelius* in Exercitationibus selectis Part. I p. 186, 187.

(*m*) In Operibus *Iustini Mart.* p. 386. D. uti vertendum puto: *Dicite nobis, qui doctrinam Christianam vos annunciare simulatis, qui ad evertendas duas in Christo naturas talia quaeritis et obtenditis, qui commixtionis et confusionis ergo, atque ut corpus in Divinita-*

dem modum ordinemque servat (*n*) Symbolum illud *Nestorianum*, quod in Concilio Ephesino a Charisio oblatum fuit, quodque plurimi, post *Marium Mercatorem*, Theodoro Mopsuesteno ceu auctori tribuunt, licet hoc *Facundus Hermianensis* inficias iverit Lib III p. 106, 123, 124. Si recte iudico, illud ex maiori et prolixiori ipsius Theodori Symbolo concinnavit, et in hoc compendium redegit aut *Nestorius* ipse, aut aliquis eius assecla, quod iam pluribus non persequor. Et sic dissentientes facile inter se conciliari possunt. *Facundus* id publice negare non sustinuisset, si ante tempora Concilii Ephesini tale Symbolum sub Theodori nomine notum vulgo fuisset, aut si argumentis invictis ipsi vindicari vidisset. Alii nihilo tamen minus professionem hanc Theodori nomine insignire poterant, quia ex eius Symbolo et scriptis, servato (*o*) etiam aliquando in-

tatem convertatur, huiusmodi difficultates nectitis, qui modo dicitis, Verbum conversum esse in carnem, modo, carnem transiisse in substantiam Verbi; quibus auctorem hunc Apollinaristas ferire, nemo non videt. Conf. *Leontius* de Sectis p. 448.

(*n*) Vide inprimis Opera *Marii Mercatoris* Part. I pag. 284. edit. Garner., ubi duae Symboli huius partes, Theologica de Trinitate, et oeconomica de incarnatione, etiam ab editore conceptis verbis distinctae sunt.

(*o*) Sic v. g. in Symbolo Charisii § 7, ex editione *Mercatoris* Part. II p. 252, haec verba occurrunt: *Vnum igitur Deum dicimus et Dominum Iesum Christum, per quem omnia facta sunt, principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, qui secundum essentiam Filius Dei est et Dominus, complectentes autem cogitatione et eum, qui susceptus est, tamquam ad Deum Verbum habentem coniunctionem, et participantem Filii et Domini dignitati.* Haec ipsa legebantur in Theodori Commentario de Incarnatione totidem verbis, et exinde prolixe ci-

integro verborum ordine, consarcinatum esse, dubio caret, etsi in tota compositione *Nestorii* magis quam Theodori ingenium cernere mihi videar.

§ 8. Haec igitur erat ratio doctrinae Theologicae Diodori, Theodori, et Orientalium, ut capita de Trinitate et de incarnatione exquisitius, adversus Arianos et Apollinaristas, et dilucidius exponerent. De doctrina Orientalium circa Trinitatis mysterium plura dicendi, locus hic non est, *Nestorianismum* enim non spectat, neque in illa orthodoxi (*p*) iure quidpiam observabant, ceu a sua doctrina diversum, nisi quod Theodorus et post eum Theodoretus, genuinus eius discipulus, processionem Spiritus S. e Patre tantum, non e Filio quoque esse asserent. *Nestorianismum* itaque continent locutiones illae, quibus Diodorus, Theodorus, et quoscumque illa schola dedit alii, incarnationis doctrinam dilucidius tradi, quibus praesertim adversus Apollinaristarum errores, fraudes et ambiguitates muniri posse, censebant. Apollinarismus eo tendebat, ut in Christo unica natura Divina agnosceretur, omne inter duas naturas discrimen tolleretur, adeoque earumdem confusio introduceretur, uti hoc in Symbolo Theo-

citantur a *Mario Mercatore* P. II p. 261. Miror, *Garnerium*, qui tantopere in eo laboravit, ut ostenderet, Symbolum illud Charisii revera Theodori esse, hoc non observasse.

(*p*) Obiiciebatur quidem Theodoro nonnumquam modo Sabellianismus, modo etiam, eum quaternarium, non Trinitatem Personarum, docere, quae quidem duo crimina se mutuo tollunt et evertunt. Luculenter hasce calumnias a Theodori memoria amolitur *Facundus* Lib. III cap. V, et Lib. IX c. I. Affirmat *Leontius* de Sectis p. 434, Samosateni doctrinam a doctrina *Nestorii* diversam fuisse, additque p. 436, περὶ γὰρ τὴν Τριάδα οὐχ' ἥμαρτεν ὁ Νεςόριος.

Theodori expresſum iam vidimus, citato in § ſuperiori. Diodorus et Theodorus, errori huic obviam ituri, ſic incarnatum esſe Deum Verbum docebant, ut, quod antea erat, manſerit, quod vero non erat, asſumſerat in unitatem Hypoſtaticam, quae quidem unio esſet ἄκρα ſumma, quae mente concipi posſit, ſed quae tamen diſcrimen naturarum nullo pacto tolleret, quamobrem una cum perſonae Chriſti unitate, naturarum quoque diſcrimen in evidentisſima luce collocare, urgere atque inculcare, praecipuus eorum in hoc dogmate labor erat. Hic Apollinariſtas confutandi conatus omnes illas locutiones Orientalium, quae orthodoxis diſplicuerunt, produxit, quod res ipſa clamat, quod veteres teſtantur, quod pro excuſando Theodoro non raro iidem afferre in medium ſolent. Ita a Iohanne Antiocheno factum videmus in epiſtola nomine Synodi Orientalis ad Cyrillum Alexandrinum exarata, in qua haec verba (q) leguntur: *Quis autem mentem habentium neſcit, quia ea, quae dure a B. Theodoro dicta ſunt, necesſitate compulſus dixit? Proponebat enim eum totus in commune Oriens inter eos, qui ante nos fuerant, ſicut virtutem multum doctrinae habentem adverſus haereſes, contra quas pugnans et dimicans, multa quadam diviſione uſus est, non ex pravo intellectu veniens, ſed efficacius adverſus haereticos illo modo uti iudicans: neque unitatem ſummam ignorans, vel negans, abſit (pleni enim huiusmodi ſunt omnes eius libri) ſed naturarum proprietates amplius dividens, ſicut ei pugna, quam adverſus haereticos habuit, faciendum dictabat.* Idem argumentum *Facundus* ſic proſequitur Lib VIII p. 337: *Agebat enim Theodorus frequenter, tam libris, quam*

(q) Apud *Facundum* Lib. VIII p. 333.

quam sermonibus in populum, contra Synusiastas, sive, ut ab auctoris sui nomine sunt vocati, Apollinaristas, progenitores Eutychianae dementiae, qui temporibus eius exorti unam Christi dicebant esse naturam. Quibus repugnans, si forte per humanam fragilitatem lapsus invenitur in verbo, quid impium Synodus fecit, quod eum, tantis attestantibus, credidit in sensu mansisse Catholico? maxime quia necdum perfidia Nestoriana surrexerat, quae sollicitum semper ex altera parte faceret disputantem; sed hoc solum, quod vincere proposuerat, attendebat. Vide et eumdem L. x p. 457

§ 9. Non inutile puto, id quod veteres de Theodori doctrina, ceu errori Apollinaris opposita, perhibent, ipsius doctrinae Theodorianae testimonio luculentissimo comprobare, oppositionem inter Apollinaris et Theodori dogmata distinctius ostendendo, ex quo scopus et usus dictionum Theodori, quas *Nestorius* ab eo acceptas suas fecit, tanto clarius apparebit. Quod ut recte fieri possit, Apollinarismi rationem prius perspectam nobis et bene cognitam esse oportet. Tametsi autem multa praeclara iam a viris eruditis, praesertim a *Iacobo Basnagio* in historia haereseos Apollinaris, ad illustrandam hanc historiae Ecclesiasticae partem prolata sint, sagax tamen et candidus rerum aestimator non negabit, restare etiamnum, quae maiori luce indigent. Non vana tamen spes nos tenet, fore, ut omnes istae tenebrae a doctissimo *Saligio*, in historia Eutychianismi, quae sub praelo sudare [*] dicitur, penitus discutiantur. Dubium non esse potest, quin ori-

[*] Scribit *Mosbemius* anno 1755, Inst. Hist. Eccl. p. 225: „ Caremus adhuc solida et accurata turbarum Eutychianarum Historia, quam tamen scriptam reliquit *Christ. August. Saligius.*" Neque *Schroeckhius* a. 1793 eiusdem Historiae mentionem fecit.

origo Apollinarismi (*r*) fuerit ſtudium Arianis contradicendi, et adverſus eos ſummam Filii aequalitatem cum Patre (τὸ ὁμοούσιον) asſerendi. Quaenam autem vera fuerit Apollinaris mens, quod iam in Exercitatione profesſus ſum p 6 [162], dictu perquam difficile est. Cuius iudicii necdum me poenitet. Nonnumquam de duabus naturis, earumque diſcrimine, tam aperte loquitur et talibus verbis, quae ſupra reprehenſionem poſita ſunt. Quaedam Apollinaris, eiusque asſeclarum, eam in rem loca produxi in Exercitatione p. 32 et ſqq. [§ 7]. Quibus addi posſunt haec ipſius Apollinaris (*s*) verba: *unione Verbi, Divina facta est caro, non natura. Quare in unione habet, ut perſeveret Divina esſe, ſicut ipſe ait:* Spiritus est, qui vivificat carnem. *Non enim potest corpus fieri incorporeum, ut alii ſtulte dicunt;* item haec *Timothei* (*t*) Apollinariſtae: *Melius est dicere, carnem quidem asſumſit nobis conſubſtantialem, unione autem Divinam reddidit,* et post alia: *Caro autem, ut caro Dei, Deus.* Plura, quae et ibidem leguntur, et aliunde conquiri posſunt, brevitatis ſtudio lubens praetermitto. Verum Apollinaris ſibi non conſtitit, Protei inſtar varias figuras induens, quemadmodum *Theodoretus* eum nobis repraeſentat Hiſt. Eccleſ. Lib. v c. 3.

(*r*) Conf. *Socrates* Lib. II cap. 46. Videtur veram Apollinarismi originem tradere *Philoſtorgius* Lib. VIII Hiſt. Eccl. c. 13; quantum attinet ad perſonam Christi, ſed fide admodum incerta addit, Apollinarem negasſe reſurrectionem mortuorum.

(*s*) Apud *Leontium* adverſus fraudes Apollinariſtar. in Monumentis *Caniſii* Tom. I p. 600. Gemina plane his Apollinaris verbis ſunt verba anonymi Syri, Iocobitae, apud *Asſemanum* Biblioth. Orient. Tom. II p. 192.

(*t*) Apud eumdem *Leontium* l. c. p. 604, etc.

c. 3. Vbi ſemel extra Sacram Scripturam vagatus, ingenio (*u*) ſuo habenas laxavit, modo in Scyllam, modo hanc vitaturus in Charybdin incidit. Praeterea, cum conſtanter et ſine tergiverſatione doceret, Christum caruisſe mente rationali humana, eiusque vicem ſuſtinuisſe in eo Divinitatem, ut abſurdum hunc non minus quam impium errorem defenderet, ea dicere coactus est, quae συνουσίωσιν, confuſionem et commixtionem naturarum, involvebant. Non ita erat ab omni ratione repulſus Apollinaris, vir ceteroquin praeſtantis ingenii, quin videret praecipitia, ad quae opinio ſua veſana recte deducebat. Quare cum ſemel viae huic ſe commiſisſet, ut proprium dedecus pro virili celaret, etſi in aliis facundia eum non deſtitueret, in hiſce tamen quae de incarnatione compoſuit ſcriptis, adeo obſcure mentem ſuam declaravit, ut difficulter illa comprehendi potuerit. Queritur hoc *Baſilius M.* (*v*) et ſaepisſime *Gregorius Nysſenus*, qui in Antirrhetico, (ex quo prolixa fragmenta apud *Euthymium* exſtant, quemque *Laurentius Zacagnius* feliciter repertum in Collectione Veterum Monumentorum primus edidit Romae a. 1699), aliquem Apollinaris librum presſo pede ſequitur. Et fatendum omnino

(*u*) *Baſilius M.*, qui quondam Apollinari amicus fuerat, quique ab inimicis nimiae in eum propenſionis accuſabatur, ita de Apollinare ſcribit Epiſt. LXXIV, Opp. Tom. II p. 876: *Sunt vero et illa, quae ad Theologiam pertinentia ſcribit, non ex Scripturae probationibus, ſed ex humanis argumentis adſtructionem habentia.* Vide et ea, quae ſequuntur. Adde Epiſt. CCXCIII, in qua maiori fervore in Apollinarem invehitur. Eumdem tacito nomine non leviter perſtringit Epiſt. LXV. Eadem Apollinari ſaepe obiicit *Theodoretus* in Dialogis.

(*v*) Vide *Baſilii M.* epiſtolas paulo ante citatas.

no est, occurrere illic, quae oedipo aliquo indigent. Quod etsi ita se habeat, nemo tamen negat, Apollinarem saepe unicam in Christo tantum naturam agnovisse et professum esse, ipsumque non minus, quam sectatores eius, ea, quae humanitati Servatoris propria sunt, Divinitati attribuisse, exclusa natura humana, tamquam illa penitus sublata fuisset, aut tamquam eius nulla habenda ratio esset. Huic Apollinaris doctrinae opposita fuit doctrina Orientalium. Quando namque Apollinaristae volebant, post incarnationem in Christo unicam fuisse naturam, Divinam, ad quam omnia, quae de Christo praedicantur, referenda essent, et nativitas, et passio, et mors, et resuscitatio, regerebant Diodorus, Theodorus, et Orientales, unum quidem esse Christum, sed duas naturas, in eodem semper inconfuse permanentes, quarum utraque certas suas haberet proprietates, ita ut Christus quidem natus, passus, mortuus, et resuscitatus sit, hoc tamen non de Divinitate, sed de humanitate intelligi dicique debeat. Breviter hanc doctrinam suam, sed satis nervose, proponit Theodorus in Expositione Fidei, quae sub nomine *Iustini Martyris* vulgo nota est, p. 381 et 382: *Vnus ergo est Filius et qui solutus est* (morte), *et qui id, quod solutum fuerat, resuscitavit. Nam qua homo solutus est, qua vero Deus, resuscitavit.* Vide et omnino sequentia. Quando Apollinaristae confugiebant ad verba divini Apostoli: *Verbum caro factum est*, Ioh. I. 14, quasi haec summam doctridae suae, id est, conversionem unius naturae in alteram, aut commixtionem utriusque continerent, Orientales reponebant, adiungenda esse verba proxime sequentia: *et habitavit in nobis*, id est, uti ipsi explicabant, *in nostra natura;* talem proinde incarnationem et duarum naturarum unitionem intelligendam esse, quae

ſit inhabitatio naturae Divinae in natura humana, quaeque diſcrimen naturarum etiam post unionem permanens neceſſario involvat. Quam *Neſtorianorum* phraſin in Exercitatione mea prolixe explicui. Sed ut error errorem gignit, ita ex radice illa doctrinae Apollinariſtarum, *unam eſſe in Christo naturam*, plures propullularunt ramusculi. Operae pretium est, ad recte pernoſcendum *Neſtorianismi* genium, etiam hos ſingulares haereſeos Apollinariſticae ſurculos attentius conſiderare, et cum iis doctrinam Orientalium comparare. Posſumus autem omnes hosce Apollinariſtarum errores ad tres commode claſſes redigere. *Quidam* enim reſpiciunt naturas Christi Θεανθρώπου, Divinitatem et humanitatem ſeparate ſpectatas. *Quidam* pertinent ad unitionem duarum naturarum. Et *alii* denique referri posſunt ad ea, quae unionem conſequuntur.

§ 10. Sunt inter errores Apollinaris quidam, qui naturas in Christo ſeparatim ſpectatas afficiunt.

א. De natura namque Divina docebat, eam pasſionibus et morti obnoxiam esſe. Pleni ſunt huius accuſationis omnes veterum libri, qui de Apollinaris haereſi agunt. Et huic errori *Theodoretus* tertium Dialogum Polymorphi oppoſuit, inſcriptum Ἀπαθῆ, quo nempe oſtendere voluit, Divinitatem Chriſti pasſionibus obnoxiam non esſe. Nolo tamen esſe iniquus. Commemoro, quae de Apollinaris haereſi alii referunt. Perſuaſus de reliquo ſum, Apollinarem de Divinitate in abſtracto conſiderata talia non cogitasſe. Idcirco haec non Divinitati in univerſum, ſed Divinitati tantum Filii adſcripſit. Putavit enim in Filio hoc conſequens esſe unionis duarum naturarum, ut, quodcumque de Christo praedicatur, ad Divinam quoque naturam referri debeat, quia post unionem unam tantum in eo naturam agnovit. Itaque ſuo loco de hoc Apollinaris errore dicendum

esse censeo, ubi de consequentibus unionis ex mente Apollinaris agemus.

ב. Quos de natura Servatoris nostri humana fovit, errores notissimi et indubii sunt, quippe quos deprecatus non est, quos sine tergiversatione et ambiguitate libere eructavit. Docuit namque (α) naturam humanam a Servatore assumtam non integram fuisse et perfectam, sed aliqua et praecipua quidem sui parte truncatam (x). Concipere nempe non potuit, quomodo duae naturae rationales plane perfectae in unicam hypostasin coire possint. En eius verba ex Antirrhetico *Gregorii Nysseni* c. XXII p. 173, Καὶ τὶ τούτων σαφέστερον, εἰς τὸ μὴ ἕτερον μεθ' ἑτέρου εἶναι, Θεὸν τέλειον μετὰ τοῦ τελείου ἀνθρώπου, i. e. interprete *Zacagnio: Et quid his manifestius est, ad ostendendum, non (y) alterum cum altero unitum esse, perfectum nempe Deum cum perfecto homine.* Apertius mentem eius declarant, quae in eodem Antirrhetico citantur c. XXXIX p. 223, et c. XLIII p. 232, ubi et rationem huius dogmatis expressam vides, Καὶ γὰρ εἰ τελείῳ ἀνθρώπῳ συνήφθη Θεὸς τέλειος, δύο ἂν ἦσαν, εἷς μὲν φύσει, Θεὸς, εἷς δὲ θετὸς, *Etenim si homini perfecto unitus esset perfectus Deus, duo utique non unum*

(x) Vide *Socratem* Hist. Eccles. L. II cap. 46. In hoc articulo totam erroris Apollinaristici vim collocat *Leo Magnus* Sermone XXIII, cap. 5, p. 155.

(y) Vel: *Non alium, aliumque coniunctum esse*; quod postea quasi symbolum haereseos Nestorianae factum est, quodque iam Apollinaris orthodoxis, ceu eorum sententiam, obiecit. Et sane omnia, quae postea orthodoxi *Nestorianis* obiecerunt, ceu ex doctrina eorum sponte fluentia, eadem Apollinaristae prius orthodoxis obiecerant. Qua de re plura dicentur in c. II. *Ingenuae in Nestorianismum Inquisitionis.*

unum essent, alter quidem natura Filius Dei, alter adoptione. Huic Apollinaristarum doctrinae opposita est ea Orientalium, *Deum Verbum hominem perfectum et integrum assumsisse et sibi univisse*, quam in symbolis eorum, ut de aliis scriptis iam non dicam, sollicite inculcatam esse cernimus. Ita Theodorus in Expositione Fidei p. 381: *Et huius* (Virginis) *uterum ceu Divinum aliquod semen ingrediens, sibi ipsi templum formavit*, τέλειον ἄνθρωπον, *hominem integrum*, i. e. integram naturam humanam, in qua ceu templo suo habitaret. Congruit Symbolum, quod vulgo Theodori Symbolum vocari solet, a Charisio in Concilio Ephesino exhibitum § 5 (z), ex edit. Garnerii: *Scire oportet, Deum Verbum assumsisse hominem* — τέλειον τὴν φύσιν ἐκ ψυχῆς τε νοερᾶς καὶ σαρκὸς συνεςῶτα, *natura perfectum, ex animo rationali et carne humana constitutum*, quae verba *Petavius* frustra, aut ex imperitia, aut ex mala fide vellicat, uti in Exercitatione monui p. 19, 20 [178, 179], quam censuram adversus clariss. *Bergeri* causationes pluribus vindicabo c. IV *Ingenuae Inquisitionis in Nestorianismum* [*]. Ceterum Apollinaristae (β) imperfectionem naturae humanae a Deo Verbo assumtae in eo constituebant, quod mente rationali vacua esset, ut igitur Deus Filius ex eorum mente non ani-

(z) In *Mario Mercatore* Tom. II p. 251, ex edit. Garnerii.

[*] Istius operis tantum edita est pars prior, sive *Exercitatio praeliminaris prima de meritis Nestorii deque controversiae Nestorianae genuinis fontibus*, quae in hoc Opusculorum tomo pag. 303 ac sqq. recudetur. Frustra igitur illic quaeras caput IV, cuius hic fit mentio.

animam hominis rationalem, ſed carnem, uti loquebantur, id est, corpus cum anima ſenſitiva, ſibi univerit. Probare id ſupervacaneum est, quia veteres in univerſum omnes hunc Apollinaris errorem, ut primarium, annotare ſolent. Clarisſima hanc in rem ipſius Apollinaris verba dedi in Exercitatione p. 37 [198] in notis, adde pag. 29 et 30 [190, 191]. Hinc idem Apollinaris apud *Gregorium Nyſſenum* in Antirrhetico c. XXIII p. 177, *οὐκ ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος, διότι οὐχ' ὁμοούσιος τῷ ἀνθρώπῳ κατὰ τὸ κυριώτατον*, *non homo* (Dominus est) *ſed quaſi homo, quia conſubſtantialis non erat homini ex ea parte, quae in homine potior est* (*a*). Eam ob cauſam Apollinariſtae myſterium hoc (*b*) malebant nuncupare *σάρκωσιν* et *ἐνσάρκωσιν*, *incarnationem*, intelligentes, Deum ſolam carnem, ſeu corpus mente privatum, animasſe, cum vicisſim Orientales uti mallent voce *ἐνανθρωπήσεως*, *inhumanationis*, uti *Facundus* loquitur, ſubinnuentes, Dominum totam humanitatem, ſpiritum non minus quam corpus, accepisſe. Nota ſatis ſunt Theodori, Theodoreti, et aliorum Orientalium *περὶ ἐνανθρωπήσεως* volumina, quorum ſaltem fragmenta ad manus noſtras pervenere. Apud auctorem ſeptem Dialogorum adverſus Anomaeos et Apollinariſtas, quem

(*a*) Cauſam hanc adiicere ſolebat Apollinaris, *animam quippe ex traduce prognatam* esſe *vitiatam* et *depravatam*. Vide *Leontium* de Sectis p. 448, et *Theodoreti* Dialogos non uno loco. Hoc ad perſpiciendam in quibusdam mentem Orientalium, quando adverſus Apollinariſtas disputant, obſervatu neceſſarium est. Conf. *Athanaſius* apud *Petavium* Lib. I de Incarnat. c. 6 § 6.

(*b*) *Gregorius Nazianzenus* epiſt. I. ad Cledonium. adverſus Apollinariſtas p. 313. edit. Hervag. *τῆς ἐνανθρωπήσεως, εἴτουν σαρκώσεως, ὡς αὐτοὶ λέγουσι.*

quem *Garnerius*, in Auctario Operum Theodoreti, pro Theodoreto, non sine insigni veri specie, habet, orthodoxus ita respondet (*c*) Macedoniano, partes agenti Apollinaristarum, *μὴ λέγε ἐνανθρωπηκέναι, ἀλλὰ σεσαρκῶσθαι· εἰ γὰρ οὐκ ἔλαβεν ἔμψυχον σῶμα, οὐδὲ ἐνηνθρώπησε, ne dixeris hominem factum esse* (Verbum), *sed carnem, neque enim homo factus est, si non corpus animatum assumsit.* Non male itaque *Gregorius Nazianzenus* Apollinaristis, obiicientibus, orthodoxos esse *ἀνθρωπολάτρας*, respondit (*d*), ipsos esse *σαρκολάτρας*. Deliriis hisce Apollinaristarum opposita erat doctrina Orientalium, quam ex Symbolo Charisii iam vidimus, *Deum Verbum assumsisse hominem perfectum, carne et anima rationali constantem*, quamque nuspiam non urgent et valide asserunt. Vide, si ita placet, Pentalogium *Theodoreti* de Incarnatione, in Auctario Garneriano, et eiusdem adversus Apollinaristas Dialogos, in quibus argumentum hoc prolixe discutit, adversariorum rationes affert pariter et refellit.

§ 11. Quemadmodum errores *Apollinaris* circa naturas duas in Christo gravissimi merito censentur, ita non minor orthodoxis ille eius error videri potuit, quo *unionem* harum duarum naturarum per commixtionem, confusionem et compactionem earum in unam naturam visus est describere. Hoc igitur sensu ille in incarnatione voce *κράσεως* usus est, quam

(*c*) Dial. V, in Auctario Operum Theodoreti p. 382. Ceterum nec Graeca ibi sana sunt, nec Latina versio interpretis, etsi appareat, eum menda quaedam codicis Graeci persensisse. Graeca desumsi ex *Euthymio*, qui totum illum Dialogum transtulit in Panopliam suam Tit. XIV, ubi verba haec recte leguntur.

(*d*) In epist. I. ad Cledon. p. 313.

quam ceteroquin etiam orthodoxi, sed alio sensu, adhibuerunt. Ita *Photius* in Bibliotheca Codice ccxxx, non longe post init., orationes quasdam *Eulogii* Alexandrini recensens, observat, hunc de unione naturarum in Christo loquentem uti quidem vocabulo κράσεως, *commixtionis*, sed *non in sensu Apollinaris*, μὴ κατὰ τὸν ἄνουν Ἀπολινάριον. Idem Cod. ccxxix pag. 411, edit Hoesch., haec ex Ephraemo refert, de Cyrillo Alexandrino notante, καὶ καλῶς οὐκ εἶπε, μία φύσις ἀπετελέθη· τὸ γὰρ λέγειν τοῦτο τῆς Ἀπολιναρίου λώβης ἐςὶν, ὅς ἔφη, μίξις θεσπέσια, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἀπετέλεσε φύσιν, *et bene non dixit, una effecta est natura. Hoc enim morbum sapit Apollinaris. cuius haec vox est: admiranda et vere Divina commixtio, Deus et homo, unam eamdemque naturam effecit.* In eodem Codice p. 420. ex Ephraemo haec profert, Συνθετον δὲ οὐσίαν, *compositam vero substantiam* (unam) *nemo praeter Apollinarem ausus est dicere.* Doctissimus *le Quien* in notis ad *Damascenum* Tom. I p. 95, fragmentum epistolae Apollinaris ad Diodorum exhibet, in qua legitur, μία σύγκρατος φύσις, *una commixta, vel contemperata natura.* Ibidem auctor ille eruditus notat, Apollinarem hanc naturarum contemperationem vocasse συνουσίωσιν, quam Latini nonnumquam dicunt *consubstantiationem* (*e*). Certe si Apollinaris ipse vocabulo hoc usus non sit, dogma tamen eius ab orthodoxis illo ipso vocabulo frequentissime exprimi solet, quemadmodum Apollinaris asseclae ea de

(*e*) Interpres epistolae Iohannis Antiocheni, quae est in cap. LXXXV Synod. Cassin.: *Porro vero unius singularitas et summa coniunctio repulsa est, etiam subintroducta illa* consubstantiatio (συνουσίωσις) *et unitio praedicatur.*

de causa *Synusiastae* audiunt, in scriptis (*f*) adversus Apollinarem editis. *Liberatus* itaque in Breviario c. III. Apollinaris haeresin breviter sic describit: *Ex hac radice in Ecclesiis germinavit una carnis Deitatisque natura, et ut Divinitati Vnigeniti passio copuletur.* Hunc Apollinaris errorem Diodorus Tarsensis, Theodorus, horumque discipuli, ut perniciosissimum multorumque aliorum scaturiginem, diligentissime excutiendum et valide confutandum sibi sumserunt, quod scripta eorum omnia, quae in hoc argumento versantur, dilucide declarant; quodque de illis, ut iam alios taceam, *Liberatus* etiam observat in Breviar. c. III: *Cuius* (Apollinaris) *dictis et epistolis respondebat eo tempore Diodorus* (g) *Tarsensis Episcopus — et Theodorus Mopsuestenus, probabiliter ostendentes, ex Divinis testimoniis, duarum proprietates naturarum in una Christi persona, sicut ipsa probant eorum volumina* (*h*). Id igitur negotii sibi prae ceteris datum esse putabant, ut discrimen naturarum in Christo luculentissime adstruerent, et adversus Apollinaristas (*i*) evince-

(*f*) Talia sunt *Diodori* adversus Synusiastas, et *Theodori*, de quibus dixi in Exercitat. p. 8. *Cyrilli* κατὰ Συνουσιαςῶν λόγον laudat Ephraemus apud *Photium* Cod. CCXXIX pag. 416. *Theodotus Antiochenus* pariter scripserat ad Heraclidem κατὰ Συνουσιαςῶν. Vide *Cavei* Hist. Liter. Part. II p. 142, et de his omnibus *Fabricium* Bibl. Gr. Vol. VIII p. 361.

(*g*) In editione Conciliorum Labbeana, qua nunc utor, Tom. V. col. 742, vitiose editum est *Dioscorus*. Alias editiones iam inspicere non licet.

(*h*) *Leontius* de Sectis p. 450, βουληθέντες μερίσαι τὰς ἐν ἁγίᾳ γραφῇ φωνὰς, τὰς μὲν τῇ Θεότητι, τὰς δὲ τῇ ἀνθρωπότητι, εὑρέθησαν δύο ὑποςάσεις τοῦ Χριςοῦ καὶ διαίρεσιν εἰσάγοντες.

(*i*) In hoc ipsi Nestoriani constituunt doctrinae suae sum-

cerent. Is ſcopus est praecipuus, quem Orientales et anteſignanus eorum Theodorus ſibi continuo propoſitum habent, uti vel ex Symbolo huius, vel expoſitione fidei, et reliquorum ſcriptorum et voluminum fragmentis abunde perſpicitur. Huncque Theodori ſcopum in omnibus eius ſcriptis conſiderandum, et ex eo dicta forſan primo adſpectu duriora emollienda esſe, frequenter Orientales monuerunt, et inter Africanos *Facundus Hermianenſis* in toto quidem commentario, quem pro defenſione trium Capitulorum edidit. Vide tamen inprimis Libri IX caput ultimum, in quo doctrinam Theodori cum Apollinaris haereſi confert. Haec igitur ſine dubio cauſa est, cur Orientales in ſcriptis ſuis, cum de incarnatione loquuntur, vocem ἑνώσεως ſubterfugiant, quippe quae ipſis aliquam commixtionem ſubinnuere videbatur, et Apollinariſtis patrocinari, cuius loco adhibere malebant vocabulum συναφείας. Cumque unio explicanda esſet, ut ſcopulum, ad quem Apollinaris impegerat, vitarent, declinabant dicere, eam factam

ſummam. *Andreas Samoſatenſis* in Synodico Casſin. cap. CVI, edit. Baluz. col. 811: *Confiteor Dominum Christum, Deum esſe atque hominem, duas naturas, unam perſonam, humilia et ſublimia de eo Divinis Scripturis inſerta, haec quidem ut de homine, illa vero, ut de Deo, inconfuſa unitate obtinente, et una exiſtente, ut dixi, Domino et Christo. Eutherius Tyan.* in epiſtola ad Sixtum Romanum Pontif. in Synod. c. CXVII col. 818: *anathematizantem* (loquitur de Anathematismis Cyrilli) *legitimas et antiquas S. Patrum traditiones, et maxime illorum, qui excelſa quidem Christi Divinitati adſcribunt, humilia vero eiusdem humanitati, nusquam unitione eius intercidenda.* Hinc Eutychiani obiecerunt Theodoro et Diodoro, quaestiones de duabus naturis in Christo ab ipſis adinventas fuisſe. *Vigilius* L. V adv. Eutych. c. 4 p. 59.

factam esse καθ' ὑπόςασιν, quasi caro in Divinitatem assumta esset; sic enim illi hanc phrasin intelligebant, aut ab Apollinaristis hoc modo accipi posse metuebant. Dictitabant proinde, unionem factam esse κατὰ χάριν, et κατ' εὐδοκίαν, de quibus suo loco plura.

§ 12. Huncce unionis modum, quem per contemperationem et conflationem naturarum, συνουσίωσιν, describebat Apollinaris, non poterant non errores et quidem gravissimi consequi, qui ex hoc unitionis conceptu per se profluunt, quosque Apollinaris agnoscere et profiteri minime verebatur. Nam ex illa unione Synusiastica sequebatur I. *Christum recte hominem dici non posse.* Posita enim unica tantum natura, quae a potiori sua parte denominanda esset, Deus et Divinitas, natura humana iam in censum amplius venire non poterat. Quare *Caro Christi*, *quia Dei*, *Deus* etiam Apollinari audiebat. Haec enim sunt eius verba, § 9 iam a nobis prolata. Et orthodoxos, qui in Christo humanitatem a Divinitate distinguebant, eique quaedam propria esse asserebant, qui Christum recte hominem dici posse existimabant, exemplo Pauli 1. Tim. II. 5, contumeliae causa (*k*) ἀνθρωπολάτρας vocitabant. Haud pauca ipsius Apollinaris in eum sensum verba apud *Gregorium Nyssenum* in Antirrhetico occurrunt. Ad de *Theodoretum* in Polymorpho, Dialogo II, ubi orthodoxus et Eranistes Apollinarista de hoc argumento inter se disputant. Huic Apollinaristarum doctrinae opponebant Orientales, Christum verum et perfectum esse Deum, sed eumdem non minus esse homi-

(*k*) Vide *Gregorium Nazianz.* ad Cledon. epist. 1 p. 313 edit. Hervag., et prolixius *Theodorum* adversus Apollinaristas cap. LIV, apud *Facundum* Lib. IX p. 384.

minem, adeoque respectu eorum, quae humanitati, non Divinitati propria sunt, hominem recte appellari posse. Quod quidem notius est, quam ut testimoniis egeat, et praeterea in *Inquisitione* dilucidius exponetur. Sequebatur II. *Mariam tantum Θεοτόκον, non et ἀνθρωποτόκον merito appellari.* Quia enim unica in Christo ex eorum mente concipi natura debebat, Divina, aliter fieri non poterat, quam ut Maria non modo Deum, sed et Divinitatem conceptisset et peperisset. Cum ergo Apollinaristae ex Diodoro et Theodoro (*l*) quaerebant, utrum Mariam agnoscerent Θεοτόκον, ut sic eos illaquearent, ipsi dolos subesse suspicantes, vicissim rogabant Apollinaristas, an eo sensu Θεοτόκον dicerent Mariam, quod humanitatem Deo Verbo propriam et in unitatem personalem coniunctam conceperit et enixa fuerit, et an pari modo ipsi Mariam ἀνθρωποτόκον sincere confiterentur. Theodorus enim utrumque dicere et confiteri semper paratus erat, non item Apollinaristae. Cumque utraque haec vox videretur incommoda, nam ἀνθρωποτόκος videbatur patrocinari erroribus Pauli Samosateni, tamquam Maria nudum hominem peperisset, Θεοτόκος in his controversiis abusui Apollinaristarum exposita erat, *Nestorius* maluit dicere Χριστοτόκον, quia Christus et Deus esset et homo in unica persona. Sed de his fusius agemus *in Inquisitione* nostra cap. III. Sequebatur III. *Proprietates naturae humanae non modo recte attribui Christo Deo, sed et eius naturae Divinae,* quae unica in Christo agnoscenda erat ex mente Apollinaris.

(*l*) *Theodorus* de Incarnat. Lib. XII, citatus in Actis Concil. V col. 447, et 461, edit. Labbei: *Cum ergo interrogant: Hominis genitrix, aut Dei genitrix Maria?* etc. Huius vero argumenti pleni sunt omnes ipsius *Nestorii* sermones.

linaris. Ita *Gregorius Nazianzenus* haeresin huius viri nobis repraesentat in epistola ad Nectarium p. 227, *unigenitum Dei Filium* ἐν τῇ ἰδίᾳ αὐτοῦ Θεότητι πάθος δέξασθαι, καὶ τὴν Θεότητα συναπονεκρωθῆναι τῷ σώματι, *in propria sua Divinate passum, et Divinitatem corpori quoque commortuam fuisse.* Idem de Apollinari quondam amico suo testatur *Basilius M.* epist. LXV p. 852, et *Gregorius Nyssenus* in Antirrhetico c. XXX et XXXIII, ubi scribit, has esse Apollinaris voces, *Divinitatem passam et mortuam fuisse.* Vid. et *Facundum Hermian.*, ubi collationem inter Apollinaris et Theodori doctrinam instituit Lib. IX p. 402. In *Gregorii Nysseni* Antirrhetico cap. L p. 261, afferuntur haec ipsius Apollinaris verba, loquentis de morte Domini: *Mundum salvare non potest, qui homo quidem est, et communi hominum corruptioni obnoxius.* Et p. 264, Apollinaris ex quibusdam praemissis ita colligit: *Ex his* omnibus manifestum est, ὅτι αὐτὸς ὁ Θεὸς ἀπέθανε, *Deum ipsum mortuum esse, quandoquidem fieri non poterat, ut Christus* (qui mortuus erat) *morti succumberet.* Apollinaris hic quidem concretum usurpat *Deum*, loquens de Christo, sed illi tamen unicam tantum naturam adtribuebat, et illam unicam naturam natam et mortuam esse contendebat. Quemadmodum autem Orientales, in hisce propositionibus Apollinaris, vocem Θεὸς abstractive accipiebant pro *Divinitate*, uti etiam testimonio probatissimorum doctorum, *Basilii M.*, *Gregorii Nazianzeni* et *Nysseni* adstructum vidimus, ita quando Apollinaristis respondentes de Christo Θεῷ loquuntur, haud dubie abstractum pariter intelligunt, nempe Divinitatem, quod necessario observandum est *Nestorianismum* recte intellecturo, et aequum de Orientalium doctrina iudicium laturo, quodque ex ipsa hac eorum doctrina Apollinaristis opposita sponte

emer-

emergit. Et huic Apollinaris errori omnia Symbola et ſcripta Diodori, Theodori, et discipulorum, quos inter erat *Neſtorius*, e diametro oppoſita ſunt, quae in id omni vi incumbunt, ut unicuique naturae vindicent, quod ei proprium est, *humanitati* nativitatem, paſſionem, et mortem, *Divinitati* miſſionem Filii et reſuſcitationem, et ſimilia, ſalva tamen unitate perſonae. Quod paucis verbis ſic *Theodorus* (m) comprehendit: *Maneat enim et naturarum ratio inconfuſa, et indiviſa cognoſcatur eſſe perſona.* Hoc fundamentum est doctrinae *Neſtorii* et eius magiſtrorum, adeoque vera *Neſtorianismi* origo; quod ratione omnium eorum, quae *Neſtorio* imputantur, in ipſa *Ingenua in Neſtorianismum Inquiſitione* accuratius exponetur et oſtendetur.

(m) Apud *Facundum* L. IX p. 382.

INGE-

INGENVA IN NESTORIANISMVM *INQVISITIO.* *EXERCITATIO PRAELIMINARIS PRIMA* [*], *DE MERITIS* NESTORII *DEQVE CONTROVERSIAE* NESTORIANAE *GENVINIS FONTIBVS.*

§ 1. *Scriptionis huius ratio.*

Causam *Nestorianam*, cui illustrandae iam semel operam aliquam impendi, iterum nunc sub examen vocare animus est. Ad quod non tam virorum quorumdam eruditorum adversus Exercitationem meam obiectionibus me impelli passus sum, quam quod, dum scripta in hac causa veterum et recentiorum quorumdam diurna nocturnaque manu evolvi, facile intellexerim, superesse adhuc nonnulla, hactenus aut plane neglecta, aut minus dilucide ac perspicue ex-

[*] Edita est a. 1738. Altera vero exercitatio, in qua *de controversiae Nestorianae arguta subtilitate et difficultate* disserere, et quam praemittere sibi proposuerat *Iablonskius*, ut ipse § 1 testatur, atque reliquae exercitationes, ad hanc rem pertinentes, aut numquam in lucem exierunt, aut certe ad me non pervenerunt. Componetur annotatio mea p. 293. cur propositum ille suum non peregerit, monui supra p. 127 et in praefatione. Quod autem observavi p. 257, huc quoque referatur.

explicata, quae, ad rite diiudicandum praecipua negotii *Nestoriani* momenta, facere cumprimis mihi visa sunt. Antequam vero ipsam causae nostrae arcem aggrediar, non inutile fore duco, si quaedam praemisero, quae et lectoris animum praeparare, et praeterea cum causae ipsi, quam agimus, tum methodo, qua olim usi sumus, quaque nunc etiam utemur, praesidium aliquod afferre poterunt. Disseram autem I. de *Nestorii* meritis. II. de controversiae *Nestorianae* genuinis fontibus. III. de eiusdem controversiae arguta subtilitate et difficultate. Priora duo summa capita hac Dissertatione complectar, tertium deinde Dissertatione alia persequar.

§ 2. *Brevis historia Nestorii, usque ad tempus ortae controversiae.*

Quoniam causa *Nestoriana* disceptanda est, receptum communiter eumque non improbandum morem et ego nunc secuturus, de *Nestorio* ipso quaedam in antecessum, sed paucis tantum, delibabo. Sunt enim permulti, qui, historiam *Nestorii* diligenter et cum cura memoriae mandando, mihi quidem otium hic fecere. Fuit igitur *Nestorius* ex Syriae oppido Germanicia oriundus. Adolescens vero Antiochiam petiit, celeberrimam eo tempore bonorum ingeniorum palaestram, ubi baptismo initiatus, vitamque monasticam in Laura S. Euprepii professus, S. Literarum studiis ac pietatis exercitio pro viribus diligenter incubuit. Qua in re usus est magistro quidem et doctore Theodoro Mopsuesteno, studiorum vero sociis et amicis coniunctissimis, Iohanne, Episcopo postea Antiocheno, et Theodoreto, quo vix quisquam in Ecclesia Graeca merito suo clarior exstitit. Eodem tempore, et in eorumdem, quos nominavi, contubernio, eloquentiae neque perfun-

ctorie,

ctorie, neque ſine ſuccesſu, operam dedit, atque laudatisſimos tum in dicendo magiſtros, magnum cumprimis Chryſoſtomum, non usque adeo infeliciter, imitari anniſus est (*a*). Ibidem porro illam docendi, et myſterium praecipue incarnationis explicandi formam imbibit et alte menti infixit, quam poſtea ſemper retinuit, quaeque effecit, ut catalogo haereticorum nomen quoque ipſius insereretur. Ex Monacho Presbyter Eccleſiae Antiochenae ordinatus est a Theodoto, Eccleſiae illius Episcopo. Et hic quidem *Neſtorium*, quem inter alios doctrinae, pietatis et eloquentiae laude eminere cernebat, *praepoſuit Catecheſi, ut fidem in Eccleſia non modo competentibus exponeret, ſed etiam adverſus haereticos defenderet, quae duo erant Presbyteri Catechiſtae officia* (*b*). Munere autem hoc eum in modum functus est, ut fama virtutis eius intra muros Antiochiae ſeſe non contineret, verum in urbem regiam Conſtantinopolin, et ad ipſas Imperatoris, Theodoſii iunioris, aures advolaret. Quare cum ſedes Conſtantinopolitana, quae, ex decreto Patrum Concilii Oecumenici ſecundi, iam tum prima totius Orientis erat, per mortem Siſinnii Antiſtite ſuo orbata esſet, ad gubernandam hancce Eccleſiam ab Imperatore vocatus eſt *Neſtorius*, qui, voluntati Imperatoris morem gerens, ad novum hoc munus ordinatus, idque auſpicatus est anno 428. In editisſima hac ſpecula Eccleſiae vigil conſtitutus, id ſibi inprimis datum esſe negotii credidit, ut Eccleſiam haereticis, qui aevo ſuperiori valde molesti ei fuerant, quo-

(*a*) Prolixius id explicui atque probavi in Disſertatione de origine et fundamento *Neſtorianismi*, a. 1728 edita, § 4 et 5 [ſupra p. 265 et ſqq.].

(*b*) Verba haec ſunt *Io. Garnerii* Praefat. in Tomum II Operum *Marii Mercatoris* pag. 4.

quorumque contagio nondum penitus desierat, liberaret ac perpurgaret. Fatentur tamen cordati rerum aestimatores, *Nestorium* in hoc negotio zelum prae se tulisse, in quo, pro indole illius aetatis, plus inerat forte ambitionis et iracundiae, quam solidae et genuinae pietatis. Neque enim tantum sese gessit pro inimico errorum, sed etiam pro persecutore errantium satis duro et gravi, quod experti sunt Ariani, Macedoniani, Novatiani, et ipsi adeo Pelagiani, quorum tamen creditur fuisse amicus, Verum dum haereticos persequitur, evitare non potuit, quominus et ipse numero pessimorum haereticorum adscriberetur, eoque nomine diris omnino persecutionibus obnoxius evaderet.

§ 3. *Historia Nestorii a tempore ortae controversiae.*

Hactenus nihil in vita *Nestorii* deprehenditur, quod veteribus laude non dignum videatur. In alium penitus hominem dixeris eum transformatum fuisse, postquam litibus Constantinopoli de usu vocis Θεοτόκος coortis se immiscuit, adeo hae et ipsi et memoriae ipsius exitiosae fuerunt. Cum nempe Anastasius Presbyter, quem *Nestorius* Antiochia secum adduxerat, et post eum Dorotheus, Episcopus Marcianopolitanus, publice pro concione dixissent, Mariam Virginem minus recte Θεοτόκον appellari, eo quod, cum foemina esset, Deum ex se edere non potuisset, *Nestorius* has ipsorum voces non modo patienter tulit, verum eorum doctrinam publice etiam probavit, et ut suam omnibus modis adstruere fategit; unde factum est, ut ex quaestione una plures aliae subnascerentur. Restiterunt initio huic *Nestoriae* doctrinae non pauci ex clero et populo Ecclesiae Constantinopolitanae, mox vero in socie-

tatem certaminis vocatus etiam fuit, si non ultra se ingessit, Cyrillus Alexandrinus. Et is quidem, cum a *Nestorio* impetrare non potuisset, ut doctrinam de modo incarnationis et unionis duarum naturarum in Christo, quam semper asseruerat, revocaret, et usum vocis Θεοτόκος solemniter approbaret, communicatis ante cum Coelestino Episcopo Romano consiliis, suo tamdem et illius nomine *Nestorium* damnavit, Episcopatu deposuit, communione fidelium privavit, vibratis adhaec in doctrinam eius, cuius duodecim articulos constituerat, totidem anathematismis. Nihil iam reliquum erat *Nestorio*, quam ut ad iudicium Concilii Oecumenici provocaret, cuius convocationem, cum et ipse gratia apud Imperatorem plurimum valeret, et in aula eius fautores haberet permultos, ab Imperatore non difficulter (*c*) obtinuit. Concilium illud indictum habitumque est Ephesi a. 431. Quomodo in eo, hinc quidem amici Cyrilli, illinc vero Orientales, fautores *Nestorii*, sese gesserint, quomodo causam hanc disceptaverint et diiudicaverint, quam omnia citra ordinem et tumultuarie gesta fuerint, meum non est, prolixe hic commemorare. Legere illa omnia, qui volet, poterit, a *du Pinio* (*d*) eleganter, summa adhaec fide et accuratione, exposita. Eventus Concilii illius, aliquamdiu varius atque anceps, ad ultimum hic fuit, vix cuiquam expectatus, ut alienato iam, per artes clandestinas, a *Nestorio* Imperatoris animo, prima Cyrilli sententia auctoritate Imperatoris confirmaretur. Ab eo tempore doctrina *Nestorii* pro hae-

(*c*) Vid. *Garnerius* in Praefat. ad *Marium Mercatorem*, Tom. II p. 19, 20.

(*d*) Bibliothèque des Auteurs Ecclesiastiques Tom. IV p. 285, 286, etc.

haeresi gravissima et pestilentissima habita ubique est, quique illam asseruerunt, ex Ecclesiae communione eiecti, coetus separatos celebrare coacti sunt. Fautores et amici eius, aut *Nestorio* et docrinae eius anathema dicere, aut muneribus suis, uti nec minus communione Ecclesiae, decedere iussi. *Nestorius* ipse, anno circiter decimo nono, postquam solemniter condemnatus esset, in tristissimo et molestissimo exilio vitam finivit.

§ 4. *Nestorio suae laudes promeritae non sunt denegandae.*

De meritis et laudibus *Nestorii*, quamvis id ad recte perspiciendum momenta causae et doctrinae ipsius per se nihil conducat, ut tamen nunc aliquid addam, me eorum movent opiniones, qui fide historicorum quorumdam, recentiorum praecipue, paulo facilius et securius freti, *Nestorium* hominem plane nullius pretii fuisse sibi persuadent, qua praeiudicata opinione imbuti ac toti occupati, causam quoque eius nondum bene cognitam leviter nimis condemnant. Hac de causa in *Exercitatione*, olim conscripta § 1 [pag. 158], libere testatus sum, me ab illorum moribus abhorrere, qui *Nestorium nobis depingunt, ceu hominem ignarum, superbum, pervicacem, crudelem et impium, dogma vero eius horrendum et blasphemum, hisque elegantiis disputationes suas adversus* Nestorium *exornare solent.* Fuit vir eruditus, qui verba haec a me eo animo prolata esse credidit, ut iudicium meum, quod sentio quam tenue, quamque exigui ponderis sit, iudicio totius literati orbis opponerem, et hominem omnibus improbatum et illaudatum, speciosis quidem, sed fictis et adulterinis coloribus exornarem. Itaque mihi obie-

cit

cit (*e*) *me affirmasse, sed non probasse, talem haud fuisse* Nestorium, *qualem ad hunc usque diem omnes crediderant literati atque eruditi.* Equidem cum Exercitationem illam conscriberem, in animum meum non induxeram, ut *Nestorii* aut ingenium aut mores laudarem, aut merita praedicarem. Iudicium *Socratis* de ψυχρολογίᾳ *Nestorii* non improbavi, § 1; passim vitia quaedam ipse reprehendi; obscurum et implicitum dicendi genus, ambiguitati obnoxium, quali solent uti, qui studio philosophico animum imbuisse creduntur, in *Nestorio* non laudavi, § 12; atque ei imprudentiam in dicendo obieci, § 13. Vnice in id intentus tum eram, ut locutionum illarum, quibus doctrinam suam *Nestorius* explicuit, genuinum sensum eruerem et perspicue declararem. Monui tantum, morem illorum mihi videri illiberalem, ab indole non tantum Religionis Christianae, verum ipsius etiam humanitatis alienum, qui conviciis et contumeliis adversarios obruunt, eosque lectoribus, antequam causa exposita fuerit, invisos et odiosos reddunt. Verum quia tamen disputatio nostra eo delabitur, ostendi facile potest, quod vir eruditus a me expectasse videtur, *Nestorium* meritis egregiis vere conspicuum fuisse, ipsique numquam, ne inter ipsos quidem doctrinae eius inimicos, defuisse fautores, qui de virtutibus eius et praeclaris animi dotibus magnifice profecto senserint, et locuti fuerint.

§ 5. *De meritis Nestorii testantur veteres.*

Nestorium virum fuisse minime vulgarem, res ipsa per se satis loquitur. Eloquentiae eximiae, vitae in-

(*e*) Rever. et celeberrimus vir, *Car. Gottl. Hoffmannus de Controversia Nestoriana Cap.* 1 § 11 *p.* 13.

inculpatae, et scientiae rerum divinarum haud mediocris laudem veteres non raro ipsi tribuerunt. Et nisi in ipso eminuissent praestantes ingenii dotes, haud facile eventurum fuisse credibile est, ut, cum Antiochiae doceret, unus e multis Presbyteris dignus iudicaretur, qui ad Episcopatum Constantinopolitanum, a tam multis studiose expetitum, subito adscenderet. Idque factum esse, *magno tum Episcoporum, tum Clericorum, aulaeque et plebis favore*, *Garnerius* (*f*), qui *Nestorio* minime amicus, sed rerum eius tamen inprimis gnarus est, candide testatur. Numquam etiam *Nestorio* defuere amici et patroni, quibus eruditionis laudem nemo ita facile dubiam reddiderit. Quin et, uti modo innuebam, inimicis eius nonnumquam exciderunt voces, quae documento sunt, homines illius aetatis de virtutibus *Nestorii* praeclare sensisse. Observatu hanc in rem vel maxime digna sunt, quae scriptor elegantissimus, *Vincentius Lirinensis* (*g*), qui, tribus tantum post habitum Concilium Ephesinum annis, *Commonitorium* suum edidit, de *Nestorio* memoriae prodidit. Cum enim in *Commonitorio* cap xv ad hanc obiectionem respondisset, *cur persaepe divinitus sinantur excellentes quaedam personae in Ecclesia constitutae, res novas Catholicis annunciari*, eamdem materiam cap. xvi persequens, ad *Nestorium*, quem personis illis excellentibus annumerat, et ad res in illius causa paulo ante gestas, ita transit: *Quis eum* (Nestorium) *facile errare arbitretur, quem tanto imperii iudicio electum*,

(*f*) Praefat. ad Tom. II Operum *Marii Mercatoris* pag. 6. Adde *Socratem* Hist. Eccles. L. vii c. 29, et *Liberatum* in Breviario cap. 4.

(*g*) Vide *Commonitorium* eius cap. 42, init. Ibidem Cyrilli sic meminit: „ Venerandus Cyrillus, qui nunc „ illustrat Alexandrinam Ecclesiam."

electum, tanto Sacerdotum ſtudio proſecutum videret, qui cum magno ſanctorum amore, ſummo populi favore celebraretur, quotidie palam divina tractabat eloquia, et noxios quoque Iudaeorum et Gentilium confutabat errores. Et quibusdam interiectis: *Et ut* Neſtorium *praetereamus, in quo plus ſemper admirationis, quam utilitatis, plus famae, quam experientiae fuit, quem opinione vulgi aliquamdiu magnum humana magis faceret gratia, quam divina.* Ecce, ut altera manu magnifica liberaliter effundit in *Neſtorium* encomia, quem admirabilem et eximiae famae, magnum adhaec opinione vulgi fuisſe concedit, quoad eum extra controverſiam cum Cyrillo ſibi repraeſentat, quae altera manu vicisſim aufert, aut ita temperat, ut in nihilum abeant, quia nempe admirabilis et magnus *Neſtorius*, iudicio Cyrilli et Epiſcoporum Epheſinorum haereticus impius, et *novus Iudas* declaratus fuerat. Sic fere etiam *Socrates* Hiſtoricus (*h*), Πεπαιδεῦσθαι μὲν ἐνομίζετο, *eruditus esſe vulgo exiſtimabatur.* Ipſi Praefecti Praetoriorum, quibus demandatum erat ab Imperatore, ut *Neſtorium* ad monaſterium, in quo vixerat Antiochiae, deportari curarent, triſte hoc munus executuri, ita eum ſolati ſunt (*i*): *Conſolationis te non credimus indigere, reſpicientes ad animam tuam, quas ſapiens est, et ad multa bona millia, per quae ſuper alios emines. Gennadius* in Catalogo Scriptorum Eccleſiasticorum, *Neſtorium* prae-

(*h*) Lib. VII Hiſt. Eccleſ. c. 32. Vide et cap. 29. ubi ipſi facundiae et temperantiae, vel honestae vitae, laudem tribuit.

(*i*) In Collectione Epiſtolarum, quae a loco, ubi reperta est, *Synodicon Casſinenſe* nuncupari ſolet, cap. 24, in nova Collectione Conciliorum Baluzii col. 721.

praeterire noluit, de quo hoc eius (*k*) extat iudicium: *Nestorius haeresiarcha, cum, in Ecclesia Antiochena Presbyter, in docendo insignis eo tempore declamator haberetur, composuit infinitos tractatus diversarum hypotyposeon — postquam vero, eloquentia eius et abstinentia eum commendante*, etc. Nec praetermittendum esse puto insigne testimonium auctoris (*l*) anonymi, qui epistolas in causa *Nestoriana*, praesertim ab Orientalibus post Concilium Ephesinum scriptas, Latinitate donatas, in *Synodico* suo *adversus Tragoediam Irenaei*, uti vocat, collegit (*m*): *Non solum de Theodosio tunc Principe, sed et de aliis pluribus legitur, imo et de sanctis, Coelestino Papa et Cyrillo Alexandrino, quod eius* (Nestorii) *approbaverint initia, quippe quem tantae Civitati, sicut et scripta eorum loquuntur, censuerant praesidere, dum Presbyter Antiochiae fuerit, quod Canones nisi pro magnis doctrinae ac morum meritis non permisissent. Talis vero ut adhuc* (nempe quo tempore Theodoretus epistolam illam scripserat, et quo haec commentatur anonymus) *apud Orientales tunc usque putaretur, idcirco contigit, quia negabat, se in Constantinopoli talia praedicasse, qualia vulgabantur.* Ex testimoniis igitur veterum, quae suspecta nemini esse possunt, satis tuto colligere nobis licet, *merita doctrinae et morum* Nestorii *magna* habita fuisse, quoad recte de incarnatione Domini sentire visus est; sed illa omnia subi-

(*k*) De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 53.

(*l*) Auctor ille se haereseos *Nestorianae* inimicum profitetur; sed eamdem tamen cum *Facundo Hermianensi* aliisque Africanis causam asserebat, pro tribus Capitulis.

(*m*) In nota ad cap. xcv illius Synodici, col. 803, edit. Baluzii.

ſubito veluti diſparuiſſe, postquam haereſeos labes nomini eius adſpergi coepit.

§ 6. *Et recentiores multi.*

Recentiorum, qui de *Neſtorio* benignius ſenſerint, quique debitas laudes ipſi non denegarint, inter Proteſtantes praecipue, longe maior numerus est, quorum nomina a doctis quibusdam ſcriptoribus (*n*) ſtudioſe collecta ſunt. Omnia quae de hac re dici posſunt, in compendium nervoſe redegit vir meritis in bonas literas illuſtris *M. V. la Croze*, cuius (*o*) verba, ex Gallico ſermone converſa, adſcribere non pigebit: *Nihil in Antiquitate reperio, ex quo ſiniſtre de* Neſtorii *moribus iudicari oporteat. Vix aliter potius exiſtimare licet; quam praeſtantibus illum omnino virtutibus exornatum fuisſe, qui, post ignominioſam depoſitionem, amicos numero non paucos, dignitatibus et meritis inclytos, in ipſa regia urbe Conſtantinopoli, et in multis Aſiae Dioeceſibus, illis praecipue, quae ſuberant Episcopo Antiocheno, ſibi fidos conſervare potuerit.* Neſtorius, *fatentibus ipſis quoque eius inimicis, dignus veneratione omnium erat, abſtinentia vitaque ab omni voluptatum genere remotisſima. Singulari praeterea zelo pro conſervanda doctrinae rectae puritate animatus, omne ſuum ſtudium, omnemque ope-*

(*n*) Vide *Sagittarium* in Introduct. ad Hiſt. Eccleſ. cap. XXXI, ſect. LIV, *Fabricium* in Bibl. Graeca, Vol. IX p. 289, *Saligium* in Eutychianismo ante Eutychem, cap. XXX p. 303, etc., *Vogtium* in *Disquiſit. de recentisſimis* Neſtorii *defenſoribus*, quam inſeruit *Bibliothecae Haereſiologicae* Tom. I. Faſcic. III, *Moshemium* in Inſtitut. Hiſt. Chriſtianae antiquae, edit. ſecundae p. 404. [conf. annotatio p. 154 ſqq.]

(*o*) Hiſtoire du Christianisme dans les Indes p. 8, 9.

operam, unice ponebat in reducendis ad ſanam doctrinam Arianis, Macedonianis, Apollinariſtis, ac haereticis aliis, quorum numerus Conſtantinopoli et in Dioeceſibus vicinis ingens erat. Teſtimonio huic adiungam, quae vir clarisſimus et de Hiſtoria Eccleſiaſtica non uno nomine praeclare meritus, *C. A. Saligius* de *Neſtorio* (*p*) obſervat: *Non neganda est*, inquit ille, *magna* Neſtorii *eloquentia et viva et polita ſuavitas, neque vitae innocentiam praeterit* Socrates, *licet in hypocriſin mutet eam invidia, aut in nimium auſteri monachatus ſtudium, aut abſurdam Iohannis Chryſoſtomi, antecesſoris ſui, aemulationem.* Et alio loco idem ita (*q*) ſcribit: *Haec denique obſervavi. De* Neſtorio *nullus hiſtoricus aut adverſarius inhoneſtam vitam aut mores Episcopo indignos narrat. Sola invidia et haereſeos imputatio eum atro carbone notavit. De Cyrillo autem atrocisſima facinora commemorantur. Haec tamen non obſtant, quo minus inter ſanctisſimos Praeſules ſit numeratus: Cur? quia caeco zelo efferbuit.* Ibidem vir ille eruditus ex perquam notabili *Suidae* testimonio docet, *Neſtorium* exemplo magni ſui antecesſoris, Iohannis Chryſoſtomi, dum foeminis etiam Principibus veritatem libere et imperterrite dicit, in odium earum incurrisſe, eoque ruinam, qua poshaec oppresſus est, ſibi ſtruxisſe. Plura qui volet, ex auctoribus iam nominatis ea petere poterit.

§ 7. *Nonnulli etiam ex ipſis Pontificiis.*

Antequam tamen ab hoc argumento plane diſcedam, non abs re fuerit, testes aliquos adducere, qui, cum Eccleſiae Romanae communionem profesſi fue-

(*p*) In Eutychianismo ante Eutychem p. 203 et 204.
(*q*) In eodem libro p. 202, in notis.

fuerint, tanto minus in hac caufa fufpecti nobis videri debent. Cum enim Ecclefia illa *Neftorium* non minus, quam doctrinam eius, anathematibus femper devoverit, cum porro filios fuos iureiurando veluti in verba maiorum in tali praefertim caufa adigere confueverit, per fe colligere pronum est, nonnifi confcientiam et intimum veritatis fenfum cordatis illius communionis viris benignius de *Neftorio* iudicium et testimonium extorquere potuisfe. Mitto nunc illos, quibus (*r*) controverfia *Neftoriana*, aut mera tantum logomachia vifa est, aut faltem, arguta fua et inani fubtilitate, prope admodum ad logomachiae indolem accedere; ad illos hic refpicio, qui *Neftorio* ipfi, quoniam id negari video, fuas meritorum laudes omnino deberi, ingenue confesfi funt. Audiamus *Io. Garnerium*, e Societate Iefu Theologum, qui, fi quisquam alius, in hiftoriam *Neftorii* et controverfiae *Neftorianae* diligenter inquifivit, qui nuspiam fe *Neftorio* amicum et benignum oftendit, et cui tamen vis veritatis ifthaec expresfit (*s*) verba: *Ea tempeftate Antiochena Ecclefia abundabat Presbyteris, non fanctitatis modo, fed etiam doctrinae et eloquentiae opinione celebribus: et* Neftorius *tot inter infignes viros, aut merito praeftabat, aut certe maiorem aliis famam collegerat.* Estne quisquam inter *Neftorii* apertos fautores, qui magnificentius de eo fcripferit, aut etiam fcribere potuerit? Quid est, quod in lau-

(*r*) Vide *la Crozium* l. c. p. 24, et eiusdem Disfertat. adverfus Abbatem Renaudotum, dans *l'Europe favante* Tom. XI Part. I p. 44, 45, *Baylii* Lexicon, in Artic. *Adam* T. I p. m. 77 in nota, *A. Vogtii* Bibliothecam Haerefiologicam Tom. I Fascic. III. p. 471, 472, etc.

(*s*) Praefat. in Operum *Marii Mercatoris* Tom. II pag. 4.

laudem magni Praesulis excogitari aut dici potest, quod isthoc elogio non comprehendatur? Noli autem mirari, cordate lector, quod stylum mox (*t*) mutet *Garnerius*, ubi *Nestorium* certamini cum Cyrillo implicitum nobis sistit. Tum enim non amplius suum, sed Ecclesiae suae iudicium sequi potuit, si voti sui et professionis religiosae memor vivere voluit. Idem tamen alio loco et haec verba calamo suo excidere passus est (*v*): *Accidit forte, ut ea tempestate in monasterio degerent* Nestorius *et Iohannes. Vterque pietati studere videbatur, et re ipsa forsitan studebat.* Et plusculis interiectis (*x*): *Erat* Nestorius *eloquentia et vitae instituto celebris, videbaturque ipsius etiam Chrysostomi, Antiochia olim evocati, non absimilis futurus: quare omnium, praeterquam* (*y*) *Clericorum Monachorumque, votis expetitus Constantinopolin venit.* Quodsi autem cogitemus Ecclesiam, in cuius communione *Garnerius* vixit, si cogitemus illius indolem et studia, quibus incubuit, non iniuria de ipso illud Homericum (z) adhibere poterimus,

Πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,

aut illud Heracliti (*a*) dictum,
Εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι.

Ac-

(*t*) Ibid. pag. 5.
(*v*) In Historia Theodoriti Cap. 2 § 5. Vide Auctarium Operum Theodoriti p. 113.
(*x*) Ibid. pag. 118. Idem p. 193 et 194 prolixam comparationem inter *Nestorium* ac Athanasium et Chrysostomum, praecipua Ecclesiae Graecae lumina, instituit.
(*y*) Nempe propter invidiam. Incredibili enim ardore omnes splendidissimum illum Episcopatum ambiebant, teste Historia. Aliud tamen testatur scriptor illius temporis, *Vincentius Lirinensis*, cuius verba attuli § 5.
(*z*) *Homerus* Iliad. Λ. 514.
(*a*) In Epigrammate Graeco, in *Anthologia* Lib. III. cap. 33.

Accedat tamen et illud *du Pinii* (*b*) iudicium, quod, cum aliis de *Nestorio* aequius et benigne dictis, non impune tulit: *Formam vivendi sibi praescripserat sequebaturque rectam, imo paulo severiorem et austeriorem, sedulo functionibus muneris sui intentus. Vno verbo, inter sanctos eminentioris ordinis et ipse locum invenisset, nisi in adstruendo dogmate perstitisset; cuius causa ut haereticus condemnatus est.* Sed haec iam nunc tamdem sufficiant.

§ 8. *Genuini fontes controversiae Nestorianae sunt scripta Nestorii ipsius et Nestorianorum, quae exstant.*

A *Nestorio* ad cognitionem causae et controversiae *Nestorianae* transire non possum, antequam de genuinis fontibus, ex quibus controversiae huius notitia petenda sit, aliquid monuero. Putavi ego semper, idque non tantum ratione, verum etiam experientia magistra, didici, dulcius et tutius ex ipso fonte hauriri aquas. Cum itaque *Nestoriana* controversia examini subiicienda esset, ante omnia ipsius *Nestorii* et *Nestorianorum* scripta, quae aetatem tulere, consulenda, et postea demum alia, quae in hac causa scripta olim fuere, evolvenda putavi. Neque me consilii huius posthaec umquam poenituit. Non defuit tamen eruditus adversarius, cui haecce mea agendi ratio visa est vituperanda, quique credidit, consilio meo eventum omnino non respondisse. Ait (*c*) *me annisum esse potiora* Nestorii *dogmata* ex

(*b*) Bibliothèque des Auteurs Ecclesiastiques Tom. IV p. 61.

(*c*) Reverendus quondam et clarissimus *P. Bergerus* in *Nestorianismo haereseos convicto*, p. 25.

ex Neſtorii *ipſius et eorum, qui cum eo faciunt, verbis confirmare. Sed*, ita iam nunc de hoc meo conatu iudicat, *infelici ſuccesſu, cum ipſa* Neſtorii *verba quam rarisſime adducam, ſed perpetuo ad Theodorum Mopſueſtenum opus habeam confugere:* cuius quidem rei arbitrium aequo lectori lubentisſime relinquo. Id unum breviter tantum moneo, nullum esſe articulum controverſiae *Neſtorianae*, de quo in Exercitatione agere conſtitutum mihi erat, quem non verbis primum ipſius *Neſtorii*, et deinde aliorum quoque *Neſtorianorum*, expoſuerim. Hoc promiſi, et fidem datam, niſi me opinio fallit, liberavi. Quodſi vero, ad probandum unumquemque articulum doctrinae *Neſtorianae*, a congerendis pluribus *Neſtorii* teſtimoniis manum abſtinui, ad id me non inopia compulit, uti ex hac *Inquiſitione* luculentius perſpicietur, ſed brevitatis ſtudium, quodque operoſiorem in hac cauſa diligentiam tum exiſtimarem ſupervacaneam. Haec ego nunc tacitus perquam libenter praeterisſem, niſi ea nos ad arcem rei, de qua agendum est, deducerent. Ita enim pergitur: *Certiores nos inde reddi, ſi quis doctrinam e* Neſtorii *ſcriptorum monumentis, his, Imperatoribus pietate commotis iubentibus, iam olim in cineres redactis, aperire velit, labore ſuo iri fruſtratum.* In quo a iudicio viri eruditi diſcedere omnino cogor. Eum profecto, qui *Neſtorii* doctrinam ex propriis ſcriptorum eius monumentis eruere et aperire cupit, labore ſuo non fruſtrari, haec mea, ut ſpero, *Ingenua in* Neſtorianismum *Inquiſitio* ſatis testatum faciet. Quidquid enim furor inimicorum *Neſtorii* molitus fuerit, ſat tamen ſcriptorum et *Neſtorii* ipſius et *Neſtorianorum* ad noſtras manus pervenit. Ipſi quippe *Neſtorii* adverſarii, perlectis ſtudioſe eius ſcriptis, omnia, quae errorem aliquem continere videbantur, diligenter excerpta, ad manus no-

noſtras transmiſerunt. Ea omnia, quae Patres Epheſini, ut cauſam *Neſtorii* diiudicare posſent, prae manibus habuerunt, et nos oculis noſtris ſubiicere, ex iisdem et nos iudicium ferre posſumus tanto aequius, quia nec amicitia neque inimicitia, ſive in *Neſtorium*, ſive in Cyrillum, animos noſtros ita, ut quondam cauſae huius iudices, transverſos abripit. Praeſto ſunt illa omnia monumenta, et nobis quidem ſuperſunt longe plura et meliora, quam quibus uſi ſunt Patres Epheſini, cum *Neſtorium* iudicio definitivo condemnarent. Vir ille clarisſimus, cuius verba hactenus fuerunt deſcribenda, monumentorum illorum *Neſtorii* notitiam aliquam, quod miror, ſuppeditat, eoque vim obſervationis prioris diminuit; ſed quia tamen illa et parum accurata est, et nonnullos errores adſperſos habet, in quibus indicandis et refellendis operam collocare mihi ingratum est, illi nunc eam ſubſtituo, quam elegantisſimus *du Pinius*, in Bibliotheca ſua (*d*), nobis exhibet: *Superſunt nobis*, inquit, *quatuor collectiones excerptorum ex Homiliis* Neſtorii. *Prima est illa, quae Concilio Epheſino exhibita fuit per Petrum Diaconum*, *Actione* I. *Concil. Ephes. Tom.* III *p.* 520. *Secunda est collectio* Marii Mercatoris, *in qua excerpta Latine tantum occurrunt. Tertia deſumta est ex Cyrilli libris quinque contradictionum adverſus* Neſtorium. *Vltima denique petita est ex diverſis Cyrilli tractatibus ſeu libris.* Habentur etiam Homiliae *Neſtorii* XIII, ut plurimum integrae, in quibus omnibus auctor, controverſia iam coorta, doctrinam de incarnatione ſuo modo tradit atque explicat, ſaepe etiam disſentientes refellit. Exſtant quoque Epiſtolae aliquot eiusdem auctoris, de quibus omni-

(*d*) Bibliothèque des Auteurs Eccleſ. Tom. IV p. 63.

omnibus auctor doctissimus, quem modo laudavi, consuli poterit. Taceo iam *Nestorii* magistros, amicos et discipulos, quorum doctrina a *Nestorii* doctrina diversa non fuit, quorum scripta plurima, saepe sub nomine peregrino, conservata sunt, aut sicuti quoque ex aliis eorum scriptis, quae iam dudum periere, ampla Fragmentorum farrago ad manus nostras pervenit. Nihil itaque opus est, formam doctrinae *Nestorianae* ex manibus adversariorum, incrustatam quippe et odiosis coloribus depictam, accipere. Possumus primo, ex ore ipsorum *Nestorianorum* testimonium de sua doctrina audire, illudque postea cum accusationibus adversariorum conferre. Quidquid vero hac de re aliis videatur, ego saltem hanc regulam mihi praescripsi, eamque in sequentibus religiose observabo.

§ 9. *Ex historicis vetustis status controversiae Nestorianae intelligi recte non potest.*

Aliud longe consilium et mihi et omnibus, caussam *Nestorianam* examinaturis, suggerit auctor ille eruditus, cuius vestigia nunc legere me oportet. Ita enim pergit (*e*): *Eo tamen non est deveniendum, ut hinc incerta et dubia, quae de* Nestorio *afferuntur, cuncta esse existimemus, ubi, quantum controversiae* Nestorianae *dicognoscendae et diiudicandae par est, praeter veterum scriptorum disputationes*, Socrates, Evagrius Scholasticus, Nicephorus, Cassiodorus, *ut historiam primae Concilii Chalcedonensis actionis, librum tertium, quem de* Fabulis Haereticis *congessit* Theodoretus, *Breviarium* Liberati *taceamus, abunde nobis suppeditarunt.* Meum iam

(*e*) L. c. p. 26.

iam non erit, ea omnia, quae hic examen merentur, minutatim persequi. Illa quae ad scopum nostrum faciunt, aut quae methodo meae invidiam conciliare, et ambitionis speciem inducere possent, bona fide excutiam. Suadet nempe nobis auctor ille clarissimus, ut, relictis ipsis *Nestorii* et *Nestorianorum* scriptis ac fragmentis, contenti simus iis, quae de causa *Nestoriana* veteres Historiae Ecclesiasticae scriptores, *Socrates*, *Evagrius*, *Theodoretus*, *Liberatus*, *Cassiodorus*, *Nicephorus*, memoriae prodiderunt, et ex hisce fontibus causam, de qua agitur, diiudicemus. Equidem non dubito fore permultos, qui consilium hoc ambabus, quod aiunt, manibus amplexuri sint. Est enim illo, quod ego et commendavi et secutus sum, multo sane facilius et commodius, est compendiosius, cuius beneficio quivis et tempori et labori et operae insigniter parcere potest. Sed fatendum tamen etiam erit, methodum meam esse longe tutiorem et certiorem, aut potius unicam, qua qui verum amat, verum quaerit atque scrutatur, voti sui compos fieri queat. Quid enim, an, ut recte intelligam doctrinam Euangelicorum, quae tempore Reformationis ab illis in Germania, Helvetia, Gallia, aliisque in Regnis et Provinciis asserta fuit, an, inquam, adibo *Surium*, *Florimundum Raemundum*, an adibo *Varillasium* et *Maimburgium*, aut etiam, si ita vis, historicos fidei nequaquam suspectae, *Sleidanum* et *Thuanum*? Equidem ex nonnullis horum scriptorum nil nisi fabulas et figmenta, ex aliis falsa admixta veris, ex nonnullis denique eventus rerum, quibus impliciti fuerunt Euangelici, fideliter addiscam; at vero ipsam doctrinam, eius principia, eius rationes, eius nexum et ordinem, horum omnium quidquam plane nemo mihi explicabit. Cum igitur profitent ipsae horum Euangelicorum Confessiones, quibus universam suam doctri-

nam perſpicue tradunt et exponunt, cur, relictis his, ad commentarios hiſtoricos me conferam? Quis vero est, qui inficias iverit, parem quoque esſe controverſiae *Neſtorianae* rationem? Non nego, *Socratem*, *Evagrium* ceterosque hiſtoricos (*f*) utiliter conſuli posſe, in hiſtoria praeſertim rerum occaſione controverſiae huius geſtarum, quamvis et hic cautione opus ſit; ſed verum controverſiae *Neſtorianae* ſtatum ex illis addisci posſe, id vero est, quod nego. Praeterea, eos leviter admodum totum hoc negotium attingere et perſequi. Taceo, nullum eorum esſe, qui controverſiae huius omnia ſumma capita recenſeat. Non urgeo, eos, ut plurimum, controverſiae huius momenta in numerato non habuisſe, nec ſubtilitates omnes ac tricas perſpexisſe. Id, quod praecipue in hiſtorico requiras, accurationem hiſtoricam in rebus, quae *Neſtorium* ſpectant, in omnibns his ex parte deſiderari merito, certum est. Idque nunc exemplis quibusdam claris et indubiis manifeſtum faciam.

§ 10. Socrates *hiſtoricus laudatur.*

Vt igitur a *Socrate* initium capiamus, eum ego ſemper pro merito ſuo magni feci, ac in Exercitatione veritus non ſum appellare *ſcriptorem laudatae diligentiae et iudicio pollentem*, quamvis ea in re non tam meam protulerim, quam in ſummorum potius virorum (*g*) ſententiam ſaepius testificatam pedibus

(*f*) Attentione utique dignum est, quod de hiſtoricis his iudicium tulit *Matth. Larroquanus* in Disſertat. de Photino p. 17 et ſeq.

(*g*) Praeclare de Socrate iudicant *H. Valeſius* in Praefatione ad Socratem a ſe editum, *du Pin* Bibliothèque Eccleſ. Tom. IV p. 78, *Caveus* Hiſt. Liter. Eccleſ. p. 339, *Fabricius* Biblioth. Graec. Vol. VI. p. 119.

dibus iverim. Et profecto in ipsa hac nostra causa *Nestoriana* satis prodidit, quanta esset ingenii eius in diiudicandis rebus perspicacia. Ita enim ille scribit: *Proinde cum haec quaestio*, de voce Θεοτόκος, *ab aliis aliter esset excepta, dissidium ortum est in Ecclesia. Ac veluti in nocturna quadam pugna temere dimicantes, modo haec, modo illa dicebant, idem affirmantes pariter et negantes.* Postea testatur, se libros *Nestorii* legisse, unde tamdem hoc iudicium fert: *Mihi quidem videtur* Nestorius, *nec Paulum Samosatensem, nec Photinum imitatus: neque omnino nudum hominem Christum dicere*, (quorum errorum accusabatur ab adversariis) *sed solam Deiparae* (Θεοτόκου) *vocem velut larvam quamdam reformidat.* Et quibusdam interpositis ita pergit: *Christum enim nudum hominem ab illo non dici, sicut Photinus et Paulus Samosatenus dixerunt, homiliae ab illo editae satis docent. In quibus nusquam Verbi Dei hypostasin tollit*, etc. *Socratis* hocce iudicium multis, interque eos *Garnerio*, vehementer displicuisse, non est quod mirer, illud vero me mirari fateor, quod cum vir ille eruditus agnovisset (*h*) quidem, ea quae *Socrates* scripsit *procul dubio vera esse*, tametsi, ut addit, *ad rem non facientia*, alio loco tamen (*i*) ita censuerit, *Socrati adhaerere homines perfervidae aetatis et contentiosae mentis, quod non insolens.* Nam si eo significare voluit, *Socratem* ipsum mentis quoque fuisse praefervidae et contentiosae, certe immane quantum aberravit a vero. Diceres eum vix unicum in historia *Socratis* caput debita cum attentione legisse, cui tale excidere potuerit iudicium, quod in alium quemvis

(*h*) Notis in *Marium Mercatorem* Tom. II p. 297. fin.
(*i*) Ibid. p. 283.

vis ſcriptorem magis, quam in *Socratem* quadrare, iudicabunt omnes, quibus ſcriptor ille bene cognitus est. Ille enim adeo ubique ſibi ab omni animi aeſtuantis ardore et vehementiori affectus impetu temperare ſolet, adeo ubique placidam mentis ſerenitatem ſervat, adeo ſemper, etiam ubi lites haereticorum cum orthodoxis refert, legibus boni hiſtorici obſecundat, ut multis e Pontificiis, illis nempe, qui diras et imprecationes in haereticos pro certisſima orthodoxiae tesſera habent, dubium fecerit, fueritne orthodoxus, an vero ex haereticorum grege.

§ 11. *In hiſtoria tamen Neſtorii aliquos errores commiſit.*

Quae tametſi ita ſe habeant, negari tamen non poteſt, *Socratem*, qui ſaepius humani quidpiam pasſus est, etiam in tradenda hiſtoria *Neſtorii* ea nonnumquam memoriae mandasſe, quae aut vulgi rumusculis, aut praeiudicatis quorumdam opinionibus magis nituntur, quam ipſa rei veritate. Ita certe hiſtoriam litis *Neſtorianae* de uſu vocis Θεοτόκος (*k*) enarrat, tamquam levi tantum occaſione exorta, a *Neſtorio* vero veluti fortuito caſu, ſolo fere Anaſtaſium amicum ſuum defendendi ſtudio nimis pertinaci, alita ac fota fuerit, cum, uti alias (*l*) iam probavi, conſenſu totius antiquitatis conſtet, *Neſtorium* doctrinam ſuam, quae ipſum poſtea orthodoxis odioſum reddidit, in ſchola Orientalium didicisſe, Antiochiae profesſum fuisſe, et inde Conſtantinopolin ſecum vexisſe. Mox alius manifeſti erroris idem *Socrates* reus deprehenditur, quando lectoribus

(*k*) Lib. VII c. 32.

(*l*) In Disſert. de Origine et Fundamento *Neſtorianismi* §. 4, 5 [ſupra p. 265 ſqq.]

bus suis persuadere (*m*) annititur, causam declinatae a *Nestorio* vocis Θεοτόκος nullam aliam, quam hanc fuisse, quod *Nestorius* indoctus, et in lectione antiquiorum Ecclesiae doctorum, qui vocabulum illud non inviti adhibuerint, parum fuerit exercitatus, unde ipsi vocabulum illud adeo novum visum fuerit. Id enim non modo verosimile non est; sed etiam e contrario scimus, Theodoro Mopsuesteno, *Nestorii* magistro, Antiochiae diu ante de eadem illa voce controversiam plane similem intercessisse cum Apollinaristis, quam etiam (*n*) in libris *de Incarnatione* prolixe exposuit, atque ex doctrina Patrum illustravit. Haec *Nestorio* incognita fuisse, tanto minus ego ut credam, adduci possum, quia reperio, *Nestorium* iisdem fere verbis hanc suam doctrinam publice proposuisse, quibus Theodorum Mopsuestenum usum fuisse, fragmenta libri illius perspicue testantur. Taceo iam plurimos veterum *Nestorio* doctrinae laudem non invidere, ut supra iam monui, quos inter praecipue auctor capitis XII Lib. IV Haereticarum Fabularum *Theodoreti*, qui sine dubio *Nestorio* se inimicum valde ostendit, et tamen testatur, eum et ab ipsa iuventute studiorum disciplina imbutum fuisse, et posthaec, cum publico munere iam fungeretur, domi libros diligenti ac continua manu versasse, quae testimonio *Socratis* palam adversantur. Non maiori fide auctor hicce dignus est, ubi (*o*) commemorat, *Nestorium*, coacto iam Concilio Ephesino, et metu periculi immi-

(*m*) Libro et capite citato.

(*n*) De libro illo consuli potest *Garnerius* in Marium Mercatorem Tom. II p. 260. Fragmentum ex eo libro de usu vocis Θεοτόκος attuli in Exercitatione de *Nestorianismo* p. 10, 11, in notis [supra p. 174 sqq.]

(*o*) Lib. VII cap. 34.

minentis perculſum, mutata aut disſimulata ſententia, in voces iſtas erupisſe: *dicatur per me Maria Θεοτόκος, et ſimultas omnis conquieſcat!* Famam enim huius rei, cui aurem credulam nimis *Socrates* praebuit, rerum geſtarum veritati adverſari, et ego in ſequentibus luculenter demonſtrabo, et agnoverunt pridem ſcriptores in cauſa *Neſtorii* minime ſuſpecti, *Io. Garnerius* (p) et *Lud. Dulcinius* (q). Alia quae obſervari praeterea posſent, libenter nunc omitto.

§ 12. Theodoretus *hiſtoriam Neſtorii ſcripto non tradidit.*

Ad *Theodoretum* ut iam tranſeat noſtra Disſertatio, illius quidem hiſtoria *Neſtorii* et rerum *Neſtorianarum*, ſi quam haberemus, omnibus aliorum in hoc genere ſcriptis ſine dubio esſet anteponenda. Ille enim *Neſtorio* iam a puero amicitia et diſciplina coniunctisſimus fuit, ille etiam eorum, quae cum *Neſtorio* acta ſunt, non ſpectator modo, ſed et pars exſtitit. De eius fide, diligentia et dexteritate, non est, quod quisquam dubitet. Verum nihil huiusmodi exſtat ab eius manu profectum. Nam *caput* XII *Libri* IV *Fabularum Haereticarum*, quod *Neſtorium* ſpectat, quodque a plerisque ſub *Theodoreti* nomine laudatur, operi illi diu post *Theodoreti* mortem asſutum fuit, et alium quemvis potius, quam *Theodoretum* auctorem habet. Quare non miror, auctorem illius laciniae, non fabulas haereticorum, ſed ſuas aut aliorum certe fictiones nobis nonnumquam offerre. Cuiusmodi illud est, quod ſcripſit,

(p) In notis ad *Marium Mercat.* Tom. II p. 81.
(q) Hiſtoire du *Neſtorianisme* Liv. I p. 113, 114.

ſcripſit, Neſtorium *aliam ex alia regione commutasſe, tamdemque Antiochiam pervenisſe.* Nobis vero ex monumentis fidei indubiae (*r*) conſtat, *Neſtorium* puerum adhuc Antiochiae Baptismum ſuſcepisſe, poſteaque ſemper ibi vixisſe et docuisſe, usque dum Conſtantinopolin ad ſedem Epiſcopalem evocaretur. Dixerat idem auctor eodem loco, *incertum ſibi esſe, cuiusmodi ſtudiis* Neſtorius *imbutus fuerit* in pueritia et iuventute, cum nemo hiſtoriae peritorum, omnium vero minime *Theodoretus*, condiſcipulus *Neſtorii*, ignorare potuerit, eum in monaſterio Euprepii Antiochiae ſacris Literis incubuisſe, et diſciplina Theodori, Epiſcopi deinde Mopſueſteni, uſum fuisſe.

§ 13. *De* Evagrio *hiſtorico.*

Evagrius, qui prolixius reliquis hiſtoriam hanc perſequitur, hic praetereundus non est, ut intelligatur, neque huic in rebus, quae *Neſtorium* ſpectant, tuto ſemper fidem tribui posſe. Scriptum e. c. is (*s*) reliquit, Neſtorium, *cum ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum proficisceretur, Mopſueſtiam ad*

(*r*) Hoc etiam obſervavit *Garnerius* Disſert. II de libris Theodoreti, in Auctario Operum eius p. 252, ubi plura de hoc argumento.

(*s*) Hiſt. Lib. I cap. 3. Obſervari hic potest, *Lud. Dulcinium* relationem hanc *Evagrii* conferentem cum iis, quae leguntur Lib. IV cap. 12 Fabularum Haereticarum *Theodoreti*, ex duabus falſis hiſtoriis tertiam concinnasſe, veritati adhuc magis repugnantem. Sic enim ſcribit, *Hiſtoire du Neſtorianisme* Liv. I pag. 5, 6: *Apres ſes premieres études, il avoit voyagé, et c'étoit dans le cours de ſes voyages*, qu'il avoit connu Theodore *Evêque de Mopſueſte.*

ad Theodorum divertisse, et audita illius doctrina, a recta fide deflexisse. Hoc vero commentum historia illius temporis genuina falsitatis aperte coarguit. Namque *Nestorium* non Mopsuestiae, sed Antiochiae disciplina Theodori usum fuisse, alias (*t*) pluribus evici. Et praeterea *Nestorium* in transitu illo, dum Antiochia Constantinopolin peteret, cum Theodoro, qui tum in vivis esse desierat, congredi non potuisse, *Garnerius* (*v*) contra *Evagrium* recte observat, qui et historiam illam *falsam* vocare *famam* veritus non est (*x*). Idem porro *Evagrius* auctor est, *Cyrillum petiisse a Theodosio, ut Synodus Ephesi congregaretur*, in quo recentiores quidam nimis facile auctoritatem eius sibi imponere passi sunt. Et vero e contrario certum (*y*) est, *Nestorii* instinctu, non Cyrilli, et hoc fere invito, Concilium illud ab Imperatore coactum fuisse. Ipse *Evagrius*, eorum quae dixerat immemor, alio loco (*z*) testatur, quosdam *Nestorio* obiecisse, *ipsum non recte postulasse, ut Synodus Ephesi congregaretur.* Idque luculentissime perspicitur ex epistola *Nestorii* ad Coelestinum Episcopum Romanum, in qua de Cyrillo scribit (*a*), ipsum *ad evitandam sacram Synodum, propter hos ipsos libellos futuram, quasdam alias interea excogitare cogitationes verbo-*

(*t*) Dissertat. *de origine et Fundamento Nestorianismi* §. 5. [supra p. 267 sqq.]

(*v*) In *Historia* Theodoreti. Vide Auctarium Operum Theodoreti p. 118.

(*x*) Lib. I Hist. c. 3.

(*y*) Vide *Garnerii* Praefat. in Operum *Marii Mercatoris* Tom. II pag. 19, 20, et in notis p. 81, 82.

(*z*) Lib. I c. 7.

(*a*) In Opp. *Marii Mercatoris* Tom. I p. 80, 81. Adde eiusdem epistolam ad Iohann. Antioch. in Synodico Casin. cap. 3, edit. Baluzii.

borum; et in fine: *Placuit vero piissimis Imperatoribus, Domino adiuvante, etiam Synodum inexcusabiliter totius orbis terrarum indicere.* Quae scriptor idem (*b*) de tragica *Nestorii* morte, in qua iudicii Divini in impium *Nestorium* luculenta indicia videre sibi visus est, memoriae prodidit, cum aliis de causis suspecta non immerito sunt, tum eo praecipue, quod duas relationes attulerit, vehementer a se discrepantes. Primo enim scribit, *Nestorium* in exilio suo per deserta Thebaidis *loca subinde mutare coactum, terrae aliquando allisum interiisse.* Postea vero scriptoris cuiusdam anonymi hancce narrationem adtexit: *Ego vero scriptorem quemdam legi, de illius morte ita narrantem: eum lingua vermibus erosa ad sempiterna migrasse supplicia. Verum Evagrius*, inquit (*c*) scriptor iudicii perquam politi, *narrationem hanc nullo alio testimonio confirmat, potuitque fieri, ut auctor ille anonymus eam ipse excogitaverit, quia communis est persuasio, haereticorum omnium mortem esse tragicam.* Alius tamen scriptor, *Evagrio*, ut ego quidem censeo, posterior, diligens rerum *Nestorii* scrutator, quique non facile aliquam ipsi maledicendi occasionem elabi sinit, huiusmodi tamen mortis omnino nullam mentionem fecit. Ita enim ipse (*d*) loquitur: Nestorius *iussu Imperatoris condemnatus ad exilium in Oasi Aegypti colendum, illic futuri impiorum supplicii coepit primordia, propria sua amentia absumtus.* Ad *Evagrium* nostrum ut redeamus, is alio loco (*e*) famam illam, cuius *Zacharias*, Mitylenaeus

(*b*) Lib. I c. VII p. 263. B, et 265 C.
(*c*) *Du Pin* Bibliothèque Tom. IV. p. 62.
(*d*) Auctor capitis XII, quod Libro IV Fabularum haereticorum *Theodoreti* adtextum est.
(*e*) Lib. II cap. 2. fin.

naeus Metropolita, in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica meminerat, *Neſtorium ex exilio ad Concilium Chalcedonenſe fuisſe evocatum*, praeter omne meritum falſitatis arguit. Illam enim Zachariae relationem, etiam Philoxeni, Episcopi Mabugienſis, Monophyſitae, testimonio diſertisſimo confirmat eruditorum ſeculi noſtri ſingulare decus, *Mat. Veysſiere la Croze* in epiſtola quadam (*f*) ad me ſcripta, et typis edita. Scribit autem Episcopus ille Monophyſita, qui favoris in *Neſtorium* nimii ſuſpectus nemini esſe poteſt, ſe id ipſum, quod Zacharias literis etiam mandavit, reſcivisſe non ex ſolo auditu, ſed ex illo ipſo homine, qui ad arcesſendum *Neſtorium* misſus fuerat. Et alio loco (*g*) ipſe ſane *Evagrius*, aliud agens, rei huius veritatem corroborat. Commemorat enim, *Theodoſium reditum* Neſtorii *decrevisſe*, Neſtorium *etiam redeundi initium fecisſe, ſed in itinere, terrae alliſum, interiisſe.* Rem ipſam, quam narrat *Evagrius*, veram iudicavit pariter *Io. Garnerius.* Sed is tamen *Evagrii* narrationem hoc modo veluti corrigere (*h*) voluit: *Tanta miſeriarum perpesſione ...... inflexit tamdem Imperatoris animum: quare permiſit hominem ab exilio redire; ſed ſenio, calamitatibus et aerumnis in via confectus est.* Ceterum mihi dubium non est, quin *Evagrius* verbis modo citatis reſpexerit ad eam rem, quam *Philoxenus* paulo accuratius et prolixius ſic deſcribit: *Neſtorius, niſi eum, antequam convocaretur Synodus (Chalcedonenſis), iudicium Dei ſustulisſet, ipſe quoque ad eamdem cum reliquis Epiſcopis evocatus fuisſet: id quod a me non ſolo auditu dictum, ſed quia vere haec ab eo didici, qui ad arcesſendum eum mis-*

(*f*) Vide Muſeum Bremenſe Tom. I, p. 91.
(*g*) L. I c. VII p. 263.
(*h*) In Auctario Operum Theodoreti p. 155.

missus fuerat: et clare etiam apparet ex ipsius epistola, quam ad homines suae opinionis, qui tum Constantinopoli morabantur, direxit.

§ 14. *Disputationis huius epilogus.*

Haec de praecipuis eorum, qui ex veteribus res *Nestorii* scripto consignatas nobis reliquerunt, observasse sufficiat. De reliquis historicis, qui hos, de quibus hactenus disserui, tantum sequuntur, nisi quod eorum errores novis et propriis suis accumulent, nihil addo. Nec etiam ea, quae de Socrate et Evagrio hactenus tetigi, ideo a me prolata esse, quisquam cogitet, ut fidem illorum diminuam, et famae detraham. Absit! aequius ferre didici iudicium. Relata ipsi sine dubio referunt. In Socrate etiam limatum iudicium et fidem summam deprehendas. Sed alios tamen duces sequi debuerunt. Neque enim historias excogitare licet. Inter diversas autem relationes historicas illam semper eligere, quae vera est, eam scientiam, eam attentionem, eam sentiendi libertatem, eam denique in iudicando vim requirit, ut in paucis aliqua horum, in nemine omnia coniuncta, et numeris omnibus absoluta, reperiri possint. Absque his scriptoribus multa profecto nos ignorare oporteret. Sed cum tamen falli potuerint, cum deceptos fuisse no semel in historia rerum *Nestorii*, ostenderimus, cum controversiam *Nestorianam*, non Theologice, sed Historice, idque perfunctorie satis persequantur, cum lectores suos saepe in errorem manifestum inducant, sane causa nulla est, ut sepositis ipsis authenticis controversiae *Nestorianae* monumentis, in fide historicorum acquiescamus, quasi non dulcius ex ipso fonte bibantur aquae.

DIS-

DISPUTATIO PERIODICA PRIMA [*].
DE HENOTICO ZENONIS.

§ I. *Scopus et dispositio huius Dissertationis.*

Iniquam valde eos plerumque expertos esse sortem, qui, dissidentibus et dimicantibus inter se, in Ecclesia, partibus, pacem aut maiorem in modum commendare, aut etiam ipso opere reducere annisi sunt, omnium fere seculorum testatur historia. Equidem inficias non eo, exstitisse permultos semper, qui, iucundo pacis nomine insidiose abutentes, consiliis suis id profecto egerint, ut cum luce Divina tenebrae errorum vinculo prorsus infausto sociarentur, ut verum cum falso in unum compingeretur, ut denique Ecclesia Dei genuinum suum nitorem ac splendorem amitteret. Et quis tamdem molimina huius generis pacifica suffragio suo comprobaverit, aut lau-

[*] Cur disputatio dicatur *Periodica*, intelligere est ex annotatione t. III p 143. *Prima* haec de Henotico Zenonis disputatio edita est a. 1739. In praefat. tom. I. p. 26 monui, ignorare me atque dubitare, an *secunda* in lucem exierit. Non videtur umquam typis expressa, cum ipse *Iablonskius*, in Institutionibus Historiae Christianae. tom. I p. 157, quae prima vice a. 1754 prodierunt, unius tantum dissertationis meminerit.

laudibus condecoraverit ? Accidit tamen etiam, et tantum non ſemper viris optimis, veritatis non minus, quam pacis, ex pio mentis affectu ſtudioſiſſimis, ut quoties de tollendis disſidiis vere inauſpicatis, deque reſtituenda Eccleſiis pace ſalutari cogitarent, et operi tam deſiderabili manus admoverent, hi tamen eorum tam egregii conatus a longe plurimis invidioſe traducerentur, ac ad ultimum ſucceſſu exoptato fraudarentur. Nihil in Hiſtoria ſeculi quinti Eccleſiaſtica celebrius est *Henotico* illo, vel *Decreto unitivo*, quod a. C. 482 Zeno Imp. publice in Eccleſia propoſuit, ut animos hinc quidem Catholicorum, illinc vero Eutychianorum, mutuis in ſe odiis et inimicitiis mirifice inflammatos, mitigaret, ipſosque ad ſtudium concordiae invitaret. Mihi quidem, ut libere dicam, quod ſentio, ubi faciem illorum temporum cogitatione revolvo, ubi rem ipſam et praecipua eius momenta ſeria aeſtimatione mecum perpendo, conſiliis illis et conaminibus henoticis nihil videtur ſalubrius, nihil magis tempeſtivum. At aliter omnino iudicarunt veteres plerique, quo factum est, ut bona et ſalutaria Eccleſiae conſilia eventus deſtituerit auſpicatus. Nec ita longe ab illorum iudicio recedunt ſcriptorum recentiorum longe plurimi, quorum calculis conſtat Henoticon Zenonis improbari et condemnari plerumqne ſolere: Ego, uti illorum iudicio nihil quidquam detractum aut praeiudicatum cupio, ita, cum ab iis tamen disſentire cogar, aequum cenſeo, ut ſententiae meae rationes proferam et aequanimi lectoris examini ſubiiciam. Ita autem exiſtimo, I. Auctores Henotici, in doctrina de perſona Christi, nihil credidisſe ac tenuisſe, quod rectae fidei adverſum esſet. II. Occaſiones, quae ſeſe obtulere, Henoticon publice proponendi, fuisſe idoneas, et maximi utique momenti. III. Henoticon ipſum, ſive res in eo compre-

prehenſas, ſive modum ſcribendi excutias, nihil nobis exhibere, quod vituperatione ulla dignum ſit. IV. Auctores illius ſcopum habuisſe ſibi propoſitum optimum, pietati et Principis Chriſtiani, et boni Eccleſiarum Praeſulis convenientisſimum, ſalubre quoque Eccleſiae futurum, niſi ſcopo ſuo et auſu auctores illius excidisſent. In explicandis duobus prioribus capitibus, Disſertatio haec verſabitur; reliqua, ſi Deus volet et ego vivam, redeunte ad me ordine Disſertationum periodico, perſequar.

§ 2. *Henotici auctores praecipui.*

Henoticon ſive *Edictum unitivum*, uti iam dixi, a Zenone Imperatore a. C. 482 eum in finem publice propoſitum fuit, ut furor, qui ab una parte Catholicorum quorumdam; ab altera parte Eutychianorum animos occupaverat, reſtingueretur, utque decedente animis impotenti irae impetu, omnes ad colendam et exercendam mutuo pacem, amicitiam et benevolentiam tanto evaderent promptiores et alacriores. Totum hocce *Henoticon* Graece exhibetur ab *Evagrio* in Hiſtoria Eccleſ. Lib. III cap. XIV, et Latine converſum a *Liberato* in Breviario cap. XVIII, ut alios taceam, qui idem ex hisce auctoribus deſcripſerunt. Nos vero illud hic non tranſcribimus, quia non librum, ſed disſertationem arctis limitibus circumſcriptam edimus. Illius Henotici conſcribendi et publice proponendi primus ſuaſor auctorque fuisſe videtur *Petrus Mongus*, ſectae Eutychianae in Aegypto Patriarcha. Sed verus tamen ſcripti auctor, e cuius calamo fluxit, conſenſu veterum omnium perhibetur *Acacius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus. Ab hoc autem compoſitum Henoticon *Zeno* Imperator nomine ſuo publicavit, unde communiter *Henoticon Zenonis* ab omnibus nuncupari ſolet.

ſolet. De omnibus hisce ſigillatim monebo nonnulla, ut intelligatur, nullam ex eorum nominibus Henotico noſtro invidiam, aut etiam ignominiam conciliari merito posſe.

§ 3. *Praecipuus Henotici ſuaſor fuit Petrus Mongus, Eutychianus.*

Dixi igitur mihi ſic videri, primum Henotici conſcribendi ſuaſorem auctoremque fuisſe *Petrum Mongum* [*], ſectae Eutychianorum in Aegypto Patriarcham, hominem non modo doctrinae perverſae, ſed gravium quoque criminum inſimulatum. Colligo id ex testimonio *Liberati*, hac de re ita (*a*) ſcribentis: *Occurrerunt quidam a Petro* (Mongo) *volentes quaſi fieri unitatem. Quos iucundisſime ſuſcepit Acacius.* Et interiectis quibusdam: *Acacius auxilio patronorum Petri perſuaſit Zenoni, ut fieret Henoticon.* Nempe *Petrus* ille, magnum inter Eutychianos in Aegypto nomen, mortuo Timotheo Aeluro a. C. 478 ab haereticis in Episcopum Alexandrinum electus et ordinatus erat. Sed nihil ipſi, illo quidem tempore, ordinatio haec profuit. Zeno enim Imperator Timotheum Salophaciolum, qui iam olim a Catholicis ſedi Alexandrinae praefectus fuerat, eidem nunc plenisſime reſtitui voluit, quare factum est, ut Timotheus Orthodoxus Episcopatum Alexandrinum obtinuerit, et pacate usque ad mortem gesſerit. Cum autem ille a. C. 482 vitam cum morte commutasſet, Catholici quidem eius loco elegerant *Iohannem* quemdam *Talaiam*, Eccleſiae Alexandrinae oeconomum, virum etſi de fide recte ſen-

(*a*) In Breviario cauſae Neſtorianorum et Eutychianorum, cap. VII.

[*] Dicitur a *Moshemio* aliisque *Moggus*, quia nomen Graecum fuit Μόγγος.

ſentientem, arrogantem tamen et ſuperbum, periurii aliorumque criminum accuſatum, Zenoni Imperatori et Acacio Patriarchae Conſtantinopolitano non uno nomine inviſum, qui ea de cauſa electionem eius irritam esſe iusſerunt. Haec cum ita gesta esſent, animum addiderunt *Petro Mongo*, posſe fieri, ut ſedem Alexandrinam, e qua deturbatus erat, iterum conſcendat. Verum quia non ignorabat, Zenonem Imp. et Acacium Patriarcham rectae fidei et placitorum Concilii Chalcedonenſis tenacisſimos esſe, et his velificari magnopere cupiens, et amicorum ſuorum Eutychianorum in Aegypto rationem habendam putans, novam viam et ipſe ingredi et Imperatori pariter atque Patriarchae ſuadere voluisſe videtur *Henoticon*, quippe quo et Catholicorum et Eutychianorum honori conſultum putabat, excogitata et praeſcripta tali Confesſionis forma, cui ab utraque parte omnes, ſalvo honore, ſalva conſcientia, ſalva doctrina priſtina, ſubſcribere posſent. Subſcripſit etiam ipſe Henotico illi a Zenone publice propoſito, eoque Epiſcopatus Alexandrini dignitatem, quam aucupabatur, adeptus est. Quod posthaec Epiſcopus ille Alexandriae egerit, quomodo fidem datam Imperatori et Patriarchae ſervaverit, meum iam non erit, operoſe disquirere. Tota vetuſtas eum nobis depingit ut hominem levem, nihil penſi habentem, iura omnia divina et humana contemnentem, et in omnibus ambitioni ſuae unice morem gerentem. Sit ita, per me licet, etſi in veterum de eo narrationibus quaedam occurrant, quae difficulter conciliari inter ſe posſint. Ex omnibus tamen illis criminibus, quae in rationibus eius ponuntur, nihil dedecoris in Henoticon noſtrum redundare posſe, omnibus, puto, oppido manifestum est. Etſi enim vero perquam ſimile videatur, huncce hominem Acacio conſilium de conſcribendo Henotico ſuggesſisſe,

ſciunt

ſciunt tamen omnes, ſcriptum ipſum a manu eius profectum nequaquam fuisſe. Quodſi vero ipſe Henotico Imperatoris, ad obſecundandum animo ſuo, pesſime abuſus est, ex eo tamen iuſto Edicti illius pretio nihil decedet, quippe quod non ex abuſu, verum ex legitimo uſu aeſtimari oportet. Si ipſe Henoticon in faciem diſcordiae vertit, ſi in ipſius manu cauſa novarum turbarum in Eccleſia exſtitit, ex eo ſequi non poterit, ipſius Edicti inſtitutum nec Deo gratum, nec Eccleſiae ſalubre fuisſe.

§ 4. *Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus est verus Henotici auctor.*

Sed pergimus potius ad *Acacium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, verum Henotici celeberrimi auctorem, qui illud, verbis utor Chronologi (*b*) praeſtantisſimi, *Imperatori aut ſuaſit, aut dictavit*, in quo veteres omnes conſentientes habet. Qui decreta Pontificum Romanorum plus iuſto venerantur, *Baronius* cumprimis, et qui eum incaute ſequuntur, ut Henoticon invidia obruant, auctorem eius *Acacium* ambitionis immoderatae aliorumque criminûm coarguere annituntur. Quod ſi vel ita ſe haberet, nemo tamen eſt, qui non intelligat, cauſam Henotici eapropter deteriorem neutiquam evadere. Quotus enim quisque est, qui non arrogantiam, ambitionem et artes illiberales Cyrilli Alexandrini condemnet, et doctrinae tamen Concilii Epheſini, in quo potiores eius fuere partes, libenter ſubſcribat? Nihil prohibet, quo minus unus idemque bene vivendi regulas turpiter negligat, et optimi tamen

(*b*) *Antonius Pagi* in Critica Annalium Baronii ad a. C. 482. num. XXI.

men libri auctor ſit. Voluntas lumine intellectus non ſemper agitur et dirigitur. Ego vero, ſi hiſtoriam ſeculi illius, ea qua par est, cura expendo, nihil utique reperio, quod criminationibus adverſariorum Acacii patrocinetur. Fateor quidem, eum iura ſedis ſuae Conſtantinopolitanae, eidem ab Imperatoribus conceſſa, et in duobus Conciliis generalibus, Conſtantinopolitano et Chalcedonenſi, luculentisſime confirmata, adverſus Epiſcoporum Romanorum et Alexandrinorum iniqua molimina fortiter et magno animo defendisſe. Sed mirifico partium ſtudio eum transverſum abreptum esſe oportet, qui hocce factum in primo totius Orientis Praeſule reprehendendum esſe putet. Hiſtoria autem ceteroquin testatur, eum Imperatoribus venerabilem, toti populo carisſimum, et Cleri veluti ocellum exſtitisſe. Operae pretium est, verba quaedam (*c*) ſcriptoris illius temporis laudatisſimi, *Malchi*, apponere, quibus et Antiſtitis illius mores nobis depingit, et originem calumniae aperit: *Acacius*, inquit, *Patriarcha Conſtantinopolitanus, vir fuit, ſi quisquam alius, venerandus. Cum enim orphanotrophii praepoſitus fuisſet, et pupillorum res praeclare adminiſtrasſet, omnibus gratus fuit. Quin etiam familiaris fuit Leoni Imperatori, eique valde placuit. Is enim omnia et publica et privata cum eo ſemper primo communicabat. — Cum animadvertisſet Leonis crudelitatem in eos, qui ipſum aliqua in re offendisſent, eiusque ingenio diligenter explorato obſervasſet, eum laudibus valde capi, omnia eius magni ſe facere ſimulabat. Quamobrem ipſum ſibi obtemperan-*

(*c*) *Suidas* in articulo Ἀκάκιος haec deſcripſit ex auctore Anonymo, ſed quem esſe *Malchum* veroſimiliter coniecit *Valeſius* in notis ad Scriptores Hiſtoriae Eccleſiaſt. Tom. III p. 167.

rantem habuit, iramque eius facile compressit, et multis, qui eum offenderant, salutis auctor fuit, illosque, qui ad perpetuum exilium damnati erant, in patriam revocavit. Post obitum Gennadii, Patriarchae Constantinopolitani, studio Zenonis, successor eius designatus est. Hic cum ad gubernandum alios aptus esset, et omnes Ecclesias sibi subiectas haberet, summam eorum, qui Clero adscripti erant, curam gessit; qui imaginem eius in Oratoriis dedicaruut. Cum igitur in omnibus simul Ecclesiis eius imagines ostenderentur, quidam existimarunt, eum vana gloriae cupiditate inductum, imagines suas dedicari iussisse. Nempe quod hodieque passim obtinet, ut pastorum imagines, memoriae causa, in quadam templi parte asserventur, quodque affectus Clericorum in Patriarcham ipsis suggesserat, a nonnullis ambitioni eius attributum esse, hinc colligitur.

§ 5. *Acacius, cum Henoticon conscriberet, orthodoxus erat.*

Maiorem *Henotico* invidiam ex eo (*d*) conciliare conantur eiusdem inimici, quod illi, quibus obstetricantibus foetus iste in lucem prodiit, *Acacius* Patriarcha et *Zeno* Imperator, et ipsi Eutychiana haeresi corrupti, et haereticorum fautores exstiterint; unde coniicere pronum sit, *Henoticum* ab ipsis alio fine omnibus publice propositum non fuisse, quam ut esset praesidio Eutychianis, hique sub illo securi latere possent. Sed profecto utrumque, tam *Acacium*, quam *Zenonem*, eo tempore, quo Henoticon in lucem emissum est, doctrinae orthodoxae statores et vindices peracres exstitisse, si ulla est in rebus histori-

(*d*) Potest hic conferri *Archibaldi Boweri* historia Paparum Tom. III p. 48, 103, 117, 118.

ticis certitudo, tam certum est, quam quod maxime. Et primo quidem, quod ad *Acacium* Patriarcham Constantinopolitanum attinet, res haec ex omnibus genuinis historiae monumentis est testatissima et clarissima. Nam sub *Basilisco* Tyranno, qui Zenonem legitimum Imperatorem solio Imperiali deturbaverat, quique postea, literis Encyclicis ad Ecclesias omnes (*e*) missis, Concilium Chalcedonense sine circutione anathemate devoverat, doctrinam illius haereticam pronunciaverat, et ut pro tali ab omnibus haberetur, severe edixerat, non alia de causa iniurias indignissimas passus fuerat, quam quod (*f*) moliminibus hisce Tyranni iniquis animose restitisset. Vnde *Ennodius* Ticinensis Episcopus, qui non diu post floruit, commemorat (*g*) *certamen et triumphum, quem sub Basilisco Acacius pio sudore meruerat.* Post restitutum vero imperio *Zenonem*, Acacius idem Timotheum Aelurum, Petrum Fullonem, Iohannem Apamenum et Paulum Ephesium, factionis Eutychianae principes, in Concilio Constantinopolitano a. C. 478 damnatos, exauctoravit, effecitque, ut sedibus eorum praeficerentur Catholici. Scripsit praeterea ad *Simplicium*, Episcopum Romanum, petens ab eo (*h*), ut, si forte ad sedem Romanam haeretici illi confugerent, eos ex-

(*e*) Verba adducentur infra § 9.

(*f*) Vide *Evagrium* Lib. III cap. 3, 7, *Theophanem* in Chronographia p. 104. Adde *Pagium* ad a. C. 476, passim.

(*g*) In Dictione VI. Vide Opera *Sirmondi* Tom. I, col. 1744 [*].

(*h*) Vide epistolam *Acacii* in tomis, Conciliorum *Binii* Tom. III Part. I p. 439, et aliam, cuius ex auctore *Breviculi* meminit *Pagius* ad a. C. 477, num. XV.

---

[*] Sintne haec verba *Ennodii*, dubitat *Sirmondus* t. I Op. p. 1058 edit. Venetae.

expelleret, et poenitentia indignos iudicaret. Quid igitur miramur, si audimus *Simplicium* hunc *fidem Acacii probatissimi Sacerdotis* (*i*) collaudantem? Neque vero ab illa recta fide defecit Acacius, cum Henoticon scriberet, et *Petrum Mongum*, illi subscribentem, in sedem Alexandrinam restitueret. Nam et hunc, antequam Henoticon recepisset (*k*), damnaverat, et Simplicium Romanum, ut idem faceret, hortatus erat. Itaque nonnisi ideo ipsi conciliatus postea fuit, quam quod crederet, eum, dum subscriberet *Henotico*, sanam de persona et naturis Christi doctrinam indubitate exponenti et adstruenti, nunc tamdem ad bonam frugem se recepisse. Id etiam ex eo insigniter confirmari potest, quod, iubente Acacio, Petrus *Henoticon* non tantum admittere, sed et *Concilium Chalcedonense approbare debuerit* (*l*), antequam voti compos fieret. Quam ob rem cum postea Acacio relatum esset, *Petrum* illum contra datam fidem Concilium Chalcedonense anathemate percussisse, ex eo *non mediocriter conturbatus fuit* (*m*). Neque ipse satisfactum eo sibi credebat, quod Petrus prolixa epistola (*n*) se de innocentia purgasset, *missi* etiam (*o*) *sunt ab eo, qui rei veritatem inquirerent. Quibus cum Petrus persuadere vellet, nihil eiusmodi a se factum esse, acta confici curavit, in quibus quidam testati sunt, nihil hu-*

(*i*) In Epistola ad Clerum Constantinopolitanum, Concil. Tom. II Part. I, p. 438.

(*k*) Vide Concilia loc. cit. p. 439, et *Liberatum* cap. XVII.

(*l*) Epistola *Petri Mongi* ad Acacium, apud *Evagrium* Lib. III c. 17.

(*m*) *Evagrius* Lib. III cap. 16.

(*n*) Exstat illa apud *Evagrium* Lib. III c. 17.

(*o*) Haec sunt verba *Evagrii* Lib. III c. 16.

huiusmodi, quod quidem ſcirent, a Petro factum fuisſe. Puto nunc, certisſime conſtare, *Acacium*, cum Henoticum conſcriberet, cumque illud *Petro Mongo* ſubſcribendum porrigeret, purae et rectae doctrinae fautorem fuisſe conſtantisſimum. Quae vero poſtea ab Acacio, aut cum eo geſta ſunt, ad hoc noſtrum negotium non ſpectant, neque etiam locum hic inveniunt. Ego tamen cenſeo, Acacium ſemper in eadem ſententia immotum perſtitisſe.

§ 6. *Zeno, qui Henoticon ſuo nomine publicavit, orthodoxus fuit.*

Fruſtra ſim, ſi de *Zenone* Imperatore, ſub cuius nomine Henoticon in publicum exiit, plura operoſe addere velim. Etſi enim ille inter haereticos collocari ſoleat communiter, etſi *Baronius* clamitet, eum illo ipſo tempore, quo editum fuit Henoticon, ad haereticos clanculum (*p*) defeciſſe, iisque faviſſe, res ipſa tamen et tota genuina hiſtoria vetus aperte reclamat. Et certe, quae de *Acacio* dicta iam ſunt, de *Zenone* dicere pariter oportet, qui poſterior hic, in rebus Eccleſiaſticis, priorem ſemper audivit, eiusque conſiliis in omnibus dirigi ſe pasſus eſt. Eadem igitur conſilia *Acacius* ſuggesſit, et *Zeno* executus eſt. Multa quidem ſcriptores Graeci, *Evagrius*, *Theophanes*, *Zonaras* et reliqui, de libidinibus eius aliisque vitiis narrant, *ſed nullus ſcribit, eum male de religione orthodoxa ſenſisſe* (*q*). Ipſe *Gelaſius*, Epiſcopus Romanus, rectae *Zenonis* fidei teſtimonium honorificum perhibet, quando in ea ipſa epiſtola, qua *Acacium* condemnat, *Zenonem* vo-

(*p*) In Annalibus ad ann. 474, num. VII ad XI.
(*q*) Haec ſunt verba accuratisſimi et iudicioſi *Pagii* ad a. C. 474, num. IV.

vocat (*r*) *legitimum Imperatorem, qui ſe Catholicum videri volebat.* Et quid ego in vindicanda orthodoxa *Zenonis* fide nunc pluribus allaborem, cum ſcriptor (*s*) communionis Pontificio-Romanae doctisſimus id iam dudum feliciter et plenisſime praeſtiterit?

§ 7. *Occaſio Henotici publicandi prima, disſidia Theologorum de perſona et naturis Christi gravia et diuturna.*

Tranſeo potius ad occaſiones, quae auctoribus *Henotici* ſeſe obtulere, illud publice proponendi, quae, ſi quid recte iudico, idoneae omnino et momenti maximi fuisſe dicendae ſunt. Ego quatuor inſigniores deprehendo occaſiones, quas nunc brevibus indicabo, et ex hiſtoria illius temporis illuſtrabo. Et *primam* quidem *occaſionem* non immerito fuisſe dixerim, triſtia illa et infauſta Theologorum disſidia, de *perſona* et *naturis Christi*, quae, a centum circiter annis orta, totam Eccleſiam Orientis in diverſas partes diſtraxerant, et hactenus neque eruditisſimorum virorum ſcriptis, neque decretis Conciliorum Generalium, Epheſini et Chalcedonenſis, componi potuerant. Et tamen, ſi, quod res eſt, dicere volumus, tota illa controverſia, cum incredibili animorum aeſtu agitata, quae multorum famae, fortunae et vitae exitialis fuit, circa vocum luſus magis, quam circa ſententias verſabatur. Vocabula, quibus utebantur, in diſputationibus ſuis dimicantes, οὐσία,

(*r*) In epiſtola XIII ad Epiſcopos Dardaniae, in Conciliis *Binii* Tom. II Part. I p. 485. a.

(*s*) *Ant. Pagi* ad a. C. 474, num IV, V, et ad a. C. 476, num. IV, XII, XIII, XVII.

οὐσία, *φύσις*, *ὑπόστασις*, *πρόσωπον*, *esſentia*, *natura*, *ſubſiſtentia*, *perſona*, non idem ſignificabant omnibus, ſed ab his iſto, ab illis alio ſenſu et adhibebantur et intelligebantur. In re, quam viri doctisſimi egregie et copioſe explicuerunt atque illuſtrarunt, diutius non moror. Eo tempore, quo *Neſtorius* ſe haereſeos ſuſpectum reddiderat, orthodoxorum plerique iam contendebant, per incarnationem factum esſe, ut ex duabus naturis in Chriſto unica evaſerit. Ipſum *Cyrillum Alexandrinum* ita docuisſe et disſeruisſe, vulgo nunc notum est, etſi quo pollebat ingenii acumine, mentem ſuam, ubi modo volebat, dilucide et diſtincte explicaret, omnemque erroris ſuſpicionem amoliri nosſet. Id reliquis orthodoxis omnibus datum non erat. Illi plerumque Chriſto Domino ſic *unam* tribuebant *naturam*, ut dicerent, *ipſam Divinitatem* ex B. Maria Virgine *natam et* in cruce *mortuam esſe*. Haec vera cauſa erat, cur *Neſtorius* vocem *Θεοτόκος*, *Deipara*, reformidaret. Communiter id in hiſtoria controverſiae *Neſtorianae* obſervari non ſolet; video etiam nonnullos id directe inficiari; ſed nihil tamen dico, quod non rei ipſi prorſus ſit conſentaneum. Certe *Euſebius*, patronus cauſarum Conſtantinopolitanus, ſed quem inimicitia cum *Neſtorio* ad Epiſcopatum Dorylaeenſem evexit, in *Conteſtatione* celeberrima, Conſtantinopoli magno cum orthodoxorum plauſu adverſus *Neſtorium* publicata, quae etiam in Actis Concilii Epheſini locum meruit, isthaec *Neſtorio* exprobrare (*t*) auſus eſt: *Paulus Samoſatenus ait: Maria Verbum non peperit; Neſtorius huic conſonans inquit: Maria* Divinitatem (*τὴν Θεότητα*) *non peperit*. En, quomodo orthodoxus ille vocabu-

(*t*) Acta Concil. Epheſini Part. I cap. XIII.

bulum ſuum Θεοτόκος explicet! Et haec tamen mox repetit, et iterato inculcat. Iſto *Euſebio* longe celebrior et Cyrillo inprimis carus, *Acacius*, Melitinenſis Episcopus, in libro aliquo adverſus *Neſtorium* haec (*u*) ſcripſerat: *Mentitus est Divinam Scripturam Neſtorius, tamquam nativitatem mortemque, non* Divinitatis, *ſed humanitatis edoceat.* Idcirco non iniuria, Episcopi Orientales, *Neſtorii* amici, Conſtantinopolin ſcribentes ad ſuos, hunc in modum (*v*) conqueruntur: *Convicimus vero et Acacium, qui* Deitatem *confesſus est esſe pasſibilem.* Et de orthodoxis illius temporis generatim omnibus obſervat *Eutherius* Tyanenſis (*x*): *Inconſona et incerta adverſus illum virum proferunt, et plerumque irreprehenſibilia reprehendunt. Cur, inquiunt, Neſtorius dixit, quod pasſio non Deitatem, ſed humanitatem Christi attigerit.* Quae cauſa est, ob quam idem orthodoxos conſuevit appellare (*y*) *Deopasſianos* vel *Theopaſchitas* (*z*). An igitur *Neſtorius* cauſas non habuit, cur crebriorem uſum vocis Θεοτόκος, vulgo tum ita explicatae, declinaret? Equidem adeo iniquus non ſum, quin intelligam, et iſtas locutiones, quantumvis ſupra modum duras et auribus ingratas, benigna interpretatione iuvari posſe, et a Theologis doctisſimis, data alia oc-

ca-

(*u*) Vide Synodicon Casſinenſe cap. LVII, in *Baluzii* Nova Collectione Conciliorum col. 763.

(*v*) In Synodico Casſin. cap. XXVIII, et in Actis Concil. Epheſ. Part. III.

(*x*) Synodicon Casſinenſe c. CXVII.

(*y*) Synodicon cap. CII.

(*z*) Hinc Orientales, pacem cum Cyrillo inituri, ante omnia exigebant ab eo, *ut anathematizaret eos, qui dicunt: Quia* Divinitas *pasſa est.* Vide Ibae epiſtolam in Concilior. Tom. IV, edit. Labb. col. 665, 666, et *Asſemani* Bibloth. Vol. IV pag. 74, 75 et 84.

casione, excusari solere. Sed bene tamen iidem (*a*) monent, longe melius iis abstineri, easque merito ex Ecclesia proscribendas esse. In Concilio Ephesino, Patres *Nestorio* et doctrinae eius anathema quidem dixerant, at malo illi, quod modo commemoravi, quodque *Nestorium* non immerito offenderat, medelam nullam admoverant. Qua quidem re effectum est, ut doctrina de *una tantum Christi natura*, passibili iuxta atque impassibili, aeterna simul et mortali, in toto Oriente praevaleret. *Cyrillum* ipsum, ne crabrones irritaret, videmus (*b*) saevum hocce ulcus nonnisi languida ac paene tremebunda manu tractantem. *Vigilium* Tapsensem audimus (*c*) fatentem: *plerosque orthodoxos noluisse dicere duas naturas, ne secundum Nestorium duas putarentur fateri personas*, — quoniam *qui duas unius Christi naturas publice profitentur, Nestoriani putantur esse, cum non sint.* In hoc igitur tum putabatur consistere *Nestorianismus*, quod hodie symbolum est orthodoxiae. Opportune quidem, rebus his tantum non desperatis, viri cordati in Concilio Chalcedonensi succurrere cogitabant, vocabula *naturae* et *personae* accurate explicantes, et hanc doctrinae orthodoxae summam constituentes, esse in Christo *duas naturas*, verum *unitas* perfectissima ratione, ut *unica* tantum ex duabus et in duabus naturis exsistat *persona*. Sed malum radices iam egerat nimium profundas. Longe plurimis confessio haec

(*a*) Vide *Petavii* Dogmata Theol. de Incarnat. Lib. v cap. xix § 3, *Chemnitium* de duabus naturis Christi, cap. xiv fol. 70. a., *B. Meisnerum* in Christologia, Disput. xiv. § 39, *Ioh. Gerhardum* in Loco de Christo § 198.

(*b*) Vide Commonitorum eius ad Eulogium, in Actis Concilii Ephesini Part. III cap. 37.

(*c*) Contra Eutychetem Lib. II cap. 10.

haec *duarum naturarum* videbatur ipsissimus *Nestorianismus*, in Ecclesiam iam publica auctoritate reducendus. Ita plerique censebant, qui Concilio Chalcedonensi intererant, uti ex eius Actis liquido perspicitur. Et vix ac ne vix quidem opera *Marciani* Imperatoris, studioque valde laudabili *Leonis* Episcopi Romani, et paucorum aliorum id effici potuit, ut tamdem bona causa vinceret. Adeo omnibus invisa et suspecta erat professio *duarum naturarum*. Neque vero existimandum est, auctoritate Concilii istius lites de una, an duabus Christi naturis, compositas ac sopitas fuisse. Ii potius, qui antehac *unam naturam* secure confessi erant, eamque confessionem esse tesseram orthodoxiae crediderant, nunc publica auctoritate damnati, et nomine Eutychianorum traducti, tanto maiores adversus recte sentientes iras intra se concipiebant, et veluti furiis agitati, in illorum non modo ignominiam, sed et exitium armabantur. Cum igitur Zeno intelligeret, tanta odia tantasque tragoedias concitari propter merum sonum vocabulorum, eos vero, qui in Christo agnoscerent veram Divinitatem, veram et perfectam humanitem, et utramque modo inconfuso et inseparabili unitam, abhorrere tantum a vocibus *duarum naturarum*, quae tamen nihil aliud, quam id ipsum exprimunt, existimavit animos hominum in meliorem viam reduci posse, si omissis vocibus illis, quae per centum annos pomum discordiae exstiterant, recta fides pure quidem et prorsus orthodoxe, sed aliis loquendi formis exprimeretur. Haec igitur prima et praecipua *Henotici* condendi occasio fuit.

§ 8. *Secunda occasio erant mala, quae ex illis dissidiis in Ecclesiam et Rempl. redundaverant.*

Accessit ad istam occasionem alia, quae iam *secunda* mihi erit, quae Imperatorem commovere pot-

poterat, ut de finiendis Theologorum inter se dissidiis cogitaret, et remedia efficaciora, quam quibus hactenus alii usi erant, adhiberet. Intelligebat enim, altercationes has rixosorum hominum, magna ex parte inanes, Reipublicae statum quoque afficere, eiusque pacem et salutem magnopere interturbare. Quodsi dissidium istud in doctrina, intra disputationes Theologorum, verbis aut scriptis mutua contentione reciprocatas, substitisset, ferri id omnino potuisset, praesertim si a disputationibus acrimonia et odium, ut Theologos decet, abfuisset. At quis sine stupore, aut etiam horrore, meminisse potest ingentium illorum, quae ex tam infaustis concertationibus propullularunt, malorum? Si historiam illius temporis consulas, videbis ubique duas adversas partes, minas, bellum, vindictam in se invicem spirantes. Videbis hic graves (*d*) in civitatibus eapropter seditiones a populo concitatas et tumultus obortos. Illic occurrunt Ecclesiarum Praesules et Ministri ab adversa factione damnati, exauctorati, in exilium pulsi. Videbis etiam pios Antistites, indignis modis cruciatos, ad mortem quaesitos, et in ipsis Deo dicatis locis sacris, horrendum dictu! trucidatos. Quis nescit (*e*), *Proterium*, sanctum Alexandriae Episcopum communionis catholicae, qui cum militibus stipatus periculum imminens aliquamdiu elusisset, aliquando tamen ab Eutychianis in templo, dum Coena Dominica celebratur, prope Baptisterium, ad quod confugerat, cum

(*d*) Specimen cape ex *Prisci* Rhetoris, scriptoris eius aevi, historia apud *Evagrium* Lib. II cap. 5.

(*e*) Vide *libellum supplicem Cleri Alexandrini*, missum ad Leonem Imperatorem, in *Baluzii* Nova Collectione Concilior. col. 1447 etc., *Evagrium* Lib. II cap. 8, *Liberatum* in Breviario cap. 15, et alios.

cum sex aliis sociis vulneribus confossum, necique datum (*f*)? Non aliam sortem (*g*) habuit *Stephanus*, pius Antiochenorum Praesul, qui eo, quod decretis Concilii Chalcedonensis inhaereret, a factionis adversae pueris, etiam in templo, calamis acutis, non secus atque telis confossus, vitam misere finivit, et mortuus in Orontem praecipitatus est. Vt itaque furor hic tamdem aliquando animis depelleretur, ut tot tantisque malis, quae religio, sed insana, suaserat, aliquis modus atque finis poneretur, tutissimum remedium videbatur Henoticon. Non incongrue profecto, nec inconsulte, si modo morbus ille medicinam admisisset.

§ 9. *Tertia occasio nata ex iis, quae sub praecedenti regno in causa religionis acta erant.*

Tertiam Henotici occasionem dixerim ea fuisse, quae sub regno Basilisci Tyranni in causa religionis acta erant. Cum enim is, eiecto Zenone, et regno per vim occupato, observasset, per decreta Concilii Chalcedonensis mirificam in animis hominum contentionem, furori persimilem, excitatam fuisse, quae non modo Ecclesiae, sed ipsi etiam Reipublicae funestum quid portenderet, ille viam plane contrariam sibi eligendam ratus est. Itaque Antistites Ecclesiarum catholicos sedibus suis expulit, Eutychianos olim damnatos ubique Ecclesiis praefecit, Conci-

(*f*) His etiamnum longe peiora fuerunt, quae monachi Monophysitae Aegyptii Hierosolymae et per totam Palaestinam perpetrarunt, quae accurate descripta videtis in *Boweri* historia Pontiff. Rom. To. II p. 262—266.

(*g*) *Evagrius* Lib. III cap. 10, *Theophanes* in Chronographia, l. c., Martyrologium Romanum ad d. 25 April. Adde *Pagium* ad a. C. 482, num. 5, 6.

cilium Chalcedonense diris devovit, et ut idem facerent quoque Ecclesiarum Praesules omnes, *literis* illis famosis *Encyclicis* praecepit. Verba illarum literarum, huc spectantia, ita (*h*) sonant: *Ea vero, quae sanctarum Dei Ecclesiarum consensum ac tranquillitatem, et totius orbis pacem disruperunt, tomum* (*i*) *scilicet Leonis, et cuncta quae Chalcedone in definitione fidei, aut expositione Symbolorum, docendi vel interpretandi vel disputandi causa, ad innovationem supra memorati Symboli sacri* Nicaeni, *dicta et gesta sunt, hic et ubique per singulas Ecclesias ab universis sanctissimis Episcopis anathematizari decernimus, et ubicumque reperta fuerint, flammis absumi.* Quae deinceps in iisdem literis semel iterumque recoquuntur. Zeno igitur, postquam purpuram aliquamdiu detractam resumsit, decretum hocce Tyranni, cum manifesto Ecclesiae purioris dedecore et summa ignominia sociatum, confestim et merito abrogavit. Sed cum tamen memoriae infixae quoque haererent incredibiles discordiae et turbae, quas Concilii Chalcedonensis publicatio, etsi nullo suo merito, in Ecclesia ubique concitaverat, arbitratus, alia nova et media quidem via, optime et tutissime incedi posse, ex consilio Acacii *Henoticon* proposuit. Quod quidem, si cum aliquo veritatis salutaris dispendio factum fuisset, non intercederem, quo minus et illud damnationem promeritam incurreret. Verum id iure nullo affirmari posse, in sequenti dissertatione, si Deus voluerit, luculenter, ut spero, demonstrabitur. Per Henoticon et veritati et

(*h*) Apud *Evagrium* Lib. III cap. 4.

(*i*) Intelligitur celeberrima *Leonis*, Episcopi Romani, *ad Flavianum epistola*, cuius doctrinam amplexi sunt Patres Chalcedonenses, quamque decretis suis inseruerunt.

et paci consultum et prospectum erat. Cum vero, post mortem inprimis Imperatorum Zenonis et Anastasii, consilium illud salubre in universum reiectum esset, secuta est illa turbarum, irarum et rixarum in Ecclesia Orientis tristis continuatio, quae profecto et Ecclesiam et Imperium Graecorum pessumdedit, ac Muhammedanorum tyrannidi subiecit.

§ 10. *Quarta occasio consilium Petri Mongi.*

Quartam et ultimam liceat mihi appellare *Henotici occasionem*, tentamina Petri Mongi, quibus Acacium Constantinopolitanum Antistitem, et per hunc Zenonem Imperatorem aggressus est. Hunc enim puto primum et Acacio et Zenoni talia consilia suggessisse, qua de re supra iam mentem meam exposui. Quodsi autem res ita se habet, id ipsum spem, quam de prospero horum consiliorum successu Acacius conceperat, maiorem in modum non sine ratione augere atque confirmare poterat. Videbatur enim sponte ex eo consequi, Petrum illum, qui consilia Henotica ultro suppeditaverat, qui formulam Henotici haud dubie mature et serio expenderat, quique hoc facto eidem libens subscripserat, pervicaciam haereticam et schismaticam omnem penitus exuisse. Videbatur iam convictus esse, disputationes Eutychianorum cum Catholicis, pretii esse admodum tenuis et vere nullius, quippe quae magis loquendi quasdam formas scholasticas, quam ipsam doctrinae substantiam et medullam contingerent. Aliter enim quam sic iudicare non potest, qui *Henoticon* iudicio Theologico, a praeiudiciis et affectibus perpurgato, pensitat. Videbatur porro sequi, hominem tanti nominis, tantae inter Eutychianos auctoritatis, reliquos non difficulter in partes suas pertracturum, idque tanto magis, quia res erat iusta,

sa-

facilis, omnibusque ſalutaris. Sed utraque tamen ſpes bonum Acacium feſellit. Equidem coniicio, Petrum, quidquid hiſtorici nonnulli narrent, initio ſaltem bona fide in hoc negotio verſatum eſſe. Quaenam enim dari poteſt cauſa, ob quam ab ipſis Eutychianis derelictus fuerit, qui poſtea, quod capite orbati eſſent, *Acephalos* (*k*) ſemet ipſos vocitarunt, eoque nomine ſatis diu in Eccleſia ab aliis diſtincti manſere? Paucis enim eo usque mentem ſuam evehere datum est, ut, puro ſolius veritatis amore ducti, praeiudiciis priſtinis, generoſo impetu facto, renuncient. Quodſi etiam hiſtoricis credimus, Petrus Mongus, post aliquam ſimulationem, ad priorem vomitum rediit. Quod ſi verum est, ideo ſine dubio id fecit, ut favorem et benevolentiam plebis amiſſam recuperaret. Quis enim neſcit, homines plerumque ita compoſitos eſſe, ut commoda vitae et dictamen affectuum dictamini conſcientiae longe anteponant, ut etiam avitorum conceptuum multo ſint ſtudioſiores, quam nudae veritatis, ut denique doctrinam ſaepe profiteantur, non quia rectam eſſe iudicant, ſed quia a partibus illis adſtruitur, quibus nomen dedere? Haec hominum indoles optima et ſaluberrima conſilia ſaepenumero ſuffocavit, et posthaec porro quoque ſuffocabit.

(*k*) *Leontius* de Sectis p. 468. Vide *Renaudoti* Hiſtoriam Patriarcharum Alexandr. p. 123. Posthaec alii inter Eutychianos idem nomen adoptarunt, qui usque ad ſeculum IX perſeverarunt. Vide eumdem p. 130, 131, 247, 248.

EXER-

EXERCITATIO [*]

DE MORTE TRAGICA IMPERATORIS ANASTASII DICORI.

§ 1. *Ratio instituti exponitur.*

Rem laude dignam suscipere illi mihi semper visi sunt, qui memoriam virorum bonorum, et, sive de Republica, sive de Ecclesia, bene meritorum, a labe, quam ipsis forte iniuria temporum, et iniquorum hominum malevolentia, praeter meritum intulit, pro virili vindicare annituntur. Etenim sic alios docent, quomodo a superstitione vera pietas, a vitio saepe temere affîcto virtus genuina distingui et possit et debeat, virtuti etiam, quantumvis neglectae diu et oppressae, triumphum parant, quem meruerat, et illis ipsis denique, qui benefactis genus humanum demeriti erant, tributum persolvunt, quod tum aequitas imperat, tum verbum quoque Dei exigit: *Memoria iusti erit in benedictione*, Prov. X. 7.

Ra-

[*] In lucem prodiit a. 1744, et Francofurti publice defensa est a *Iohanne Ernesto Iablonskio*, si non me mea fallit memoria, auctoris filio erudito.

Ratio haec me iam dudum impulit, ut, quae de morte tragica *Anaſtaſii Dicori*, qui imperio Romanorum Conſtantinopolitano ab a. C. 491 usque ad a. 518 non ſine laude praefuit, narrant ex veteribus plurimi, et recentiores hiſtorici paene omnes, ea qua decet fide et accuratione excuterem. Videbantur namque ea, quae hac de re a plerisque memoriae prodita legerem, talia esſe, ut ingenium ſtudio partium abreptum magis redolerent, quam veritatis et cognoſcendae et tradendae cupidum. Neque etiam ſpes, quam animo conceperam, ſimulatque inquiſitionem hanc inſtituere occoepisſem, poſtea me fefellit. Nam cum ipſos limpidisſimos hiſtoriarum fontes diligenter conſuluisſem, et inter ſe ſollicite contulisſem, non ita difficile fuit animadvertere, traditionem illam de triſti Imperatoris morte nullam aliam habuisſe originem, quam invidiam et odium, quo ſcriptores nonnulli memoriam Imperatoris, neque de Republica, neque de Eccleſia, male meriti, obruere atque poſteris inviſam reddere allaborarunt. Operae igitur pretium me facturum esſe confido, ſi memoriam Imperatoris, laude ſua debita non defraudandi, etiam ab hac parte vindicavero, et calumniae illius, qua homines malevoli etiam mortem eius infamare auſi ſunt, iniquitatem iuxta ac vanitatem pluribus oſtendero.

§ 2. *Anaſtaſius Dicorus imperium Romanum bene ac laudabiliter adminiſtravit.*

In Anaſtaſio Imperatore, ut ab eo ordiar, virtutes emicuerunt, illa imperii maieſtate, quam temporibus difficilibus tueri opus habebat, profecto dignae, et quas vel adverſarii eius, uti cordate agere voluerunt, non potuerunt non laudibus meritis condecorare. Adverſus inimicos imperii fortem ſe ac bello ſtre-

ſtrenuum gesſit, bellaque ſibi, modo in Europa, modo in Aſia, illata, felici ſuccesſu profligavit. Civibus vero imperio ſuo ſubiectis adeo humanum, benignum, et ſalutis publicae providum ſe praebuit, ut eum non tam Imperatorem, quam patrem potius patriae experirentur. Non ita diu ad gubernacula imperii conſederat, cum, ut ſubditos ſuos ſolaretur, chryſargyrum, tributum (*a*) moleſtisſimum, per totum imperium remiſit, et venationes ſeu pugnas publicas cum beſtiis (*b*) abolevit, quod beneficium magnis laudibus merito extollit *Michaël Glycas* in Annal. p. 255, ut alia taceam, eodem tempore facta, quae *Theophanes* commemorat, in Chronographia p. 123, et alii. *Ioſua Stylites*, monachus Syrus, rectae fidei ſtudioſisſimus, in Chronico de bello Perſico cum Cabade geſto, ex quo excerpta copioſa edidit *Ioſ. Simon Asſemanus* (*c*), ſaepenumero in laudes Anaſtaſii et rerum praeclare ab ipſo geſtarum excurrit. Praeter ea enim, quae iam tetigimus, et quae ſcriptor hicce accuratus non omiſit, ad a. C. 501 obſervat: *Demoſthenem Edesſae*, in Meſopotamia, *Praefectum, ab Anaſtaſio ingentem auri ſummam impetravisſe, in ſubſidium pauperum* (*d*). Ad annum 504, idem haec (*e*) annotavit: *Die 25 Decembris Anaſtaſius cunctis Me-*

(*a*) De tributo hoc et eius abolitione conſuli merentur *Pagius* in Critica ad a. C. 491, num. XII, et praecipue *Asſemanus* in Bibliotheca Orient. Tom. I p. 268 in notis, ubi docet, factum id fuiſſe a. 498.

(*b*) Videndi etiam hac de re auctores modo laudati, locis indicatis.

(*c*) In Bibliotheca Orientali Vaticana, Tom. I p. 266, 267, etc.

(*d*) Loc. cit. p. 271. b.

(*e*) Ibidem p. 278. b.

Mesopotamenis tributum relaxat. Quod tempore valde luctuoso, quo bellum cum Persis gravi simum gerendum erat Imperatori, eum tamen fecisse in honorem Servatoris et natalium eius, quorum memoriam Ecclesia die 25 Decembris celebrat, palam est. Equidem quia auctor Chronici huius Catholicorum, sive Chalcedonensium, partes fervide tuebatur, omnia Imperatoris facta probare utique non poterat; sed id tamen de eo iudicium (*f*) tulit: *Quodsi hic Imperator in fine vitae suae a se ipso descivit, laudibus tamen suis haudquaquam privandus est, sicuti etiam memoria repetere debemus, quae a Salomone in extrema senectute gesta sunt. Procopius* vero, historicus magnae existimationis, de eo affirmare (*g*) veritus non est, eum *plane nihil inconsiderate egisse.*

§ 3. *Multi tamen gesta eius, in Ecclesia, propter religionem, reprehendunt.*

Equidem illi ipsi scriptores, qui Anastasii merita et praeclare facta dignis laudibus celebrant, nobis tamen persuadere satagunt, eum, cumprimis sub ultima vitae tempora, hostem Ecclesiae et persecutorem piorum Catholicorum evasisse. *Iosuam Stylitem* ita censuisse vidimus § 2, *Imperatorem in fine vitae suae a se ipso descivisse. Michael Glycas*, ubi liberalitatem eius et propensum in cives Romanos animum praedicat, ista tamen addit: *Quod praeclarum facinus elevare mala cetera potuisset, si nihil in cultu religioneque Divina erroris fovisset*, in Annal. p. 255. Et ne in aliorum testimoniis conge-

(*f*) Ibid. p. 282. b.

(*g*) De bello Persico Lib. I. p. 14. fin. edit. Graecae Hoeschel.

gerendis iusto operosior videar, haec tantum adscribam *Ant. Pagii* verba, quae leguntur in *Critica* eius *Annalium Baronii* ad a. C. 518, num. 111: *Anastasius adeo imprudenter et impie, postquam Eutychianam haeresin aperte amplexus est, sese gessit, ut illum inter praecipuos Ecclesiae hostes Nicolaus I in epistola ad Michaëlem Imp. numeret.* Et mox ex epistola Pontificis illius verba haec adfert: *Cogitate, quid Imperatores, qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, et maxime Ecclesiam Romanam, id est, Nero, Diocletianus, Constantius, Anastasius, et ceteri pertulerint, et ubi modo sint, attendite diligenter, et quantum sit in Ecclesia Dei execrabilis fama eorum et nomen detestabile, sapienter advertite.* Haec *Pagius* laudat et probat, *Pagius* ille, qui, ad annos praecedentes, rationes nobis suppeditat ponderis invicti, quibus ipse demonstravit, calumnias adversus Anastasium, a monachis et catholicis quibusdam scriptoribus illius aevi effusas, etsi atrox quidpiam et grande sonantes, re ipsa tamen futiles esse et inanes. Quo ipso satis testatus est, sibi ad veritatem perspiciendam, nec ingenii nec iudicii vim, sed ad veritatem libere semper et dilucide proferendam, animum nonnumquam defuisse.

§ 4. *Crimina Anastasii adversus religionem commissa examinantur.*

Sed quaenam tamdem sunt tetra illa ac tristia mala, quae Imperator Ecclesiae intulit, ob quae inimicis eius ac persecutoribus execrandis annumerari meruit? Si audimus *Victorem*, Tununensem in Africa Episcopum, eo usque audaciae processit Imperator ille, ut ab ipsis sanctissimis N. Foederis paginis manus impias abstinere non potuerit. Nam ad a C. 506 in Chronico haec notavit: *Messala V. C. Cos.*

 Con-

Constantinopoli, iubente Anastasio Imperatore, S. Euangelia, tamquam ab idiotis Euangelistis composita, reprehenduntur et emendantur.

Atrox profecto crimen! sed in quo diluendo et tempori et verbis ego parcere nunc possum, postquam *Petrus Wesselingius*, eximium Academiae Vltraiectinae hodie ornamentum, fabulam hanc anilem, in peculiari (*h*) Diatribe, felicissime dispunxit, veramque eius originem sagaci coniectura assecutus est.

Fuerunt alii, qui affirmare non erubescerent, Imperatorem nostrum gregis Manichaeorum alumnum exstitisse. *Theophanes* in Chronographia serio id nos credere iubet. Nam p. 117 asseverat, Manichaeos, evecto ad imperium Graecum Anastasio, impense laetatos fuisse, eo quod *mater Imperatoris partibus ipsorum studiose adhaereret.* Pag. 132 narrat, plebem Constantinopolitanam, Imperatori vehementer iratam, *convitia in Imperatorem coniecisse tamquam Manichaeum, et imperio indignum.* Et p. 158 eum appellat *scelestum disciplinae Manichaeorum alumnum.* Equidem non est, quod quis convitia haec monachorum et plebeculae Graecae in dubium vocet. Homunciones hi ita in Imperatorem suum frendentes, et convitium aliquid peius non reperientes, Manichaei nomine eum infamare voluerunt. At lepidum profecto est commentum *Theophanis*, qui, caussam talis convitii solerter indagaturus, matrem Imperatoris primo, ac deinde Imperatorem ipsum, ex scholis Manichaeorum nobis deducit. Et vero aetate illa solemne iam erat, haereti-

(*h*) Cui titulus est: *Dissertatio de Euangeliis iussu Imp. Anastasii non emendatis*; ad calcem Diatribes *de Iudaeorum Archontibus, ad Inscriptionem Berenicensem.* Traiecti ad Rhenum 1738.

reticos quosvis, ac ſpeciatim Eutychianos, ignominiae cauſa, Manichaeorum nomine deſignare. Imperator ipſe, cum a Symmacho Epiſcopo Romano, auſu hactenus inaudito, excommunicatus fuisſet, iniuriam hanc ulturus, *Manichaeum* ipſum vocitaverat. Quid ad haec Symmachus? An convitium hoc retorquet? Facit id utique, ſed ita, ut Imperatorem a crimine erroris Manichaei vero ſimul liberet. Sic enim ad ipſum (*i*) ſcribit: *Dicis, esſe me Manichaeum. Numquid ego Eutychianus ſum, vel Eutychianos defendo? quorum furor maxime Manichaeorum ſuffragatur errori.* Idem Papa *Symmachus* in epiſtola VIII, quae est ad Orientales, haec prioribus gemina (*k*) habet: *Declinemus ſacrilegum (l) Eutychis errorem, cum Manichaea malitia congruentem.* Habes iam rationem, ob quam Anaſtaſius dicatur *Manichaeus.* Catholicos enim eum pro Eutychiano habuisſe, et ab aliis haberi quoque voluisſe, oppido notum est. Quod vero Eutychianis ſpeciatim nomen Manichaeorum affricaretur, haec videtur fuisſe cauſa, quod Eutychiani crederentur, etſi ſumma iniuria, naturam Christi humanam evertere, quemadmodum *Manichaeos* id re ipſa fecisſe, dubio omni caret.

§ 5. *Anaſtaſio obiicitur, quod fuerit Eutychianus, et orthodoxos perſecutus fuerit.*

Accedimus nunc ad criminum omnium, quae ipſi obiiciuntur, longe maximum, nempe Eutychianis-

(*i*) In Apologetico adverſus Anaſtaſium Imperatorem, in Conciliis *Labbei* Tom. IV col. 1297.

(*k*) In Conciliis *Labbei* Tom. cit. IV col. 1303.

(*l*) Ita hic edi curavi, pro eo, quod in editione Labbeana legitur *Sacrilegium.*

nismum, cuius praepostero studio usque adeo abreptus fuisse creditur, ut et ipse Concilio Chalcedonensi, in quo recta fides de duabus naturis Christi Domini adstructa fuerat, anathema dixerit, et in eos, qui idem anathema repetere, ac calculo suo solemniter confirmare noluissent, depositionibus, carceribus, infamia, et ipsa quoque morte animadverterit. Non inficias eo, querelas huiusmodi in historia Anastasii paginam omnem implere; sed quaero, quomodo Imperator Concilium Chalcedonense anathematizaverit et ipse, et ab aliis quoque anathematizari voluerit? An forte doctrinam Concilii illius orthodoxam et sanam damnatione dignam existimavit? Minime gentium, nam fidem de Christo Jesu, vero Deo, et vero homine, ab eo ad ultimum usque vitae halitum retentam et constanter assertam fuisse, genuina monumenta aevi illius multo clarius loquuntur, quam ut negari queat. An vero Concilio saltem, in quo fides illa, contra Monophysitas, stabilita fuit, anathema dixit, et alios idem facere iussit? Ne hoc quidem, ullo exemplo idoneo, probatum hucusque reperire potui. Et quomodo potuisset statores ac vindices illius fidei, quam, quoad vixit, ipse credidit ac confessus est, diris devovere? Quidnam igitur tamdem querimoniae illae, toties repetitae, de anathematizato ab Anastasio Concilio Chalcedonensi, sibi volunt? Dicat id pro me *Antonius Pagius*, cuius in hac causa iudicium nemini suspectum videri potest. Is igitur in Critica Annalium Baronii ad a. C. 491, num. IX, ista observat: *Non animadvertit Goarus, rigidiores orthodoxos, per haec tempora, alios fere*, qui Concilium Chalcedonense non semper in ore habebant, *pro haereticis habuisse.* Idem num. XI, hunc in sensum scribit: *rigidiores orthodoxi non communicabant cum iis, qui Henoticon*, id est, edictum uni-

unitivum, *admiserant. Apud hos, omnibus in Synodo Chalcedonensi* actis et decretis *non adhaerere, idem erat, ac eam eiurare.* Nempe haec omnia respiciunt famosum illud in antiquitate Ecclesiastica *Henoticon Zenonis*, cuius conscribendi rationes in Dissertatione peculiari, ante aliquot annos [*] vulgata, exposui. Recte Imperator ille perspexerat, Eutychianos ab orthodoxorum doctrina animo ita aversos non esse, ac multi id sibi fingerent; sed aversari tamen et execrari nomen Concilii Chalcedonensis, in quo maiores ipsorum, et primi sectae conditores, condemnati, infamia notati, et anathematis telo confossi fuissent, eosdem etiam vocabula *duarum naturarum*, loquentes de Christo, abhorrere, etiamsi rem vocibus his expressam ultro et libenter admitterent. Et cum tamen propter dissensum re ipsa adeo levem, horrendi fluctus, ubique, nonnumquam ab Eutychianis, nonnumquam ab orthodoxis rigidioribus, excitarentur, cum inimicitiae et odia perpetuarentur, cum res ad caedes, tumultus et calamitates similes saepe rediret, et summa imis nonnumquam miscerentur, formam aliquam doctrinae conscribi iussit, in qua recta de persona Christi doctrina traderetur, omissis tamen vocabulis *duarum naturarum*, et nulla Concilii Chalcedonensis mentione iniecta. Sperabat Imperator, fieri sic posse, ut ira vehementior animis et Eutychianorum et Catholicorum paulatim decederet, et concordia inter utriusque partis homines instauraretur. Idcirco normam hanc doctrinae novam appellavit *Henoticon*, seu *Edictum Vnitivum.* Consilia haec Zenonis pacifica, per quae veritati nulla ex parte prae-

[*] Recusa legitur in hac Opusculorum parte p. 332—352.

praeiudicabatur, approbavit Zenonis in imperio Graeco ſucceſsor, Anaſtaſius, ideoque, quamdiu regno praefuit, Henoticon illud ubique obſervari, illique ab omnibus, qui muneribus Eccleſiaſticis admovendi erant, ſubſcribi voluit. Hac de cauſa, orthodoxi rigidiores iugiter clamabant, Anaſtaſium, partibus Eutychianorum iam nunc addictum, *Concilium Chalcedonenſe*, ut loquebatur *Pagius*, *eiuraſse*, vel, quod idem est, anathematizaſse. Et cum praeterea ex rigidioribus illis orthodoxis nonnullos, qui legibus hiſce ſuis, cum neglectu reverentiae ſibi debitae, animoſius et pertinacius, quam par erat, obniti auſi fuisſent, muneribus ſuis privasſet, atque exilio mulctasſet, inter Perſecutores Eccleſiae Dei ipſe quoque relatus est, nomenque eius, Eccleſiae, cumprimis Romanae, execrabile evaſit. Haec est vera Anaſtaſii culpa, hic fons malorum, quae in Imperatoris huius memoriam redundarunt. Mihi diutius his nunc inhaerere non licet; ſed transeundum ad praecipuum Disſertationis huius argumentum.

§ 6. *Anaſtaſio, tamquam Perſecutori, mors tetra et feralis a monachis afficta fuit.*

Postquam Anaſtaſius, ſicut nunc intelleximus, catalogo Perſecutorum Eccleſiae Dei inſertus fuit, monachi, quorum hic praecipuae partes fuerunt, ipſi etiam decreverunt mortem (m) Perſecutoris, in qua tremenda iudicia Dei omnibus conſpicua exſtiterint, et quae aliis exemplo atque documento fuerit. Quamvis autem in lectulo ſuo, ſubito forte, ſed

(m) Notus est *Lactantii* liber perquam elegans *de Mortibus Perſecutorum*.

ſed quantum novimus, placide obdormiverit, in hiſtoria tamen Imperator atra et ferali morte extingui debuit. Finxerunt enim, vindictam Divinam bonum noſtrum Imperatorem, cum perſecutionibus piorum nec modum nec finem poneret, adeo perſecutam fuiſſe, ut tamdem fulmine coelitus contactus ſubito et miſere animam efflaverit. Primi fabulae huiuſce architecti mortem talem tragicam, quae impiae Imperatoris vitae finem, criminibus perpetratis dignum, imponeret, ſibi et cauſae ſuae ſufficere arbitrati ſunt. Verum aliis, prioribus illis longe ingenioſioribus, fabulae excogitatae nimia et ſimplicitas et brevitas ſordere viſa eſt; operam itaque dederunt, ut eam circumſtantiis novis, a ſe inventis, ornatiorem, ſed et terribilem magis, redderent.

§ 7. *Primo finxerunt monachi, Imperatorem fulmine percusſum interiiſſe.*

Primus, apud quem, de morte Imperatoris tragica, aliquid memoriae proditum reperio, est *Victor* Tununenſis Afer, propugnator acerrimus Concilii Chalcedonenſis, et reverentiae illi debitae, qui triginta circiter post mortem Anaſtaſii annis floruit. Eius autem haec leguntur in Chronico verba p. 7, edit. Scaligeranae: *Agapito* II. *et Magno Coſſ.* (anno 518) *Anaſtaſius Imperator, intra Palatium ſuum tonitruorum terrore fugatus, et coruſcationis iaculo percusſus, in cubiculo, quo abſconſus fuerat, moritur.* Dum ſcriptor hic ait, Imperatorem coruſcationis iaculo percusſum interiiſſe, non tam indicare videtur, eum fulmine tactum fuiſſe, quam potius, viſo ſplendore fulminis, territum ac perculſum interiiſſe. *Victori* huic fere coaevus erat *Cyrillus Scythopolitanus*, qui ſimilia refert. Verba eius infra dabimus § 14. *Iohannes Malelas*, ſcriptor,

ſi

si sequimur iudicium *Guil. Cavei* (*n*), seculi VII, rem ita narrat in Chronographiae parte II p. 129: *Haud longo autem post tempore, ex morbo decubuit, tonitruque ingenti facto, fulmineque consternatus, inde Imperator Anastasius spiritum efflavit.* Paria habet auctor *Chronici Alexandrini* p. 764, editionis Raderi. *Freculphi Lexoviensis*, cuius sub initia seculi IX nomen clarum fuit, verba ea de re haec (*o*) sunt: *Favens haeresi Eutychis, catholicos est persecutus, ipse autem divino fulmine interiit.* Nec ab hoc differt *Anastasius*, Bibliothecarius Romanus, scriptor eiusdem seculi IX, qui in *Pontificali libro*, ubi vitam Hormisdae Pontificis persequitur, haec (*p*) etiam de Anastasio Imperatore adiicit: *Eodem tempore nutu Divinitatis percussus est fulmine Divino Imp. Anastasius, et obiit.* Vnicum adhuc apponam locum *Synodici veteris*, cuius auctor eodem seculo IX tempore magni Photii vixit. Is autem ita (*q*) sonat: *Cum igitur Anastasius in lecto impiam animam, fulgure ab irato Deo immisso, efflasset.* Horum scriptorum narrationem historicam, de morte Anastasii, paulo securius sequuntur ex recentioribus nostris plerique.

§ 8. *Alii mortem Imperatoris tragicam novis additamentis exornant.*

Verum alii parum contenti morte tali, qualem nunc depinximus, novas superaddiderunt circumstantias,

(*n*) In Historia Liter. Ecclesiastica, Parte II p. 213, edit. Londin.
(*o*) Chronic. Tom. II Lib. V. c. XX.
(*p*) In Conciliis *Labbei* Tom. IV, col. 1417.
(*q*) In Conciliis *Labbei* Tom. IV, col. 1587, et in Bibliotheca Graeca *Fabricii* Vol. XI, p. 236.

tias, ex quibus vindictae Divinae quaedam veluti industria colligi possit, qua mortales erudiantur et moneantur:

Admonet et magna testatur voce per umbras;
Discite iustitiam moniti, et non temnere divos (*r*).

Iohannes igitur *Moschus*, monachus, magnusque ineptiarum monasticarum admirator, qui seculo VI et VII floruit, rem hunc in modum refert in *Prato Spirituali* (*s*) cap. 39: *Narravit nobis vir quidam Christi amans de Anastasio Imperatore, quod, postquam eiecisset Euphemium et Macedonium, Constantinopoleos Patriarchas, atque relegasset, — propter sanctam Synodum Chalcedonensem, vidit in somnis Imperator virum quendam eximium, vestitum amictu candido, contra se stare, ac ferre codicem scriptum, eumque legere. Qui ubi evolvit quinque codicis folia, legitque Imperatoris nomen, ait illi; Ecce propter incredulitatem tuam, deleo quatuordecim* (nempe annos): *et digito suo delevit, atque post duos dies, facto fulgure magno et tonitruo, tremefactus maxime, reddidit spiritum in summa angustia.* Narratio haec mox occupavit Historicorum Graecorum commentarios, uti videre licet apud *Iohannem Malelam* in Chronographia Tom. II p. 127, 128, auctorem *Chronici Alexandrini* p. 764, et *Theophanem* in Chronographia p. 140, qui tamen narrationem monachalem *Iohannis Moschi* novis additamentis ornare sategerunt. Aiunt enim, eadem nocte, qua per qui-

(*r*) *Virgilius* Aeneid. VI. 619.
(*s*) In Bibliotheca magna Patrum Parisiensi, Tom. XIII, p. 1069. Graeca dedit *Cotelerius* in Monumentis Eccles. Graec. Tom. II, p. 363.

quietem visum oblatum fuit Imperatori, simile quid evenisse quoque Amantio Cubiculario eius, eoque facto, accersitum ab ipsis Proclum, Asianum Philosophum, visorum sensum declarasse, ac praedixisse, brevi utrumque interiturum esse. Hos, interiecto aliquo temporis intervallo, subsecuti scriptores alii, et Proclum illum, de quo dixi, Philosophum Asianum, ὀνειροκρίτην inclytum, confundentes (*t*) cum Proclo alio, illustri illius aetatis Mechanico, obstetricante errore hoc, novam fabellam non invenustam nobis enixi sunt, cuius haec (*u*) est summa: *Proclum Philosophum et Mechanicum summum, qui non solum industriam Archimedis aequavit, sed etiam in multis superavit, Anastasio, cui praedictum erat, eum ictu fulminis interiturum esse, aedificium construxisse, in quo tutus a fulmine esset; sed frustra hoc fuisse. Fulmine enim nihilo minus interiisse.* Sed ohe! satis iam nugarum et ineptiarum.

§ 9. *Anastasium morte tragica non interiisse, constat* 1) *ex consensu meliorum et primorum historicorum.*

Estne vero quisquam, qui non lectis lepidis illis de morte Anastasii narrationibus, quas in superioribus retuli, iudicaturus sit, eas fundamentum aliud habere non posse, quam enthusiasmum quemdam, mo-

(*t*) De *Proclo* Mechanico prae ceteris consulendus *I. A. Fabricius*, in Prolegomenis ad *Marini* Commentarium de vita Procli Philosophi, p. 7, 8, 9, edit. Londinensis, ubi errores quosdam eruditorum virorum emendat.

(*u*) *Sethus Calvisius* in Chronico ad a. 518. Adde *Cedrenum* p. 362, 363, *Zonaram* Tom. II p. 57.

monachis aetate illa iam familiarisſimum, et procedentem ex tali enthuſiasmo furorem, quidvis pro bona cauſa audendi? Equidem quod ad eorum relationes attinet, qui Imperatorem ictu fulminis, aut contactum, aut ſaltem territum interiisſe, ſcribunt, illas admittere facile posſemus, dummodo conſenſu ſcriptorum fide dignorum, et qui tempora Anaſtaſii quam proxime attigerunt, confirmatas videremus. Nullum enim in tali morte indicium manifestum iudicii cuiusdam Divini deprehendo, nihil, quod non quivis noſtrum quotidie experiri posſit, nihil, quod non ſaepisſime eveniat, quodque Regibus et Principibus potentisſimis, et probitatis quoque laude celebratis, re ipſa evenisſe, non teſtetur hiſtoria. Sed quo minus tamen etiam traditioni huic ut verae adſtipulari queam, efficit ſcriptorum et antiquiorum et meliorum apertus disſenſus. Multi ex his memoriae Imperatoris, quem pro fautore Eutychianorum inſigni habebant, minime profecto favebant; et tamen hocce mortis genus, quod ſi locum habuisſet, ſine ullo vitio commemorare potuisſent, tamquam ſibi plane incognitum, ſilentio praetermittunt. Est inter illos vir tempore illo illuſtris, *Marcellinus* Comes, qui (v) cum Anaſtaſio Imp. vixit, et, anno post mortem illius decimo ſexto, Chronicon ſuum abſolvit, in quo ad annum 518 de Imperatoris morte haec (x) habet: *Anaſtaſius Imp. ſubita morte praeventus maior octogenario periit.* Hac aetate paulo antiquior est *Theodorus* Lector, qui tempore mortis Imperatoris Anaſtaſii floruit, et qui,

(v) Vide *Sirmondi* Praefationem in Marcellinum, Operum Tom. II col. 347.

(x) In Operibus *Sirmondi*, Tomo II col. 378.

qui (*y*), etsi memoriae huius Imperatoris parum aequus, aliter de morte eius non scribit, quam *Marcellinus: Anastasius Imperator repente moritur, cum vixisset annos octoginta octo.* Non ita diu post utrumque hunc, circa annum 550, floruit auctor Syrus Chronici praestantissimi Edesseni, ab illustri *Assemano* editi, qui, etsi orthodoxus, eadem brevitate (*z*) mortem Anastasii attingit, ad a. C. 518: *Hoc anno* D. IX *Iulii obiit Anastasius Imperator, cui Iustinus suffectus est.* Hisce tempore aequalis fuit *Iornandes*, Episcopus Ravennas in Italia, et is in libro de regnorum successione p. 136, edit. *Vulcanii*, odium, quo in Anastasium incensus erat, tegere quidem non potuit; at mortem ipsi aliam tamen non tribuit, quam ordinariam: *Moerens*, inquit, *et furens, maior octogenario aetatis anno, regnique vicesimo et octavo, rebus excessit humanis, contrita republica.* Agmen scriptorum illorum, quos in subsidium vocandos esse opinatus sum, claudat, qui in fine seculi huius clarus fuit, *Evagrius* Scholasticus, nam et eodem stylo mortem Anastasii describit, Hist. Eccles. Lib. III c. 44: *Posthaec Anastasius, cum brevi admodum tempore superstes vixisset, ad alteram vitam migravit.* In medium adduxi non scriptores alios, quam qui illo ipso seculo vixerunt, quo mortuus est Anastasius Imperator. Ex eorum verbis liquido apparet, eos omnem illam de morte Imperatoris tragoediam, aut in universum ignorasse, aut certe cognitam sibi contemsisse, et mentione indignam iudicasse. Erant ut plurimum Anastasio inimici, erant historici, quorum officii vi-

(*y*) Histor. Eccles. Lib. II, in Scriptoribus historiae Eccles. *Valesii* Tom. III p. 565.

(*z*) In *Assemani* Biblioth. Orient. Tom. I p. 408.

videbatur, circumſtantiam adeo memorabilem, quam impune adferre poterant, ſi esſet vera, ſilentio non obtegere. Quidam etiam eorum, genus mortis, quae Imperatorem abſtulit, clarius exprimere voluerunt, dictitantes, eum *ſubitanea morte* interiisſe. Sed de tonitruis et fulminibus omnes hi ne γρύ quidem.

§ 10. 2) *Quia alii rumoris huius, ſed ut incerti, meminerunt.*

Non citra rationem dixi, ſcriptoribus illis, quorum testimoniis §pho ſuperiori uſus ſum, aut certe quibusdam ex ipſis, rumorem illum popularem de morte Anaſtaſii Imp. cognitum quidem, ſed et ab iisdem contemtum et reiectum fuisſe. Nam quod de his ſuſpicamur tantum, id alii ſine ambagibus clare profesſi ſunt. *Theophanes*, quem Graeci a ſtudio, quo imagines coluit, *confesſorem* appellant, qui inclinato ſeculo VIII *Chronographiam* ſcripſit, in ea fabulas quasdam, de morte Anaſtaſio praedicta, adoptavit quidem, verum ubi ad mortem ipſam perventum est, traditionem vulgarem non ſine contemtu (*a*) explodit: *Hoc anno*, inquit, *menſis Aprilis* IX. *Anaſtaſius impius Imperator diem obiit.* — *Quidam aiunt, eum fulmine de coelo tactum, mentis ſtupore e vivis excesſisſe*, in Chronographia p. 141. Tum igitur fama illa erat ignobilis, paucis tantum probata. Haec ſcriptor Graecus. Conſimilia ſunt, quae apud ſcriptorem Latinum, eiusdem fere aetatis, *Paulum Langobardum*, leguntur in Hiſtoriae Miſcellae Lib. XV, p. 454. edit. Baſil.: *Anaſtaſius, cum viceſimum et ſeptimum annum imperii ageret, mortuus est.* — *Quidam autem aiunt, quod*

(*a*) In hoc *Theophanes* errorem chronologicum commiſit, caſtigatum a *Pagio*. Vide notas ad § 13.

quod divino fulmine Anastasius a fulgure perierit. Ex quo profecto colligi facile potest, quonam loco, seculo adhuc VIII, famam illam, de morte Anastasii tragica, habendam esse censuerint prudentiores, cum in Oriente, tum in Occidente, scriptores.

§ 11. 3) *Quia, qui rumorem illum probant, tamen in exponendis circumstantiis tragicae illius mortis tantopere a se invicem discrepant.*

Nihil vero falsitatem famae huius efficacius probat, quam summa illa scriptorum, qui ei patulas aures praebuere, inconstantia, et insignis a se invicem discrepantia, quae ex iis, quae a nobis, § 7 et 8, monita iam fuerunt, satis superque colligi potest. Nam si hunc audimus, Anastasius fragorem tonitruorum auribus quidem percepit, et fulguris splendorem damnosum oculis persensit; verum tamen non ex eo, sed proprio suo terrore ac metu exanimatus fuit. Si alium sequi malumus, fulmen coelitus immissum vindictae Divinae instrumentum fuit, quo veluti telo quopiam confixus expiravit. Quid dicemus de oraculo illo nocturno, quo Deus eum monuit, de vita ipsius, propter haeresin Eutychianam, detrahendos esse annos 14? Et tamen, cum diem suum obiret, *octogenario maior* erat, teste *Marcellino* Comite, cuius verba supra adduximus, vel vixerat *annos octoginta octo*, quemadmodum *Theodorus* Lector memoriae prodidit. An itaque, in tam provecta aetate, morti nondum maturus erat? Si *Moscho* fidem adhibemus, sensus oraculi huius per se clarus omnino erat, et nullo negotio percipiendus. Sed si alios consulimus, visum illud nocturnum adeo obscurum fuit et ambiguum, ut Imperator opus habuerit Proclo coniectore, qui sibi som-

ſomnium interpretaretur. Si *Moſchi* auctoritate ſtamus, biduo post oblatum illud in quiete viſum, Imperator animam efflavit. Sed ſunt, qui nobis perſuadeant, tantum Anaſtaſio relictum fuisſe temporis, ut magna arte aedificium ſibi conſtrui iusſerit, in quo tutus a fulmine esſet, quamquam ne ſic quidem fatum evadere potuerit. Ita nihil hic est, in quo ſcriptoribus inter ſe conveniat, ut igitur libido mentiendi, et quidvis fingendi, vix in ulla alia hiſtoria luculentioribus indiciis ſeſe prodiderit, atque in hac.

§ 12. *Idem confirmatur* 4) *ex ſilentio, de morte tragica Anaſtaſii, in epiſtolis Iuſtini Imp. et Hormisdae Pontif., et in aliis monumentis, huc ſpectantibus.*

Omnia haec, quae hucusque adſtruxi, non mediocriter confirmantur ex ſilentio de morte Anaſtaſii, quod ſervatur in epiſtolis *Iuſtini* Imp. et *Hormisdae* Pontificis Romani, ad ſe mutuo ſcriptis, quae in *Conciliorum* editionibus habentur. Anaſtaſio ſine liberis mortuo, ſuccesſerat in imperio Iuſtinus, qui eum nullo conſanguinitatis aut cognationis vinculo attingebat. Is cum Anaſtaſii pro Henotico acta improbaret, ac aliam viam ingredi vellet, illico (*b*) ad Hormisdam ſcripſit, et ſe Imperatorem esſe electum, ipſi ſignificavit. Reſpondit (*c*) Hormisdas, Imperatori gratulans, eumque obteſtans, ut nunc, Anaſtaſio nempe mortuo, pacem Eccleſiae reddat. Si de morte Anaſtaſii tragica aliquid compertum fuisſet, id neque Iuſtinus ſiluisſet, neque Hormisdas argumentum hoc neglexisſet, ad novum Imperato-

rem

(*b*) In Conciliis *Labbei* Tom. IV, col. 1469.
(*c*) Ibidem col. 1470.

rem commovendum, ut exemplo tali monitus caussam Dei fortiter susciperet. Sed altum hac de re semper silentium. Sequuntur in eadem collectione multae aliae Imperatoris et Pontificis in hac caussa epistolae. Adsunt porro epistolae aliorum, quibus refertur, quid in hoc negotio, ut pax restitueretur Ecclesiis, gestum fuerit, tum Constantinopoli, tum per alias quoque Graeciae civitates. Occurrunt epistolae Pontificis ad Episcopos Graecos, et horum ad Pontificem. Saepe mentio iniicitur Anastasii, et eorum, quae contra honorem Ecclesiae inique perpetrasse creditur. Commemoratur (*d*), *Anastasii ac Zenonis nomina ab altaris recitatione submota*, vel (*e*), *de diptychis deleta fuisse*, quod erat tacita quaedam horum Imperatorum, post mortem, excommunicatio. Legas illic, quomodo (*f*) *Iustinus* Imperator, et etiam (*g*) iussu eius, *Iustinianus*, vir tum in aula Imperatoris dignitate illustris, Pontifici in memoriam revocent, quae quondam Anastasius adversus eum et decessores eius egerat in causa Acacii. Et respondet (*h*) Pontifex ad ea, recordatus malorum, quae regnum Anastasii, uti quidem arbitrabatur, in Ecclesiam invexisset; sed mortis tragicae Imperatoris, in omnibus his, quod tamen, loco adeo opportuno, merito expectasses, nulla, ne vel levissima quidem mentio, indicium nullum occurrit. Et quaenam erat ratio, quae Pontificem iratum, cuius antiqui dolores semper renovabantur, movere poterat, ut memoriae hominis sibi invisi, quam novus Imperator non defendebat, in hoc uno par-

(*d*) In Conciliis *Labbei* Tom. IV, col. 1488.
(*e*) Ibidem col. 1490.
(*f*) Ibidem col. 1542.
(*g*) Ibidem col. 1548.
(*h*) Ibidem col. 1551.

parceret? Profecto silentii huius obstinati nulla omnino cogitari potest alia ratio, quam quod de tali morte Anastasii Pontifici non constaret.

§ 13. *Origo vera historiae de morte tragica Imperatoris fuit revelatio quaedam, a monachis venditata.*

Ceterum neque inutile, neque lectori iniucundum fore arbitror, si in veras origines traditionis adeo fabulosae et mendacis adhuc paulo curatius nunc inquisivero. Illas autem in Enthusiasmo, aut in fraudibus monachorum illius aevi, omnium tutissime reperiri posse, facile mihi persuadeo. Hostes honori suo ac dignitati imperiali, quam tuebatur, magis infensos, quam monachos, Anastasius, sub ultima praecipue regni sui tempora, expertus non fuerat, uti vicissim illi pondus irae eius persentiscere nonnumquam debuerunt. Illi igitur ira in Imperatorem incensi, et vindictam die nocteque meditantes, revelationes Divinas, quibus Anastasio iudicia Divina tremenda, in morte ipsius initium sumtura, denunciarentur, aut se re ipsa accepisse, sibi visi sunt, aut quod ipsi non crediderunt, finxerunt tamen, aliisque persuadere conati sunt. Refert certe *Cyrillus* Scythopolitanus, in Palaestina, monachus, in vita *Sabae*, qui et ipse monachus fuit, illo tempore nominis valde illustris, talem revelationem obtigisse Eliae Patriarchae Hierosolymitano, qui, propter causam Henotici, ab Imperatore in exilium missus erat. Verba eius (*i*) cap. 60 ita se habent: *Dum ergo* Elias *ita ageret*, *contigit*, *ut nona* (*k*) *men-*

(*i*) In *Cotelerii* Monumentis Tom. III p. 325.

(*k*) Ex hoc loco *Pagius* ad a. C. 518, num. IV, adversus *Theophanem* verum diem mortis Anastasii erui posse do-

mensis Iulii die pro solito non exiret. Illis autem expectantibus, et neque communicantibus, neque quidquam gustantibus, egressus circa horam sextam noctis, dixit: vos cibum sumite, non est enim mihi otium. Cumque sanctus Sabas teneret eum, et quodammodo cogeret ad dicendum, quid haberet, collachrymans respondit: Hac hora migravit e vita Anastasius Imperator: oportet me prorsus post decimum diem excedere, et cum eo disceptare ac iudicari. In sequentibus narrat *Cyrillus*, quomodo eventus, omnia haec verissima fuisse, comprobaverit. Hisce limitibus, credo ego, primum rumorem de morte Anastasii tragica circumscriptum fuisse. Anastasius morte naturali decesserat; sed ut illa tamen tremendum quidpiam hominibus obiiceret, excogitatae sunt revelationes, quibus Deus significaverit, Anastasium morte illa, ceu per lictorem quemdam, ad severum Dei iudicium raptum fuisse. Famam hanc eamdem, nondum incrustatam, aut novis accessionibus interpolatam, refert quoque *Moschus*, in Prato Spirituali (*l*) cap. 35, in haec verba: *Aiebant de Archi-Episcopo Hierosolymorum, et de Flaviano, Archi-Episcopo Antiocheno, quod Anastasius Imp. utrumque, propter sanctam Synodum Chalcedonensem, exilio damnaverit. — Die autem quadam significarunt sibi Patriarchae, mutuo dicentes; Anastasius hodie mortuus est; et eamus etiam nos, ut cum illo iudicemur. Ac post duos dies migraverunt ad*

docet. Id ipsum egregie confirmatur ex praestantissimo *Chronico Edesseno*, cuius locum supra attuli § 9. Et denique *Baronius* idem quoque, allato novo testimonio *Evagrii* Lib. IV c. I, invicte adstruit in notis ad Martyrologium Romanum p. 263, edit. Paris.

(*l*) In Bibliotheca Patrum Parisina, Tom. XIII p. 1068. Graeca dedit *Cotelerius* in Monumentis, Tom. II p. 358.

ad Dominum. Horum narrationes fecutus est, uti videtur, *Paulus Langobardus* in Hiftoriae Mifcellae Lib. xv p. 454, ubi ita de Anaftafio: *Hanc eius impiam temeritatem Divina ultio continuo fubfecuta est. Nam cum vicefimum et feptimum annum imperii ageret, mortuus est, et imperavit pro eo pius Iuftinus.* In his enim fuam fententiam de morte Anaftafii naturali, in qua tamen indicia ultionis Divinae agnofcit, attulit. Mox vero de aliis addit: *Quidam autem aiunt, quod divino fulmine a fulgure perierit.*

§ 14. *Rumor de revelatione illa, occafione mortis Anaftafii facta, occafionem praebuit novis fabulis excogitandis.*

Ubi iam femel fama illa de Anaftafio, per mortem ad tribunal Divinum vocato, et eorum, quae contra orthodoxos Epifcopos et monachos egerat, rationem reddituro, quippe quod ex peculiari quapiam revelatione Divina certo cognitum esfet, inter monachos horumque fautores praevaluisfet, difficile non fuit, inventis aliquid addere. Idque, ut traditio haec fide tanto dignior omnibus appareret, necesfarium aliquo modo videri poterat. Etenim revelationes huius generis monafticae tam crebro iam tum venditabantur, et tot faepiuscule naeniis et ineptiis refertae erant, ut fides earum magnopere vacillaret. Et vidimus fane § 9, meliores ipfius illius aevi hiftoricos rumoris illius monaftici, quamquam pervulgati, rationem nullam habuisfe. Itaque ne in hoc negotio omnia ex fola monachorum quorumdam fide, aut ex revelatione Divina, his tantum facta, pendere viderentur, ad revelationem hanc adiungere placuit aliam de eadem re praedictionem, ipfi Imperatori paulo ante mortem factam, quod

quod fide pariter monaſtica testantur ſcriptores a nobis § 8 excitati. Ad ultimum denique, ut omnes penitus ſcrupuli ex animis hominum evellerentur, adinventa quoque ſunt tonitrua et fulgura, quibus Anaſtaſium interemtum ferebant, quibus ceu ſignis et prodigiis veritas revelationum et praedictionum Divinarum luculentisſime confirmata esſet. Potuit fictioni huic aliquid ex eo roboris accedere, quod ſcriptores fide dignisſimi, quorum loca § 9 videri posſunt, teſtentur, Anaſtaſium ſubita morte extinctum fuisſe. Et vero novimus, fulgure nihil velocius esſe, ut igitur recte is dici posſit *veluti fulmine imteremtus*, quem mors ſubita et plane improviſa abſtulit. Et hanc credo fictionis iſtius de fulmine veram fuisſe originem. Figmentum hoc postremum, de Imperatore fulminis vi extincto, multi coniunxerunt cum antiquiori illa fama, de qua § 13 disſeruimus, et quam *Iohannes Moſchus*, in loco, quem illic indicavimus, ſolam admiſit. Inter eos, qui rumorem utrumque ſociarunt, re vera est is ipſe *Cyrillus* Scythopolitanus, cuius verba deſcripſimus § 13. Etenim auctor ille, qui triginta annis et amplius post mortem Imperatoris ſcripſit, illis, quae iam retulimus, haecce (*m*) ſubiicit: *At beatus Sabas, notato die, reverſus Hieroſolymam, agnovit, nocte* (*n*) *decimae diei Iulii menſis, qua Patriarchae Eliae viſum obiectum est, tonitruis et fulguribus circa palatium volutatis, Imperatorem Anaſtaſium omnino ſolum fere abſumtum, eumque animo concidentem, ac de locis in loca fugientem, in uno e parvis cubiculis, ab ira Divina comprehenſum fuisſe, proſtratum occiſumque, ita ut repente mortuus inventus ſit.*

§ 15.

(*m*) Apud *Cotelerium* loc. cit. p. 326.
(*n*) Id est, nocte inter diem 9 et 10 Iulii intermedia. Vide *Pagium* ad a. C. 518, num. IV.

§ 15. *Revelatio de morte Anaſtaſii curatius expenditur. Ethnici tales revelationes etiam iactitarunt.*

Si quis omnia, quae hactenus allata fuerunt, aequa lance expendat, intelliget facile, originem veram fabulae, de morte tragica Imperatoris Anaſtaſii, nullam aliam fuiſſe, quam iactatam illam revelationem Divinam, Eliae Patriarchae Hieroſolymitano factam, de Imperatore, per mortem ad iudicium Divinum rapto. Quid vero iam de revelatione illa ſtatuendum eſſe cenſebimus? Ego vix ac ne vix quidem dubitare poſſum, fore pleroſque, aut potius cordatos omnes, qui hiſtoriam hanc monasticam eodem loco habituri ſint, quo alias huiusmodi, quae et a Gentilibus ipſis, et omnium maxime a Christianorum monachis ſaepius, ſed tamen falſo, iactitatas eſſe ſcimus. Etenim ad artes huiusmodi fraudulentas nimium proclive est, fuitque ſemper genus humanum. Idem ipſe indolis corruptae inſtinctus, qui monachos noſtros olim impulit, ut ad decipiendam indoctam plebem, revelationes, quaſi a ſupremo Numine ſibi ſuggestas, fingerent, iam multo ante Ethnicos quoque ad ſimilia tentandum ingenioſos reddidit. Romanorum annales pluscula exempla piae huiusmodi fraudis nobis ſuppeditant, quorum nonnulla *Valerius Maximus* tangit Lib. I cap. VIII, quod est *de miraculis*. Sed unum in hiſtoria *Apollonii Tyanenſis* occurrit, quod, ob inſignem cum argumento noſtro affinitatem, ut praetermittam, a me impetrare non poſſum. Refert id *Philoſtratus*, magnus impoſtoris huius admirator, de vita eius Lib. VIII c. x, ex verſione Frederici Morelli: *Et haec quidem Romae agebantur: Epheſi autem Apollonius eadem quaſi ante oculos poſita conſpexit. Dum enim haec Romae in regia agerentur, ipſe forte in Xyſti luco*

meridie disputat; et primo quidem velut repentino pavore percussus, vocem demisit — tamdem vero, quasi eorum, quae dicere vellet, oblitus, conticuit, — tres inde aut quatuor passus, e loco ubi constiterat, progressus, Percute Tyrannum, percute, clamabat, — cum stuperent Ephesii, qui frequenter aderant, Apollonius, confidite, inquit, o viri, tyrannus namque occisus est hodie: quid autem dixi, hodie? imo potius hoc ipso temporis momento, ita me Pallas adiuvet. Et hoc ipso etiam temporis articulo, Domitianum Imp. Romae manibus ficariorum occubuisse, credere nos iubet huius fabellae auctor.

§ 16. *Imprimis vero huiusmodi revelationum historiae monachorum omnes plenae sunt.*

Verum nihil sane revelationibus illis, quae lectorem poscunt bene credulum, in historiis monachorum frequentius. Diceres, hanc unam esse ex legibus, quas compilatores sanctarum fabularum Romanensium sibi praescripserunt, et quam negligere sibi religioni ducunt. Pauca, quae adferam exempla, dictis fidem facient. De Antonio, monachorum Patriarcha, in vita eius (*o*) scribit Athanasius: *Sedebat Antonius hilaris. Videntes autem eum monachi, qui venerant, precati sunt, ut causam hilaritatis ediceret. Quibus ait, modo Ammonem quievisse. — Monachi vero, quibus dixerat Antonius de morte Ammonis, notaverunt diem, et venientibus de Nitria fratribus post dies triginta, sciscitantes repererunt illo die, illaque hora dormiisse Ammonem, qua animam eius ferri senex viderat.* Apud *Palladium* in notissima *historia Lausiaca*, haec de se ipso

(*o*) In Operibus Tom. II, col. 469, edit. Commelini.

ipſo narrat *Didymus Orbus* (*p*): *Cum quodam die, de vita miſeri Iuliani Imperatoris, utpote perſecutoris, esſem ſollicitus, et animo angerer, — et cum in ſedili ſederem, me ſomnus opprimeret, vidi in ecſtaſi equos albos cum inſesſoribus percurrentes* (*q*) *et annunciantes: dicite Didymo, hodie hora ſeptima mortuus est Iulianus; et quod tu ſcis, domum mitte ad Epiſcopum Athanaſium, ut ille quoque hoc ſciat. Notavi autem, et horam, et diem, et hebdomadem, et menſem, et ſic inveni.* Liceat adhuc unicum eiusdem rei exemplum adferre ex *Moſchi* Prato ſpirituali, cap. 57, his verbis (*r*) conceptum: *Abbas Iulianus Stylites, praeter conſuetudinem ſuam, inſolito tempore, dixit diſcipulis ſuis: Mittite thymiama in thuribulum. Qui dixerunt ei: dic nobis cauſam, pater, orabantque, ut diceret eis. Senex autem dixit: Quia modo frater meus Symeon a fulgure deiectus interiit, et ecce tranſit anima eius cum tripudio et exultatione. Diſtabant autem ab invicem, milliaribus fere viginti quatuor.* In Symeone hoc, fulgure coelesti tangi, documentum erat amoris et favoris Divini ſingulare, quia monachus erat; de Anaſtaſio vero tale quid confinxerunt monachi, atque tum in eo irae ac ultionis Divinae ſigna manifesta hominibus apparuisſe, asſeverarunt, quia nempe is erat monachorum quorumdam adverſa-

(*p*) Ex verſione Herveti cap. IV. vel cap. III, ſecundum edit. Graeco-Latinam in Bibliotheca Patrum magna Tom. XIII, p. 905.

(*q*) Crederes haec esſe deſumta ex ſuperſtitionibus hiſtoriae Romanae. *Florus* Lib. I c. XI, de pugna ad lacum Regilli ſcribit: *Interfuisſe ſpectaculo Deos fama tradidit, duos in candidis equis. Graevius* in notis nummum exhibet, in quo *equi albi cum inſesſoribus* exhibentur.

(*r*) Bibliotheca Patrum Tom. XIII, p. 1078.

sarius. An pluribus post haec exemplis opus esse credemus? quorum sane affatim nobis suppeditant non Graecae modo, sed et Syriacae Ecclesiae vetusta (s) monumenta, ut clare intelligatur, fuisse id artificii genus monachis ea iam aetate ubique gentium familiarissimum, et usu continuo tritissimum, eoque usos saepiuscule fuisse, quoties memoriam vel huius venerabilem, vel illius execrabilem, reddere posteritati, in votis habuere.

§ 17. *Historia de revelatione, facta occasione mortis Anastasii, aperta fraudis indicia secum vehit.*

Cum igitur relationes huius generis nihil aliud mereantur, quam contemtum, cum ipsi Romanenses (t) tales narrationes, in Ecclesia Iacobitica venditatas, ex alto despiciant, cum horum relationes consimiles vicissim repudient *Nestoriani* et *Iacobitae*, cum de his omnibus nostri unum idemque iudicium ferre soleant, videtur etiam in praesenti nostro casu, quando nobis revelatio de obitu Anastasii, in ipso mortis articulo, Eliae Patriarchae Hierosolymitano facta, obtruditur, nulla ampliori deliberatione aut suspensione iudicii opus esse. Idque tan-

(s) Apud *Assemanum* v. g. in Bibliotheca Orientali Tom. II p. 8, occurrit talis revelatio facta *Barsumae* Eutychiano, de morte Marciani Imperatoris, quam ipse *Assemanus* confutat. Similia exempla alia Ecclesia Iacobitica memorat. Vide ibid. p. 426. a. et 429. a. Sed quis exempla omnia congerat?

(t) Vide *Renaudoti* historiam Patriarcharum Alexandrinorum p. 199, 266, etc., *Assemani* Bibliothecam Tom. II p. 2, 8, et passim alibi.

tanto minus, quia ipſa haec revelatio, uti a veteribus memoriae prodita est, indicia fraudis non ita obſcura, ex quibus falſitatis convinci potest, ſecum vehit. Attuli § 14 duas revelationis huius deſcriptiones hiſtoricas; ſed quas vehementer a ſe invicem disſentire, unicuique illico non potest non liquere. Si credimus *Cyrillo*, viſum hoc oblatum est *Eliae* Patriarchae, isque de eo illico retulit ad *Sabam* monachum, quem tum ſecum habebat, et qui Eliae, confestim post in morbum lapſo, usque ad vitae finem asſedit. Et ſatis ſubinnuitur, ex ipſius Sabae ore accepta esſe, quae de illa re literis mandavit *Cyrillus*. Si vero conſulimus *Moſchum*, revelatio illa eodem tempore obtigit *Flaviano* Patriarchae Antiocheno, non minus quam *Eliae* Hieroſolymitano, hique duo etiam de gestis mutuo inter ſe communicarunt, et brevi post mortui ſunt. De *Flaviano* nihil ſane conſtiterat Sabae, qui tamen ab *Elia* non diſcesſit, donec ſpiritum traheret, alioquin certe relationem ſuam confirmasſet ſuffragio *Flaviani*, Praeſulis ſumme venerabilis, et qui propter ſpretum *Henoticon* pariter in exilium misſus fuerat. *Sabas*, qui *Eliae* ad mortem usque adfuit, teste *Cyrillo*, asſeverat, Patriarcham hunc, die post acceptam revelationem decimo, e vita migrasſe. *Moſchus* vero nos credere vult, et *Eliam*, et *Flavianum*, interiecto tantum post revelationem biduo, ad meliorem vitam tranſiisſe. Non ambigo, quin, ſi alia veterum de revelatione illa testimonia ſuperesſent, longe maiorem adhuc in referendis illius circumſtantiis deprehenſuri esſemus disſenſionem. Ex eo certe est, quod in *Martyrologio Romano* utriusque et *Eliae* et *Flaviani* martyrium, id est, mors, quam in exilio pertulerunt, ad unum referatur diem, d. 4 Iulii. Nempe, quod ex *Moſcho* intelleximus, ferebantur uno eodemque die ad Dominum migrasſe.

Quae

Quae ad illum *Martyrologii* locum in notis cavillatur *Baronius*, ne unius quidem assis facienda sunt. Sed infelicissimo profecto casu, compilator martyrologii, quisquis est, mortem utriusque Patriarchae diei 4 Iulii illigavit, quod fidem omnem revelationis illius penitus evertit. Etenim si id intellectum voluit de 4 Iulii a. 518, uti omnes credunt, tum Patriarcha uterque, quinque diebus, obitu suo mortem Imperatoris, e vivis erepti (*u*) d. 9 Iulii, antevertit, adeoque certe neuter ipsorum revelationem accipere potuit, de transitu Imperatoris ad aliam vitam, re ipsa iam facto, quod revelatio tamen involvit.

§ 18. *Revelatio ex eo etiam fraudis convincitur, quod Elias Hierosolymitanus biennio ante Anastasium mortuus fuerit.*

Verum observationi huic nonnihil adhuc insistendum esse censeo. Illa enim fraudis hic commissae novum argumentum nobis suggeret. Historici nostri et Chronologi omnes, nixi auctoritate *Cyrilli*, et historiae illius, de qua diximus, mortem *Eliae* Hierosolymitani coniiciunt in a. C. 518. *Pagius* etiam (*v*) ex *Cyrillo* diem definit, nempe 19 Iulii. Et tamen de die res nondum ita certa est. Illi enim, quos *Moschus* secutus est, mortem Eliae referebant ad d. 11 Iulii, *Martyrologium* vero Romanum ad d. 4 Iulii, quod ex § 17 liquet. Verum quid si etiam de anno litem moveam historicis nostris, nec immerito, si persuasionem hanc, quae nullum aliud habet fundamentum, quam revelationem illam monasticam, quam hucusque excussimus, testimonio historico-

(*u*) Vide observata ad § 13.
(*v*) Ad a. C. 518, num. IV.

ricorum fide digniorum, et veris temporum rationibus clare adverſari oſtendero? Tum profecto de revelationis illius fide actum esſe penitus, merito cenſebunt omnes. Et primo quidem teſtem illius rei, quam affirmo, dabo exceptione maiorem, *Marcellinum* Comitem, virum illuſtrem, Hiſtoricum et Chronologum accuratum, ſcribentem de rebus ſui temporis, et quibus ipſe tantum non ſemper interfuit. Is igitur ad a. C. 516 ſequentia notat: *Helias Hieroſolymitanae urbis Epiſcopus, in villa, quae Haila dicitur, ab eodem Principe relegatus, emoritur.* Non poteſt mihi obiici, ſermonem hic tantum esſe de exilio, in quo poſtea demum mortuus fuerit. Nam praeterquam quod ipſe verborum contextus talem ſenſum non admittat, certum quoque eſt, *Eliam* non anno demum 516, ſed iam a. 513 in exilium pulſum fuisſe, quod ad annum hunc num. IV *Pagius* docet. Itaque ſermo eſt de tempore mortis eius. Quodſi vero Elias mortuus eſt a. 516, nuncium certe neutiquam accipere potuit de morte Imperatoris, quippe quae ſecundo demum anno poſt, videlicet 518, ex confesſione omnium, inſecuta eſt. Eſt itaque revelatio illa falſisſima et ex meris mendaciis conſarcinata.

§ 19. *Id porro illuſtratur.*

Et profecto poſt annum 516 in genuinis et authenticis illius aevi monumentis, qualia ſunt *Hormisdae* ad Anaſtaſium Imp. et ad Epiſcopos Orientis epiſtolae, quae reſtitutionem orthodoxorum, in exilium pulſorum, urgent, nullam amplius *Eliae* Hieroſolymitani mentionem fieri deprehendo. Eodem vero anno 516 (*x*) *Monachi in Palaeſtina*, teste *Theophane*

(*x*) Poteſt hic conferri *Pagius* ad hunc an. num. VI.

phane in Chronographia p. 139, *professionem fidei miserunt ad Episcopum Hierosolymitanum*, Iohannem, qui Eliae, in exilium misso, ab Imperatore substitutus fuerat. Dum hanc professionem fidei ad ipsum miserunt, eo ipso, secundum illius temporis morem, reverenter eum agnoverunt legitimum sedis illius Episcopum, quod sane numquam fecissent, si Elias, iniuria, ob solum orthodoxiae studium, sede sua pulsus, in vivis etiamnum fuisset. Non hoc permisisset disciplina Graecorum Ecclesiastica, cuius monachos hos nunc tanto tenaciores fuisse, credere par est, quod Iohannes tamquam pii *Eliae insidiator proditorque* cunctis vehementer odiosus esset, quod observatum legimus a *Cyrillo* (y) in vita Sabae c. 56. Verum odium hoc omne, mortuo Elia, extingui facillime poterat, cum appareret, Iohannem praeter omnium spem et expectationem, rectae fidei non minus studiosum esse, atque Elias fuerat. Auctor vetus *Synodici*, loquens de eadem fidei professione monachorum in Palaestina, ait (z) eam oblatam fuisse *Iohanni*, τῷ Διαδόχῳ Ἠλίας τοῦ Θεοκήρυκος, *successori Eliae, magni veritatis Divinae praeconis*, quae loquendi ratio mihi clare indicare videtur, sermonem esse de Elia iam mortuo, cui proinde Iohannes legitime successisset.

§ 20. *Epilogus.*

Idem ostendi quoque facile posset de *Flaviano*, Patriarcha Antiocheno, cui, teste *Moscho*, eadem revelatio, et etiam tempore eodem cum *Elia*, obtigisse

(y) In *Cotelerii* Monumentis Tom. III p. 311.
(z) In *Labbei* Conciliis Tom. IV. col. 1415, et in *Fabricii* Biblioth. Graec. Tom. XI p. 235.

gisſe dicitur. Nam et eum ante Anaſtaſium Imp. diem ſuum obiisſe, argumento non uno commotus, firmiter perſuaſus ſum. Et ſane, quia in omnibus iis, quae Iuſtinus Imperator, ſimulatque post Anaſtaſii mortem imperio potitus esſet, ſine mora contra *Henoticon* pro reſtituendis orthodoxis egit, nulla umquam mentio fit *Eliae* et *Flaviani*, glorioſisſimorum orthodoxiae confesſorum, fingi debuit, eos, ſi omnino Anaſtaſio ſupervixerint, paucisſimis tamen post mortem eius diebus, ex hac vita decesſisſe. Sed exiſtimo, ea, quae hactenus disputavi, ſufficere, ad totius illius traditionis vanitatem et mendacitatem coarguendam.

DISSERTATIO PRIMA [*]

DE INDVLGENTIIS PONTIFICIORVM EX ECCLESIA PER REFORMATORES RECTE ET LEGITIME EIECTIS.

§ 1. Celebravimus hoc anno fecularia facra Augustanae Confesfionis, five Iubilaeum Euangelicum, festum, fi ad folum nomen attendas, illi Pontificiorum non disfimile, quod primus Bonifacius VIII Pontifex Rom. anno 1300 in Ecclefia Christiana celebrari voluit, quod fuccesfores eius variis variisque modis mutarunt, quodque ipfum Iubilaei nomen, per fe innocens omnique culpa immune, quibusdam invifum et fufpectum reddidit, re ipfa tamen ab illo Pontificiorum Iubilaeo non minus diverfum, quam a terra altisfimum coelum diftat. Iubilaeum enim noftrum Euangelicum quid quaefo aliud est, quam pia et laeta recordatio Iubilaeorum Pontificiorum cum fuis indulgentiis, propter quas illa unice inftituuntur, inter nos per Dei gratiam everforum et penitus eliminatorum? Cuius infignis beneficii Divini

[*] Edita est a. 1730. Promittit *Iablonskius* § 1 disfertationes *tres*; an vero *duae posteriores* aut in lucem prodierint, aut alicubi ineditae lateant, me prorfus fugit.

ni magnitudinem cum nemo recte intelligere et assequi possit, qui non perspexerit, quid sint indulgentiae, quamque foeda et detestanda fuerit illa indulgentiarum nundinatio, quae primos Reformatores induxit, ut intolerabile iugum Pontificis et Ecclesiae Romanae excuterent, operae pretium illi facere videntur, qui huius turpitudinis memoriam subinde refricant, ut norint Euangelici, a quanto malo maiores ipsorum per Reformationem liberati fuerint, ut sibi a tanti mali contagio sollicite caveant, utque in illa libertate, in quam Deus per Euangelii purioris doctrinam et usum eos vindicavit, persistentes, tota sua vita Deum in Christo glorificent. Cum itaque huiusmodi meditatio huic praesertim tempori convenire videatur, et ego viam hanc, etsi ab aliis et saepe tritam, ingredi non prorsus inutile fore duxi. Eorum autem, quae de indulgentiis Pontificiorum iam disputabuntur, tria constituam summa capita, quae totidem Dissertationum erunt argumenta. *Prima* exhibebit veram et communem Pontificiorum de indulgentiis doctrinam. *Secunda* enarrabit initia et progressus cum doctrinae, tum praxeos Pontificiorum. *Tertia* denique ostendet, quo iure quamque bene et legitime haec Pontificiorum et doctrina et praxis ex nostris Ecclesiis, perpurgatis et ad pristinam puritatem reformatis, penitus eiecta fuerit.

§ 2. Doctrinam Pontificiorum de indulgentiis (nam ab illa ordimur) distincte tradere, non parum difficultatis habet. Namque illa non modo nostris, et merito, videtur (*a*) admodum intricata, sed et Pontificiis ipsis, certe doctissimis, in multis videtur in-

(*a*) *Andreas Rivetus*, in Synopsi Theol. purioris Leydens. Disp. XXXIX § 38, *paucis materiam alioquin intricatam absolvemus.*

incerta et infirmo talo innixa. Solent de indulgentiis permulta quaeri. An ſint? quid ſint? quid valeant? quis posſit eas concedere, et qua conditione poſita? cui posſint concedi, et ſub qua conditione? de quibus omnibus Scholaſtici, ex quorum fonte tota haec de indulgentiis doctrina hauſta est, non modo in utramque partem diſputant, ſed quae tot etiam dubiis et difficultatibus involverunt, ut magnus merito Apollo dici mereatur, qui hanc labyrinthum feliciter emetitus fuerit, atque ex illa doctior et certior redierit. Vera itaque non minus ſunt, quam ingenua, quae de doctrina indulgentiarum, qualis erat tempore Tezelii et B. Lutheri, fatetur celebratisſimus (*b*) hiſtoriae concilii Tridentini ſcriptor. *Haec omnia*, inquit, *adeo tum incerta, nec validiore nixa firmamento, quam Clementis VI Diplomate, propter ſemiſeculares Iubilaei venias anno MCCCL evulgato, non ſatis habere virium putabantur ad convincendum Mart. Lutherum, et rationes eius confutandas. Ideo Thecelius, Eccius, et Prierias animadverſa cauſae, quam propugnandam ſuſceperant, in locis huic materiae propriis imbecillitate, ad locos communes confugiunt: ibique iacto auctoritatis Pontificiae et conſenſus Scholaſticorum fundamento, conſtituunt: quandoquidem Pontifex in rebus fidei errare nequeat, atque is Scholaſticorum doctrinam de indulgentiis asſenſu ſuo comprobarit, et easdem Diplomate ſuo fidelibus elargitus ſit, doctrinam de his traditam, tamquam fidei articulum, necesſario credendam.* Merito hanc doctrinam incertam vocat ſcriptor Pontificius, quippe qui eam non alio firmamento, quam ſola Pontificis auctoritate,

(*b*) *Petrus Suavis Polanus* [Paulus Sarpius] Hiſtor. Concil. Trident. Lib. 1 pag. 6.

tate, niti noverat. Neque tamen illa ipsa Pontificis auctoritas, ad quam ceu ad sacram anchoram confugiebant, tempore Lutheri, indulgentiarum patroni, doctrinam de indulgentiis expeditiorem efficere poterat aut certiorem. Dum enim Pontifices Scholasticorum de indulgentiis doctrinam iudicio suo confirmabant, difficultates, dubia, incertitudinem, quam haec doctrina secum vehit, non tollebant, sed relinquebant. Nihil enim Scholasticorum de indulgentiis doctrina incertius cogitari aut fingi potest. Nihil est, quod de indulgentiis quaeri possit, aut quaeri soleat, in quo inter ipsos conveniat, in quo non haesitent et fluctuent, in quo non, quod hic affirmat, alter neget. Cuius haesitationis et incertitudinis incredibilis specimina lectu dignissima apud *Hottingerum* (c) collecta et ordine digesta videri possunt. Nos, omissis vanis aegrorum Scholasticorum somniis et ineptis difficultatibus, doctrinam de indulgentiis proponemus, qualem eam Pontificii circa tempus et occasione Reformationis constituerunt, et posthaec in scholis suis tradere coeperunt. Hunc vero ordinem in sequentibus servandum nobis praescripsimus, ut ex mente Pontificiorum explicemus, I. Quid sint indulgentiae, et quis earum existimetur esse valor. II. A quo indulgentiae legitime concedi possint, quaeque requiratur conditio, ut legitime concedi possint. III. Cuinam possint concedi, quidque in eo desideretur, qui fructum ex indulgentiarum largitione sibi promittere velit. Nihil ad refellendas tantas ineptias efficacius puto, quam doctrinam hancce in suo nexu oculis lectorum, Dei Scripturaeque et veritatis amantium, sub-

(c) Hist. Eccles. N. Test. secul. XVI, Part. III Cap. II, Operis Tom. VII, pag. 329 et seqq.

ſubiicere. Illam enim retuliſſe, est profecto refutaſſe. Quis non de tam portentoſa et monſtroſa doctrina tale continuo iudicium ferat, quale, invita prorſus minerva, et ut firmisſime credo, reluctante conſcientia, de noſtrorum doctrina *Bellarminus* (*d*) tulit: *Omnia tam male inter ſe cohaerent, ut vix prae ſe ferant ſpeciem vel umbram argumenti. Quo magis mirum est, propter tam debiles et ineptas rationes potuisſe tot populos ab antiqua fide deficere.*

§ 3. Omnium primo explicandum est, quidnam ſint indulgentiae, aut quidnam per indulgentias Pontificii intelligi velint: et in hoc argumento praecipue haec Disſertatio verſabitur. De vocabulo *indulgentiae*, bonis etiam ſermonis Latini auctoribus pasſim uſitato, operoſe explicando ſollicitus non ero. Norunt omnes, indulgentiam ſaepe dici nimiam animi remisſionem, et vitioſam erga alios lenitatem ac facilitatem. Tribuitur parentibus in liberos, ut in illis (*e*) Quinctiliani: *Vtinam liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Infamiam ſtatim deliciis ſolvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit.* Tribuitur amicis in amicos, ut in illis (*f*) *Iulii Capitolini*, de Antonino Philoſopho: *Fuit autem ea vitae indulgentia, ut cogeretur nonnumquam vel in venationes pergere, vel in theatrum deſcendere, vel ſpectaculis intereſſe.* Placent nobis, quae ad iſta verba annotavit magnus *Salmaſius: Indulgentiam ergo δυσωπίαν heic interpretamur. Nam δυσωπεῖσθαι est exorari, qui facile exorantur, iidem et ad indulgentiam proni, nec ſui ſed alio-*

(*d*) De indulgent. Lib. I cap. 4.
(*e*) Inſtitut. Orat. L. I c. II, p. m. 13.
(*f*) In Antonino Philoſ. c. 4, Tom. I. Scriptor. Hiſt. August. pag. 303.

aliorum arbitrii ſunt, totique in aliena poteſtate verſantur. Magis ad rem hanc noſtram facere videtur, quod indulgentiae nomine apud ſcriptores nonnumquam veniat remisſio vel debiti cuiuspiam, vel poenae promeritae. Priori ſenſu legitur apud *Ammianum Marcellinum* (*g*): *Denique*, ait ille, *id eum ad usque imperii finem et vitae ſcimus utiliter obſervasſe, ne per indulgentias, quas appellant, tributariae rei concederet reliqua.* Vbi notas *Lindenbrogii* conſuluisſe iuvabit. Poſteriori ſenſu vocem indulgentiae uſurpari videmus a *Iulio Capitolino.* Sic enim de Antonino Pio refert (*h*): *His quos Adrianus damnaverat, in ſenatu indulgentias petiit.* Et de eodem (*i*): *Ad indulgentias pronisſimus fuit.* Ad quem poſteriorem locum *Salmaſius* obſervat, utriusque generis indulgentiarum Titulos in codice Theodoſiano haberi, *de indulgentiis criminum* Tit. XXXVIII Lib. IX, et *de indulgentiis debitorum* Tit. XXVIII Lib. XI. Et hinc quidem uſum vocis iſtius in Eccleſiam derivatum esſe, non citra veri ſpeciem *Bellarminus* (*k*) exiſtimat. Scriptoribus itaque Eccleſiaſticis *indulgentia* remisſio vel venia peccatorum communiter audit. Ita *Tertullianus*, ubi agit de peccatrice et de muliere Samaritana, cum qua Dominus leniter et amice egit (*l*): *Nunc enim dicimus, ſoli Domino hoc licet, hodie poteſtas indulgentiae eius operetur* (*m*). *Ad illa ta-*

(*g*) Lib. XVI pag. 69, edit. Lindenbrog.
(*h*) In Antonino Pio c. 6, Script. Hiſt. Aug. p. 259.
(*i*) Ibid. c. 10 p. 273. 274.
(*k*) De Indulgent. Lib. I c. I.
(*l*) De Pudicit. c. II, pag. 727, edit. Rigalt.
(*m*) Id est, *operetur talis poteſtas et per miracula ſe demonſtret, ſi ſit*, vel, *hodiene est apud nos ſimilis poteſtas?* ut recte interpretatur *Gabriel Albaſpinaeus* (in no-

tamen tempora, quibus in terris egit, hoc definimus, nihil adversum nos praeiudicare, si peccatoribus etiam Iudaeis venia conferebatur. Et aliquam multis interiectis (*n*): *Quis enim dimittit delicta, ni solus Deus? et utique mortalia, quae in ipsum fuerint admissa et in templum eius. Itaque si et ipsos beatos Apostolos tale quid indulsisse constaret, cuius venia a Deo, non ab homine, competeret, non ex disciplina, sed ex potestate fecisse. Nam et mortuos suscitaverunt, quod Deus solus*, etc. *Tertullianus* itaque loquitur de indulgentia vel condonatione peccatorum, quae soli tantum Deo competit. Eo sensu vocem hanc adhibuit vulgatus Scripturae interpres Latinus in Iesa. LXI. 1, *misit me, ut praedicarem captivis indulgentiam.* Quae idem interpres citata Luc. IV. 19, sic reddidit, *praedicare captivis remissionem.* De indulgentia Ecclesiastica, seu relaxatione vel mitigatione poenitentiae publicae, iuxta canones Ecclesiasticos impositae, capienda sunt verba Cleri Romani in (*o*) epistola ad Cyprianum scribentis: *Nam cum omnis praerogativa* (nempe martyrum, quibus id nonnumquam concedebatur, ut lapsos ante exactam poenitentiam praescriptam, intercessione et auctoritate sua, cum Ecclesia reconciliarent) *ita demum ad indulgentiae privilegium spectet, si ab eo, cui sociari quaerit, non discrepet; qui a Deo, cui sociari quaerit, discrepat, necesse est indulgentiam et societatis privilegium amittat.* Quibus verbis indulgentia, quae lapsis, intuitu martyrum

notis coniunctim editis a. 1635 cum *Tertulliano* Rigalt.) pag. 1019.

(*n*) *Tertull.* lib. cit. c. 21, p. 742. fin.

(*o*) Inter Epistolas Cypriani num. XXXVI, edit. Felli, vel XXX, edit. Pamel.

rum pro ipsis intercedentium, tribui solebat, certis suis et iustis limitibus circumscribitur. Quis igitur non videt, vanam esse *Iacobi Pamelii*, quam verbis modo citatis subiungit (*p*), observationem et exclamationem? *Vides hic bis usitatam, Christiane lector, vocem* indulgentiae; *in eadem prorsus significatione, qua nunc utimur* Fateor equidem ex indulgentia veteris Ecclesiae tamdem enatam esse illam labentibus seculis, quae hodie in Ecclesia Romana nomen illud gerit. Ceteroquin solo nomine conveniunt, re ipsa toto coelo a se invicem discrepant veteris Ecclesiae et hodiernae Romanae indulgentiae, quod in Dissertatione sequenti luculentius demonstrabitur.

§ 4. Antequam ad rem ipsam aggrediar, et quidnam sint ex doctrina Pontificiorum indulgentiae, explicem, non abs re fuerit paucis praecognoscere, quibus rationibus inducti Pontificii doctrinam de indulgentiis, quae varias variasque mutationes perpessa est, talem tamdem constituerint, qualem hodie in scholis suis ut plurimum tradunt. Haec enim omnibus, quae deinceps venient dicenda, lucem prorsus eximiam inferent. Qua in re verbis utar *Petri Suavis Polani*, in his rebus exercitatissimi, quique omnia his (*q*) comprehendit: *Cum materia indulgentiarum seculis anterioribus non multum fuisset vexata, neque satis esset a Theologis consideratum, quibus argumentis aut propugnari possent, aut labefactari, earum causae et essentia non erant penitus exploratae. Nam nonnulli existimabant, indulgentias nihil esse aliud, quam absolutionem, Praesulis auctoritate factam, ab ea poenitentia, quam pro*

(*p*) Annot. in Cyprian. a se editum pag. 60.
(*q*) Histor. Concil. Trident. Lib. I pag. 5, 6.

pro modulo diſciplinae, Eccleſia (r) ante aevo habuit, (poſterioribus ſeculis eam poenae irrogationem ſibi ſoli aſſumſit Epiſcopus, dein Sacerdoti poenitentiario delegavit, ac tamdem arbitrio Confesſarii permiſit) ita tamen, ut ſupplicium Divinae iuſtitiae debitum non effugiant. Quod cum aliis in Chriſtianorum detrimentum magis, quam emolumentum cedere videretur, dum facta ipſis poenarum canonicarum gratia, evadunt indiligentes in Deo poena propria propitiando, opinati ſunt, indulgentias esſe ab utraque poena liberationem. Sed hi rurſus in diverſa abierunt: aliis liberationem eam esſe gratuitam ſine ulla ſatisfactione cenſentibus: aliis ea opinione exploſa affirmantibus, dum inter membra Eccleſiae communio viget per charitatem, unius fidelis poenitentiam eousque alteri esſe communicabilem, ut hic compenſationis illius aſpectu liberetur. Verum quia id magis convenire videbatur hominibus vita inculpatis, et ad ſeveriorem diſciplinam excultis, quam Praeſulum auctoritati, tertia ſubiit opinio, quae esſentiam indulgentiarum conſtituit partim in abſolutione, ut ad auctoritatem Praeſulum recurratur, partim vero in compenſatione. Sed cum vita Praeſulum non ſit adeo inculpata, ſcelerumque pura, ut meritis ſuis alios queant iuvare, repertum est Eccleſiae gazophylacium, in quod reponuntur merita eorum omnium, quibus maior est copia, quam quae ſibimet ipſis ſufficiat. Quorum diſpenſatione Romano Pontifici concredita, penes illum est concedere indulgentias, et delinquentis debitum penſare, eiusdem pretii meritis e publico Eccleſiae theſauro deprom-

(*r*) Ita legitur in editione, qua utor, Gorinchemenſi a. 1658, vitio ut videtur operarum, pro *anteriori aevo*.

promptis. Cumque ne hic quidem thesaurus satisfaceret poenitentibus, quod sanctorum meritis finem certum ac limites admittentibus, minui aliquando posset, ac deficere, infinita Christi promerita sanctorum finitis visum est adiungere, quo thesaurus esset perennis. Atque hic alia nata difficultas, quorsum adhibendae essent alienorum meritorum guttulae, exundante et in usum nostrum perenniter fluente immenso meritorum Christi oceano. Quod sane plerisque dedit occasionem omnem indulgentiae suae fiduciam in hoc solo inexhausto Salvatoris mundi promptuario reponendi. Habes brevibus summam totius doctrinae Pontificiorum, nec minus rationes, quas doctrinae suae variisque in illa mutationibus substernunt, quibus ea, quae nunc dicentur, non parum illustrabuntur, uti vicissim etiam ex illis nonnihil lucis accipient.

§ 5. Indulgentias ita definit (s) *Gregorius de Valentia*, esse *relaxationes poenarum temporalium, iudicio Divino peccatis actualibus post remissam culpam debitarum, per applicationem superabundantium Christi et sanctorum satisfactionum, factam extra sacramentum, ab eo qui legitimam auctoritatem habet.* Hunc alii recentiores sequuntur. Nec discrepat ipsius *Bellarmini* (t) definitio, quam alicubi habet: indulgentias esse *remissiones poenarum, quae saepe remanent luendae post remissionem culparum, et reconciliationem in sacramento poenitentiae adeptam: quas remissiones summi Pontifices ex paterna lenitate et condescensione in filios suos, compatientes eorum infirmitati, certis temporibus, et non sine iusta aliqua et rationabili causa, concedere so-*

(s) Tom. IV, Disput. VII, quaest. 20, punct. 1.
(t) De Indulgent. Lib. I cap. I.

ſolent. Alio loco (*u*) hanc indulgentiarum definitionem tradidit: *Indulgentia proprie est abſolutio iudiciaria, annexam habens ſolutionem ex theſauro*. Quam definitionem, uti multa alia, ex *Bellarmino* repetiit, in Theologia ſua Scholaſtica, (*v*) *Mart. Becanus*. Neque id ratione ſua caret, quod, cum quidam indulgentiam definiant ſimpliciter *remisſionem poenae temporalis*, alii addant, actum hunc conſiderandum esſe ut *abſolutionem iudiciariam*, uti ſuo loco videbimus. Plura ex aliis ſcriptoribus Pontificiis conquirere, quia eodem omnia redeunt, ſupervacaneum duco. Sed optime Pontificiorum doctrina cognoſci poterit ex definitione illa, quam *Bellarminus* explicatis plurimis, quae huc pertinent, ſubnectit, quamque ipſe ait esſe *integram* i. e. perfectam *indulgentiarum definitionem*. Ea autem ſic (*x*) habet: *Indulgentia est abſolutio iudicialis a reatu poenae Deo debitae in foro poenitentiario, extra ſacramentum data per applicationem ſatisfactionum, quae theſauro Eccleſiae continentur*. Monet tamen, definitionem hanc, ſi ad indulgentias pro mortuis concedendas extendenda ſit, hunc in modum mutandam esſe: *Indulgentia est remisſio poenae Deo debitae*, etc. Cuius rei ratio mox aperietur. Nos iam definitionem hanc per partes, et ex mente doctorum Eccleſiae Romanae, illuſtrabimus et exponemus.

§ 6. Et *primo* quidem, cum per indulgentiam remittatur poena temporalis, tum in hac vita, tum in purgatorio, Deo debita, merito quaeritur, quanam

(*u*) Lib. cit. cap. 5.
(*v*) Theol. Scholaſt. Part. III Tractat. II cap. 28, Operum Tom. I fol. 737.
(*x*) De Indulgent. Lib. I cap. 8 fin.

nam auctoritate Pontifex remittere posſit poenam, non ſibi, ſed Deo debitam, qua poteſtate ipſe queat remittere de iure alieno, nempe Divino, et cuiusnam generis ſit actus ille remittentis poenam peccati, utrum ſit actus auctoritatis vel iurisdictionis, adeoque *abſolutionis*, an vero ſit actus *ſolutionis* et *compenſationis*. Quae hic occurrant dubia, et quomodo quaeſtio illa tamdem, penſitatis omnibus difficultatibus, a ſcholaſticis definita fuerit, intelligi poteſt ex verbis *Petri Suavis Polani*, ſupra § 4 laudatis. Eſt itaque, ſi doctores Pontificios audias, actus Pontificis indulgentiam concedentis, ex parte actus iurisdictionis adeoque abſolutionis, ex parte vero actus ſolutionis et compenſationis. Quamdiu indulgentia nihil aliud erat, quam condonatio poenae, quam peccator, non Deo, ſed Eccleſiae iuxta canones et diſciplinam praeſcriptam debebat, erat omnino actus iurisdictionis et abſolutorius. Poſtquam enim Imperatores facti esſent Chriſtiani, Epiſcopis paulatim poteſtas concesſa eſt, poenitentiam lapſis per canones Eccleſiaſticos iniunctam, et ratione temporis, et ratione modi, mitigandi aut relaxandi. Illi igitur, ubi cauſa idonea apparebat, lapſos a poena Eccleſiaſtica, alioquin per canones ſtatuta, pro auctoritate ſua abſolvere poterant. Poſtea cum indulgentiae aliud quid ſignificarent, relaxationem nempe poenae, non Eccleſiae, ſed ipſi Deo debitae, adeoque iam quaereretur de remittendo iure non Eccleſiaſtico, ſed Divino, non citra rationem dubitarunt quidam ſcholaſtici, *Thomas*, *Durandus*, *Paludanus*, *Antoninus*, *Hadrianus* VI *Pontifex*, *Sylvester Prierias*, ab ipſo (y) *Bellarmino* citati, utrum Pontifex concedendo indulgentiam vel remisſio-

(y) De Indulgent. Lib. I cap. 5.

ſionem poenae Deo debitae, exerceret actum iurisdictionis, adeoque excogitarunt aliquam ſolutionem vel compenſationem, qua Deo ſatisfieret, de qua mox. Sed vicit eorum ſententia, qui cenſent, intercedere quidem hic etiam ſolutionem, ſed Pontificem tamen agere quoque ut iudicem, qui pro auctoritate, a Deo accepta, ſubditos ſuos a poena temporali, etſi Deo debita, abſolvere posſit. Argumentorum, quibus ſe tuentur hi Theologi, quaedam petita ſunt *ex Sacra Scriptura*, praeſertim ex illa conceſſione a Domino facta Petro, Matth. XVI. 19: *Dabo tibi claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum et in coelis.* Tanti est acumine pollere! Quis ante et praeter ſcholaſticos ex his verbis indulgentias exſculpſisſet? Multum ſane illi oculatiores fuere Petro, qui, cum, quod in his verbis latet, perſpicere non potuisſet, neque hac auctoritate umquam uſus est, etiam ubi occaſio ferebat. Alia argumenta deſumuntur *ex auctoritate Pontificum*, videlicet *Alexandri III*, in epiſt. ad Epiſcopum Cantuar., in qua docet, *neminem posſe concedere indulgentias, niſi propriis ſubditis*, et rationem addit, *quia non potest niſi proprius iudex abſolvere vel ligare*, ex quibus verbis patet, Alexandrum indulgentiam habuisſe pro abſolutione iudiciaria. Cui auctoritati iungunt non abſimilia decreta *Martini V* et *Gregorii VII.* Quos ſane pro papali ſua ſuperbia et dominandi libidine ita pronunciasſe, nemini videbitur mirum. Quis ab his alia exſpectet? Adduntur his argumentis alia, *ipſi rationi evidenti*, ut putant, *innixa.* Namque 1. indulgentiae pro mortuis non conceduntur, niſi per modum ſuffragii, (quod quidnam ſit, poſtea declarabitur) non per abſolutionem, ut vivis, cuius rei haec venditatur cauſa, quod

mor-

mortui proprie non posſint iudicialiter abſolvi. Ex quo diſcrimine colligunt, indulgentiam, quae viventibus ſimpliciter datur, et non per modum ſuffragii, id est, non per ſatisfactionem et compenſationem, esſe abſolutionem iudiciariam. 2. Si indulgentiae concesſio non esſet actus iurisdictionis, ſed merus actus ſatisfactionis et compenſationis, ſequeretur, quod Pontifici certe quam maxime diſplicet, privatum unumquemque pretium ſuae ſatisfactionis posſe tribuere et applicare, cui velit, non exſpectata Pontificis auctoritate et declaratione. Vt igitur illa necesſario interveniret, utque ab illa valorem ſuum omnem mutuarentur indulgentiae, ut denique hae argento a Pontifice, ſolo indulgentiarum diſpenſatore, avide coëmerentur, concesſio indulgentiarum omnino conſiderari debebat ut actus iurisdictionis, et indulgentia definienda erat per abſolutionem iudiciariam. Argumenta haec Pontificiorum collegerunt, ut iam alios taceam, *Bellarminus* (z) et *Becanus* (a), qui et pro virili allaborant, ut eadem ab aliorum exceptionibus vindicent. Etſi autem actus Pontificis indulgentias concedentis concipiatur, ſicuti vidimus, tamquam actus iurisdictionis, vel abſolutio iudiciaria, attamen, ut difficultatibus permultis, quae hic ſeſe offerunt, obviam eatur, idem ille actus ab indulgentiarum architectis conſideratur etiam ut ſolutio et compenſatio, quo Pontifex veluti pretio Deo perſoluto redimit, quod hominibus perquam liberaliter largitur et applicat, atque ſic Deo aliquo modo ſatisfacit. Quae cauſa est, ut *Bellarminus* et *Becanus* indulgentias definiant per *abſolutionem iudiciariam, quae an-*

(z) Lib. 1 de Indulgent. cap. 5 et 6.
(a) Opp. Tom. 1, fol. 737, 738.

annexam habeat solutionem ex thesauro. Fingunt enim Pontificii, esse in Ecclesia infinitum et numquam exhauriendum satisfactionum superfluarum Christi et sanctorum thesaurum, dispensationi Pontificis concreditum, qui ex thesauro illo, pro auctoritate sibi concessa, satisfactiones depromit, et hominibus, quibus vult, quique aut propriis suis aut aliorum operibus poenitentialibus Deo satisfacere necesse habent, applicat, illosque a propriis suis poenis satisfactoriis absolvit et dispensat, dum ipsis aliorum satisfactiones appropriat. Hanc solutionem et compensationem in indulgentiis absolutioni Pontificis adtexere et adfingere aequum omnino putarunt (*b*) 1. auctoritate Clementis VI, qui in Extravaganti Vnigenitus id aperte docuit. 2. Quia Pontificii non possunt non agnoscere, Pontificem hic non agere, ut absolutum Ecclesiae Dominum, sed tantum ut dispensatorem, et a Deo, uti loquuntur, constitutum iudicem. Iudici autem non pro arbitrio agere licet. Attendendum ipsi est ad regulas iuris et iustitiae. Remittere poenam proinde quidem potest Deo debitam, sed interveniente aliqua compensatione, ut iustitiae Dei satisfiat. 3. Idem fieri aiunt in sacramento poenitentiae, quippe in quo sacerdos poenitentes absolvat ab omni reatu culpae, vel a poena aeterna, et ab aliquo reatu poenae, seu parte poenae temporariae, sed nonnisi interveniente compensatione et satisfactione, pretio nempe sanguinis Dominici, quod poenitentibus applicatur. Hinc colligunt, eodem modo rem se habere in absolutione extra sacramentum per indulgentiam. Denique 4. id exinde satis clare intelligi dictitant, quia Pontifex lar-

(*b*) Rationes has invenies apud *Bellarminum* et *Becanum* locis citatis.

largitur etiam indulgentias pro defunctis, ut purgatorii tormentis tanto liberentur citius, in quos tamen iurisdictionem Pontifex non habet. Illis igitur poenas absolute remittere non potest, sed tantum per modum suffragii aut solutionis, sanctorum et Christi superfluas satisfactiones illis applicat, quae cum per applicationem ipsorum propriae evadant, ipsi pro se solvere atque satisfacere, quod solutum et satisfactum iam est, amplius non tenentur. Vnde patet, indulgentiam tribui vel *per modum absolutionis*, vel *per modum solutionis*, aut quod idem ipsis est, per *modum suffragii*. *Tunc*, inquit *Gervasius* (*c*), *indulgentia — est absolutio, quando est sententia iudicis exercentis potestatem in subditum. Tunc autem est tantum solutio, quando non est sententia cadens in ipsum hominem, sed solum exhibitio pretii ex thesauro communi, ut, per illius acceptationem, a Deo fiat poenae remissio pro debito alicuius: sicut captivum apud Turcas detentum Rex Galliae non per viam auctoritatis, sicut in proprio regno, sed tantum per viam solutionis ac redemtionis liberare potest, ut communiter Theologi explicant.* Vtroque modo Pontificem largiri indulgentias, docent, qui illi addicti sunt, hac tamen adhibita cautione, solutionem ab ipso fieri quidem posse sine absolutione, quemadmodum res sese habeat in indulgentiis pro mortuis, sed absolutionem numquam fieri posse sine solutione, adeoque Pontificem posse concedere indulgentiam per solam solutionem, non vicissim per solam absolutionem. Inde est, quod plerique indulgentias definiant *relaxationes*, vel *remissiones poenae*, nulla absolutionis iudiciariae facta mentione.

§ 7.

(*c*) *P. F. Gervasius* Curs. Theolog. Tom. VI, pag. 304.

§ 7. Ex dictis facile colligitur, indulgentias nihil aliud esse, quam applicationem satisfactionum et meritorum superfluorum Christi et sanctorum, quae in aliquo Ecclesiae thesauro asservantur, et de quibus Pontifex, cui thesauri huius potestas et dispensatio concredita sit, in usum fidelium pro arbitrio suo disponere queat. Nempe quia indulgentiae non tantum per absolutionem, verum etiam et praecipue quidem per solutionem et compensationem tribui concipiuntur, pretium aliquod solutionis excogitandum erat, quod Pontifici praesto esset, quodque ipse, quoties hominibus aliquae peccatorum poenae Deo debitae erant remittendae, ne iuri et iustitiae Divinae aliquid periret, Deo pendere, et sic ablatum illico compensare posset. Ita ut quisque alios ex ingenio suo aestimare solet, isti indulgentiarum nundinatores Deum quoque sibi finxerunt mercatorem, qui de suo sibi aliquid auferri patienter fert, dummodo valor illius promte et sine mora restituatur. Si quosdam (*d*) audimus, thesaurus ille Ecclesiasticus, Pontifici Romano in commodum Catholicorum concreditus, satisfactiones continet quintuplicis generis, quae cum in se sint superfluae, in aliorum quorumcumque usum converti possint, 1. Merita superflua passionis Christi. 2. Satisfactiones superfluas B. Mariae Virginis. 3. Satisfactiones superfluas sanctorum defunctorum, martyrum et confessorum. 4. Merita, quae sancti ex operibus severae poenitentiae sibi acquisiverunt. 5. Merita, quae sancti ex aliis bonis operibus coram Deo consecuti sunt. Sed haec distinctio cum doctrina hodiernorum Romanensium, qui sibi aliis videntur exactio-

(*d*) *Iacobus de Graff.* Append. Lib. II c. 1, § 37, et apud *Hottingerum* Hist. Eccles. Tom. VII, pag. 194.

actiores, non convenit. Illi enim suis inculcare solent, sanctos aliis quidem bonis operibus sibi tantum, sed passionibus, quibus inest aliqua satisfactio, et his tantum, aliis etiam mereri posse. Constabit igitur thesaurus indulgentiarum duplicis generis mercibus, meritis nempe operum et passionum superfluis Christi, et passionibus ac operibus austerae poenitentiae supererogatoriis sanctorum, qui vel olim Ecclesiam ornarunt, vel etiamnum ornant. Hisce Christi et sanctorum passionibus et satisfactionibus, indulgente Pontifice, compensari poenas Deo debitas, quae fidelibus remittuntur, hodie uno ore docent omnes Pontificii, quamvis olim inter Scholasticos quidam ex hoc thesauro passiones Christi superfluas, quippe quas non agnoscebant, alii passiones sanctorum supererogatorias excluserint. Quorum argumenta si coniungas, apparebit, thesaurum illum non pretio, sed carbonibus et aranearum telis oppletum esse. Sed videamus tamen, quibus argumentis et machinationibus Pontificii hasce thesauri sui merces sibi confingant et construant. Et *primo* quidem dari merita superflua operationum et passionum Christi, sic colligi posse, sibi imaginantur: dicunt 1. (*e*) esse infinitatem meritorum Christi et satisfactionum, propter unionem ad Verbum Deum, eaque omnia non in Christi ipsius, sed solum hominum utilitatem et salutem cessisse. Hoc fundamentum posuit Clemens VI in Extravagant. *Vnigenitus*. 2. (*f*) Christum proinde innumera opera edidisse, quorum unumquodque infiniti sit valoris et meriti infi-

(*e*) *Gervas*. Curs. Theologic. Tom. VI de Indulgent. pag. 299.

(*f*) *Gervas*. l. c. *Boyvin*. in Theologia Scoti de Sacramentis Tom. III pag. 321.

finiti. 3. (*g*) Adhaec, passiones Christi, personae infinitae, infinitas necessario dicendas tanti fuisse pretii dictitant, ut vel unica guttula sanguinis, vel, ut quidam etiam addunt, sudoris Christi, mille mundis redimendis sufficere potuisset. 4. Christum pro omnibus hominibus mortuum fuisse, neque tamen omnibus pretium mortis Christi applicari. 5. (*h*) itaque pretium satisfactionum Christi, quippe infinitum, exhauriri numquam posse, et praeterea, cum multo plures pereant, quam salventur, superesse semper multum illius pretii, quod applicari potuerit, et tamen applicatum non sit. 6. (*i*) has passiones et satisfactiones Christi superfluas, ne otiosae et plane inutiles essent, concludi thesauro Ecclesiastico, et a Pontifice in commodum et usum fidelium dispensari. Ita illi, veris rationibus sanguinis et mortis Christi superhabitis, mercatorum instar guttulas sanguinis et sudoris eius numerant, et ponderant, quid praecise ad redemtionem hominum salvatorum necessarium, quid sanguinis potuerit esse superfluum, quod sibi divendere licitum sit, et supputant, parte illius pro hominibus salvandis satisfactum esse, quae iam non est in thesauro Ecclesiae, sed Dei, partem superesse pro arbitrio Pontificis dispensandam, quae in thesauro reconditur. Et has quidem Christi satisfactiones superfluas (*k*) praecipuam et pretiosissimam thesauri sui indulgentiarum mercem es-

(*g*) *Bellarmin.* de Indulgent. Lib. I cap. II, *Becan.* Opp. Tom. I pag. 735. b. Adde *Hottingeri* Eccles. Hist. Tom. VII pag. 194, 195.

(*h*) Vide auctores citatos, praecipue *Bellarmin.* et *Becan.*

(*i*) Vide auctores citatos.

(*k*) *Boyvin.* Lib. cit. p. 322, *Gervas.* Tomo cit. de Suffragiis p. 297.

esse, liberaliter concedunt, largiuntur etiam has solas Pontifici sufficere. Nihilo tamen minus *secundo* satisfactiones sanctorum supererogatorias ad satisfactiones Christi accedere, suos credere iubent (*l*). Id vero intelligunt de bonis sanctorum operibus, non qua sunt meritoria, sed qua sunt satisfactoria. Vni enim eidemque operi dicunt posse inesse intrinsecum aliquem dignitatis et bonitatis valorem, qui aliquid mereatur a Deo, aut mercede dignus sit, quatenus procedit ex charitate, et pretium aliquod satisfactionis, quod Deo pro peccatis ad ipsum propitiandum penditur, in quantum est laboriosum et poenale. Meritum bonorum operum fatentur nonnisi ipsis sanctis, qui operati sunt, imputari; sed satisfactionem, quae inest operi alicui sanctorum, si sit superflua, posse etiam in alius rationibus censeri et ipsi imputari, nugantur. Vnde perspicere possumus, ipsos loqui de passionibus sanctorum aut talibus eorum operibus, quae aliquem poenitentiae aut mali tristis respectum habent. Ita autem eorum ratiocinationes procedunt. Dicunt 1. (*m*) multos esse sanctos, qui longe plura propter Deum et iustitiam perpessi sint, quam exigeret reatus poenae temporalis, cui fuerunt obnoxii, propter culpas ab ipsis commissas. Tam crassos hi homines sibi formare conceptus assueti sunt! 2. (*n*) id ipsum singularibus quibusdam exemplis, omni, ut putant, exceptione maioribus, confirmare nituntur, nempe exemplo B. Virginis Mariae, quae ab omni saltem peccato actuali, si non pariter ab originali, libera fuerit, et Iohannis Baptistae, quem iam in utero Spi-

(*l*) *Bellarm.* de Indulg. Lib. 1 c. 11 p. m. 2007—2010 edit. in 8vo. *Becan*, Op. Tom. 1 p. 735.

(*m*) *Bellarm.* l. c. p. 2012.

(*n*) *Bellarm.* l. c. *Becan.* p. 736.

Spiritus Sanctus impleverit, Prophetarum porro et Apostolorum, qui omnes cum sanctissimi fuerint, multo tamen plura, quam reliquorum hominum plerique, indurucrint, adeoque certe et plura et maiora perpessi fuerint, quam pro peccatis suis Deo pendere debuerint. 3. (*o*) esse autem in Ecclesia communionem bonorum, iuxta Rom. XII. 4, et 1 Cor. XII. 12, qua fiat, ut communicentur mutuo membris Ecclesiae, quae prodesse ipsis possunt, praesertim cum satisfactiones multae ratione eorum, qui eas praestiterunt, sint superfluae. Quod si autem quaeras, cur satisfactiones sanctorum accedant, cum satisfactiones Christi per se infinitae sint et inexhaustae, respondent (*p*) quidam, proprie propter solius Christi satisfactiones remitti poenam etiam temporalem, sanctorum autem passiones Deo offerri, ut Deus illarum intuitu fidelibus applicet merita Christi, et poenam temporalem remitti sinat. Cum autem (*q*) a Pontificibus Pio V et Gregorio XIII sententia haec Lovaniensium disertis verbis condemnata fuerit, Romanenses iam ita docent (*r*), satisfactiones sanctorum non esse necessarias, quia Christi satisfactiones sunt infinitae et inexhaustae, posse tamen adiungi satisfactionibus Christi, ne videantur inanes coram Deo. Vt vero multis, quae hic obtendi possunt, exceptionibus obviam eant, solent nonnulli inter eos respondere (*s*), passiones Christi,

(*o*) *Becan.* l. c. p. 736. b., *Bellarm.* l. c. p. 2016.

(*p*) Lovanienses Theologi apud *Bellarm.* Lib. 1 c. 4 p. 2029, et *Becan.* p. 736. b.

(*q*) *Bellarmin.* et *Becan.* locis cit.

(*r*) *Bellarm.* et *Becanus* locis cit., *Boyvin.* in Theol. Scoti de Sacrament. p. 322.

(*s*) *Dominicus à Soto* in IV Sentent. Distinct. 21. quaest. 1 art. 2, *Bellarmin.* l. c. p. 2028, *Becan.* p. 736. a.

ſti, licet ſint infinitae, finito tamen modo, i. e. finitam earum et limitatam partem fidelibus applicari, hisque nonnullas ſanctorum ſatisfactiones adiungi. Niſi haec ſint ſomnia, ne quid gravius dicam, quid umquam ſomnium dici merebitur? Haec de pretio, quo Pontifex redimit a Deo et compenſat indulgentiam, quam fidelibus tribuit.

§ 8. Dicitur porro indulgentia, ut ſupra *Bellarminum* definiiſſe audivimus, *abſolutio data extra ſacramentum*, ut diſtinguatur ab alia abſolutione, quam ſacerdos dat in ſacramento, ita enim vocant, poenitentiae, et ab illa peccatorum remisſione, quae in Sacramento Baptismi et poenitentiae obtinetur. Quod non melius quam ipſius *Bellarmini* verbis (*t*) explicari poteſt: *Chriſti pasſio*, inquit ille, *qua parte diſpenſatur pro iuſtificatione et reconciliatione peccatorum, non poteſt ab Eccleſiae Praelatis diſpenſari, niſi per ſacramenta. Gratiam enim et gloriam, (ut omnes Theologi fatentur) non poteſt donare extra ſacramenta, niſi Deus poteſtate propria, et Chriſtus per poteſtatem ſibi communicatam a Deo, quam vocant excellentiae. Qua parte autem eadem Chriſti pasſio diſpenſatur pro remisſione poenae temporalis, poteſt et per ſacramenta et extra ſacramenta diſpenſari. Nam in Sacramento Baptismi virtute pasſionis Chriſti remittitur omnis poena, ſive temporalis, ſive aeterna: in ſacramento vero poenitentiae remittitur ſemper poena ſempiterna et pars aliqua poenae temporalis. Pasſiones* igitur *ſanctorum* (quae diſpenſantur in indulgentiis) *per ſacramenta diſpenſari non queunt. Numquam enim in ſacramentis remittitur* (*u*) *ſine remisſione cul-*

(*t*) De Indulgent. Lib. 1 c. 5 fin.
(*u*) Videtur omisſum eſſe vocabulum *poena*.

culpae: culpae autem passionibus sanctorum expiari non possunt, ut illud omittam, quod sacramenta instrumenta sunt passionis solius Christi, nec ullam vim habent a passionibus sanctorum, cum ipsi etiam sancti per Christi Sacramenta sanctificati fuerint. Ex hisce igitur patet, indulgentiam ex doctrina Pontificiorum longe minoris esse pretii illa remissione, quae per Sacramenta obtinetur. Sacramenta, quae, ex sententia Romanensium, gratiam semper secum vehunt et infundunt, plus praestant indulgentiis. Hae removent, si ipsos audimus, poenam temporalem aut aliquam ipsius partem, illa poenam aeternam et temporalem simul tollunt, ut in Baptismo fit, aut si non poenam temporalem omnem auferunt, quod locum habere in sacramento poenitentiae volunt, ab omni tamen aeterna certissime liberant. Sacramenta, sic etiam ratiocinantur Pontificii, id ipsum quoque certius perficiunt et praestant. Vnde Gervasius (v): *Ex variis historiis habetur, quasdam animas nec indulgentiis liberari, imo nec missarum sacrificiis, quae tamen adhuc certius, quam indulgentiae ac suffragia, habent effectum, ex infallibili lege iustitiae.* Ita se ubique prodit Romanensium in hac doctrina incertitudo. Et nisi haec obstaret, dubium vix cuiquam esse potest, quin ex indulgentiis nobis octavum exsculpturi fuissent sacramentum.

§ 9. Ex his, quae de sacramentali et extrasacramentali absolutione adduximus, iam per se definiri potest illa quaestio, quaenam poena per indulgentias relaxetur et remittatur. Quia tamen isthaec quaestio in Pontificiorum de indulgentia disputationibus paginam omnem implet, eam etiam, sed pro ra-

(v) Curs. Theol. Tom. VI de Suffragiis p. 296.

ratione instituti, breviter expediemus. Non raro Theologi nostri sic adversus indulgentias disputant, tamquam docerent Romanenses, Pontificem remittere peccata, quod tamen secus se habet. Videntur nostri nonnumquam oblivisci commentitiae illius Pontificiorum distinctionis in *reatum culpae*, et in *reatum poenae*, nempe temporalis. Priorem a solo Deo virtute meriti Christi auferri dicunt, posteriorem etiam a Pontifice tolli posse concedunt. Recte *Chemnitius* (*x*) observavit: *Omnes* Scholastici *retinuerunt Augustini sententiam: Nemo tollit peccatum, nisi Christus, qui est agnus Dei tollens peccata mundi.* Itaque cum etiam ipse *Calvinus*, Theologus non minus acutus, quam eruditus, ex hoc fundamento, aut disputasset, aut disputare visus esset, haec *Bellarminus* (*y*) regessit: *Nullus Catholicorum scripsit, Christi sanguinem non sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi defectus eius aliunde suppleatur. Debuisset sane vel unum aliquem allegare, qui ita sentiret. Neque solum nemo Catholicorum id scripsit, sed neque scribere potuit.* Equidem *Calvinum* iniuste *Bellarminus* reprehendit. Quando enim is scripsit (*z*) *negari* apud Pontificios, *Christi sanguinem sufficere ad remissionem peccatorum, ad reconciliationem, ad satisfactionem*, non tam ad communes eorum loquendi formulas respexit, quam ad id potius, quod ex doctrina et praxi eorum sequitur, et citra violentiam colligitur. Quidquid sit, haec est constans Scholasticorum et recentiorum Romanensium doctrina, solo et unico Christi merito effici,

(*x*) In Exam. Concil. Trident. Part. IV de Indulgent. fol. 735. b.

(*y*) De Indulg. Lib. II. c. 3.

(*z*) Institut. Relig. Christ. Lib. III c. 5 §. 3. p. m 251.

ſici, ut poena aeterna a peccatore auferatur, et nulla condemnatio in ipſo ſuperſit, et hoc Chriſti meritum per Sacramenta ex opere operato ſemper fideli applicari. Itaque non ſuperest, niſi poena temporalis, aut in hac vita per opera poenitentialia, ſive a ſacerdote iniuncta, ſive ſponte ſuſcepta, aut in purgatorio pendenda, quae cum a Deo in iuſtificatione non remittatur, relaxetur per indulgentias. Equidem non deſunt inter Pontificios, qui de indulgentiis aliter pronuncient. *Iacobus Pamelius*, vir non indoctus, per indulgentias veteris Eccleſiae et Pontificum hodie ſcribit (*a*) non modo poenam temporalem, ſed et culpam vel poenam inferni tolli: *Hinc videre est*, ait, *quales porrigi ſoleant Martyribus preces pro lapſis, deinde pacem, quae ab eis dari ſolet* (id est, indulgentiam) *non fuiſſe duntaxat poenae, per poenitentiales Canones impoſitae, relaxationem, ſed et veram peccatorum remisſionem, atque adeo a culpa et poena, ut loquimur, abſolutionem habes. Praeterea in hac epiſtola bis repetitam indulgentiae vocem, ut nemini posthaec dubitare liceat, libellos illos Martyrum non aliud fuiſſe, quam indulgentias quasdam*, etc. Et praxis ipſa Eccleſiae Romanae hanc doctrinam confirmare videtur. Certe Pontificum quaedam (*b*) Diplomata huiusmodi verbis concepta leguntur, ut talem de indulgentiarum valore perſuaſionem apud ſimplicem et ignarum popellum excitare apta ſint. Hinc *Chemnitius* (*c*): *Saepius etiam dant indulgentias a culpa et a poena.* Idem vir eruditus Hildeſiae in templo tabulam viderat a pariete ſuſpenſam cum hac inſcri-

(*a*) Adnotat. in Cypriani Epiſt. XXI, pag. 46.
(*b*) Lege de Bulla Clementis VI *Chemnit.* Exam. Concil. Trid. Part. IV, p. 736. a.
(*c*) Exam. Concil. Trid. fol. 707. b.

ſcriptione (*d*): *Si quis hanc orationem devote dixerit quotidie, habebit octo millia annorum indulgentias a poena et culpa.* Et inter Scholaſticos (*e*) fuere, qui, ut Pontifici adblandirentur, id publice docere, et rationibus adſtruere veriti non ſunt. Quorum tamen ſententias ubi adfert Antoninus, qui in ſanctorum numerum a Pontificibus referri meruit, hanc epicriſin (*f*) ſubiungit: *Quamvis plenariae indulgentiae vulgariter nuncupentur a culpa et poena, locutio tamen talis proprie non est vera, quia culpae ſolus remisſor est Deus.* Et ſic poſtea *Henr. Graff.* (*g*): *Sciendum est, quod varii ſunt modi indulgentias concedendi, quorum primus est: concedimus indulgentiam de culpa et poena, quod proprie non est verum.* Quamvis igitur (*h*) *Angelus de Clavaſio*, in ſumma, ſeptem diverſas Scholaſticorum ſententias de poena, quae per indulgentias remittatur, enumeret, illae tamen eo redeunt, relaxari non culpam, ſed poenam, poenam temporalem. Quae est etiam communis et recepta hodiernae Eccleſiae Romanae ſententia, quamobrem id ipſum in definitionibus plerisque expresſum videas. Vt autem Pontificiorum mens perſpicua magis evadat, memoria tenendum est, ipſos poenam omnem peccati trifariam dividere, in poenam aeternam, naturalem, poenitentialem temporariam. *Poenam aeternam*, quam etiam vocant *reatum culpae*, intelligunt aeternam et corporis et animae mortem, ſive condemna-

(*d*) Vid. eius Exam. Conc. Trid. p. 738. b. fin.

(*e*) *Petrus Paludanus* et *Franciscus Maironis* apud *Chemnit.* l. c fol. 735. b.

(*f*) Apud eumdem *Chemnit.* l. c.

(*g*) Deciſ. aur. Lib. IV cap. 15. G. 53.

(*h*) Apud *Hotting.* Hiſt. Eccleſ. Tom. VII pag. 332, etc.

nationem. In illam neque homini ulli, neque adeo Pontifici, ius quodquam concedunt. Illam penitus tolli dicunt in iustificatione, et posthaec in poenitente semper ex aeterna evadere temporalem, propter efficaciam meriti Christi, quod ipsi per sacramentum poenitentiae applicetur. Quare etsi quaedam Diplomata dicant, hominem absolvi per indulgentiam Pontificum a culpa, id tamen *non vere dici*, alios (*i*) iam audivimus pronunciantes. *Poenam naturalem* (*k*) nuncupant mala omnia tristia huius vitae, quae Deus per Providentiam suam immittit, quaeque sunt sequela peccati originalis, ut morbi, mors, et similia. Ab hac poena neminem liberari per indulgentias, quod experientia satis unumquemque docet, perquam liberaliter nobis largiuntur. *Bellarminus* etiam (*l*) hanc subministrat rationem: *Constat, definitum esse a Deo, ut poenae illae naturales non tollantur, nisi cum natura ipsa mutabitur.* Superest *poena poenitentialis temporaria*, quam alias etiam appellant *reatum culpae*, et (*m*) *poenam personalem*, quia est poena inflicta non humano generi propter peccatum originale, sed personis propter peccata, quae commiserunt, actualia. Eaque poena vel immediate infligitur a Deo, sicuti pestis propter peccatum Davidis Israëlitis, et mors Aaroni et Mosi, antequam in Palaestinam ingrederentur, Ps. XCIX. 6, vel mediate per homines. Ab hac pariter poena, quae penditur in foro externo, neminem per indulgentias posse liberari fateri coguntur. Sic enim *Bellarminus* (*n*): *Docuimus eas*

(*i*) Quibus adde *Bellarmin*, id explicantem de Indulg. Lib. I c. 7.

(*k*) Vide *Bellarmin.* l. c.

(*l*) Loc. cit. pag. 2039.

(*m*) *Bellarmin.* l. c. p. 2038.

(*n*) De Indulg. Lib. II c. I. adde Lib. I c. 7.

eas poenas non remitti, *quas debemus in foro externo. Porro poenae*, *quarum fit mentio* Ps. LXXXVIII, (iuxta textum Hebr. LXXXIX. 33.) 1 Cor. XI. 32, Hebr. XII. 6, 7, *ad forum externum pertinent*, *infliguntur enim a Deo tamquam iudice in externo et criminali foro. Nam si non potest indulgentia tollere poenam*, *qua Praetor aliquem mulctavit ob furtum*, *vel homicidium*, *quanto minus tollere poterit eam*, *quam Deus ipse alicui decrevit?* quamvis videam, alium ex Pontificiorum doctoribus (*o*) velut dubitanter ea de re pronunciare: *Illa poena temporalis*, *qua Deus decrevit hominum scelera in hoc mundo plectere per pestem*, *famem*, *bellum*, *iniurias*, etc., *non remittitur per indulgentias*, *saltem infallibiliter.* Quae cautio forte additur ad plebem aliquo inanis spei fumo pascendam, ut cum ipsi contrarium sciant et argumentis etiam evincant, sua tamen simulata haesitatione et cunctatione aliquid spei reliquum ignaris faciant. Etsi igitur communiter Pontificii (*p*) doceant, *poena illa temporali*, *in foro externo inflicta hominibus*, *satisfieri Deo*, *si patienter et cum gratitudinis sensu perferatur*, illam tamen per indulgentias remitti non posse, agnoscunt. Est itaque poena poenitentialis temporaria, quae a Deo infligitur in foro interno, nempe poenitentiario, quaeque a sacerdote post confessionem iniungitur poenitenti, aut iniungenda saltem fuerat, illa demum poena, a qua Catholici per indulgentias liberantur. Nempe per sacramentum poenitentiae in Christianis iustificatis, iuxta Romanenses, reatus culpae ita tollitur, ut mutetur in reatum poenae temporalis in hac vita per opera poe-

(*o*) *Gervas.* Curs. Theol. Tom. VI de Indulg. p. 301.
(*p*) *Bellarm.* de Indulg. Lib. II c. I p. 2091.

poenitentialia, aut posthaec in purgatorio luendae. Illam sacerdos post confessionem poenitenti talem iniungit, aut saltem iniungere deberet, ut aliqua inter crimina et satisfactiones sit proportio. Quod cum aegre fieri possit, semper praeter illam satisfactionem, quam sacerdos iniungit, aliquid remanet, ut satisfactio coram Deo plena evadat, etiamsi alioquin opera a sacerdote iniuncta exactissime peracta fuissent. Illa igitur poena, quam sacerdos in foro poenitentiario aut re ipsa imposuit, aut secundum rationes iustitiae imponere debuisset, per indulgentias relaxari et remitti censetur propter satisfactiones Christi et sanctorum superfluas. poenitenti liberaliter applicatas et appropriatas. Quod exprimunt illi, qui indulgentias definiunt *per relaxationes poenarum temporalium debitarum in foro poenitentiario*, idque fit (*p*) non tantum in foro Ecclesiastico, sed et in foro Divino. Audiamus *Bellarminum*, paucis sic (*q*) omnia complectentem: *Quam igitur, inquies, poenam tollit indulgentia? Illam quae in foro poenitentiario infligitur, quae voluntarie adimpletur, ad quam implendam non cogimur, nisi timore Dei et stimulo conscientiae. Haec enim est, per quam Deo satisfacimus, et cui succedit, nisi in praesenti Deo satisfiat, purgatorii poena;* et *Chemnitium* haec paulo uberius (*r*) explicantem: *Per poenitentiam vel meritum contritionis poenam aeternam dicunt commutari in poenam temporalem, a nobis ipsis vel patiendo exsolvendam, vel sufficienti pretio per satisfactiones compensandam et expiandam. Quia vero temporalis illa magna et supra vires nostras sit, ut*

quae

(*p*) *Bellarm.* de Indulg. Lib. I c. 7. p. 2039.
(*q*) De Indulg. Lib. II. c. I. p. 2091.
(*r*) In Exam. Concil. Trident. Part. IV. de Indulg. p. 735. b.

quae complectatur non tantum tempus et poenas huius vitae, verum etiam gravissimas purgatorii poenas, ideo partem temporalis eius poenae absolutione remitti dicunt, pro residua vero parte imponi satisfactiones, quae, quia in purgatorio luendae sint, si in hac vita non plene et perfecte resolvantur, ideo per indulgentias satisfactiones redimendas suaserunt. Vtque nundinationes illas vendibiliores facerent, addiderunt insuper et hoc commentum: satisfactiones quae poenitentibus arbitrio sacerdotis imponuntur, non esse sufficientes, sed graviores eas, quae Canonibus poenitentialibus olim perscriptae fuerunt, et ne illas quidem sufficientes esse, sed Divinam iustitiam pro mensura delicti etiam purgatorii poenas imponere. Ideo omnibus et illis etiam, qui iniunctas poenitentibus expleverunt, vel explere possunt, opus esse indulgentiis, nisi velint in purgatorio torqueri. Atque ideo Scotus dicit, peccatorem post absolutionem remitti vel ad indulgentias vel ad purgatorium. Hisce aliquid superaddere supervacaneum omnino foret.

§ 10. Cognita poena, quae per indulgentias remitti putatur, iam sic satis intelligitur, quidnam indulgentiae ex Romanensium sententia valeant. Attamen et haec quaestio de indulgentiarum valore breviter nunc delibabitur. Quaeritur, *an valeant*, vel prosint *vivis*. Quod olim a multis negatum, hodie pertinaciter asserunt omnes Pontificii, quippe tot Pontificum decretis et ad ultimum decreto Concilii Tridentini vindicatum et confirmatum. Quaeritur, *an valeant*, vel prosint *mortuis*, ut per indulgentias quoque eorum in purgatorio tormenta in brevius tempus contrahantur, aut etiam plane finiantur. De hoc multi non modo olim (*s*) dubitarunt, sed etiam

(*s*) *Gervas.* Tomo cit. p. 308.

etiam hodienum dubitant, eo quod potestas clavium, ex qua indulgentiarum concedendarum facultas etiam exsculpitur, sit tantum super terram, Matth. XVI. 19. Quamvis autem *Bellarminus* (*t*) persuadere nobis velit, *rem esse certissimam, et apud Catholicos indubitatam, indulgentiis iuvari posse animas, quae in purgatorio poenas luunt*, multi tamen non incelebris inter Pontificios nominis (*u*), *Caietanus*, *Corduba*, *Bonacus* et alii negant, indulgentias certo et infallibiliter prodesse mortuis, ut itaque, ex horum sententia, res incerta sit et valde dubia. Si quaeras, *quid valeant* et prosint vivis, respondent plerique, id pendere (*v*) ex verbis Diplomatum, *quia indulgentiae valent, quantum sonant* (*x*). Quando itaque in forma Indulgentiae palam exprimitur, concedi *remissionem poenitentiae iniunctae*, non intelligitur remissio nisi eius poenitentiae, quam sacerdos in confessione iniunxit. Quando vero non fit mentio iniunctarum poenitentiarum, sed absolute conceduntur indulgentiae, intelligendum est, condonari omnes poenitentias, sive iniunctae sint, sive iniungi potuerint. Est itaque *indulgentia plenaria*, per quam omnis poena peccatorum temporalis Deo debita remittitur, quae in Bullis Pontificum distinguitur rursum in *plenam*, *pleniorem*, *plenissimam*, de qua distinctione multa hariolantur Pontificii. Sed ingenue hic *Becanus* (*y*) fatetur: *Quid sit indulgentia plena, plenior, plenissima, non satis constat.* Neque operae pretium est, in has quisquilias

(*t*) De Indulg. L. 1 c. 14 p. 2074.
(*u*) Vide *Gervas.* Tom. cit. de Suffragiis p. 295. et de Indulgent. p. 309.
(*v*) *Becanus* Opp. Tom. 1 p. 738. b.
(*x*) Idem ibid.
(*y*) Opp. Tom. 1 p. p. 639. a.

lias accuratius inquirere. Est praeterea *indulgentia partialis*, per quam poenae tantum aliqua pars remittitur v. g. iniuncta a facerdote, aut etiam pars totius in univerfum poenae, five iniuncta fit, five iniungenda fuerit, eaque rurfus vel *indeterminata*, quando v. g. tertia aut quarta poenae peccatorum pars remittitur, haec indulgentia est indeterminata, quia nemo fcit, quot anni fibi in purgatorio fint indurandi, quotque adeo anni a purgatorii tormenti poena per tertiam aut quartam partem fibi fint relaxati, vel *determinata*, quando anni expresfi funt v. g. indulgentiae quadraginta dierum, vel feptem, aut centum, aut mille, aut etiam plurium annorum, quod fane fine cachinno legi vix potest. Quinimo, ut fatetur *Gervafius* (z) quaedam indulgentiae ftationum urbis Romae ultra 150000 annorum extenduntur, de quibus praeterea, ne plures alios adducam, confuli posfunt (a) *Chemnitius* et (b) *Hottingerus*, ubi merito quaeritur, quidnam per tales indulgentias intelligatur, et quidnam illae prodesfe queant. Refpondebit *Boyvinius*, qui Romanenfium doctrinam fatis nervofe his (c) expresfit: *Quando dantur indulgentiae v. g. centum annorum, per hoc intelligi non debet, quod relaxentur centum anni de poenis folvendis in purgatorio; fed intelligitur, quod tot et tantae poenae purgatorii remittantur, quot et quantae deletae fuisfent per poenitentiam* 100 *annorum iniunctam per antiquos Canones. Olim enim pro gravibus peccatis, v. g. pro adulterio et fimilibus*,

(z) Curf. Theol. Tom. VI p. 302.
(a) Exam. Concil. Trident. p. IV p. 739 fqq.
(b) Hift. Ecclef. Tom. VII pag. 235 fqq.
(c) Theol. Scoti de Sacramentis Tom. III p. 324 et fqq.

bus, iniungebantur poenitentiae ſeptem annorum, et pro gravioribus longiores; unde illi, qui multa millia peccatorum patraverant, multis annorum millibus poenitentiam debuisſent agere, ſi potuisſent; iſtae autem poenitentiae minuebant poenas, quae debebantur peccatis in purgatorio; unde indulgentiae mille annorum v. g. tot relaxabant poenas purgatorii, quot relaxasſent mille anni poenitentiae antiquae. Alia huc ſpectantia lubens omitto, quia non tam nobis ad perſpiciendam Romanenſium de indulgentiis *ματαιολογίαν*, quam ipſis Romanenſibus merces hasce aut vendituris, aut emturis, ſcitu utilia ſunt. Pauca tantum de iis, quibus fas est indulgentias concedere, et de iis, quibus fas est indulgentias accipere, addam.

§ 11. Quaeritur inter Pontificios, quisnam legitime indulgentias concedere posſit. Et de eo inter omnes convenit, auctoritatem hanc potisſimum reſidere in ſummo Pontifice. Sive enim indulgentia conſideretur ut abſolutio, adeoque ut actus iurisdictionis, ita (*d*) colligunt, ſummam in Eccleſia Papa iurisdictionem habet; ſive concipiatur ut actus ſolutionis, pretium ſolutionis ex theſauro depromitur, cuius diſpenſatio Pontifici concredita est. Quamobrem docetur (*e*), Pontificem ſolum immediate a Christo hanc auctoritatem accepisſe et iure Divino posſidere. Est tamen etiam aliqua in Episcopis indulgentias concedendi poteſtas, non quidem immediate a Christo derivata, attamen ordinaria. Discrimen igitur inter ſupremum Pontificem et reliquos Epiſcopos in eo ſitum est, quod cum poteſtas illius ſit immediata, ab ipſo Deo deſcendens, horum ſit quaſi mediata, a Pontifice cum ipſis communicata. Pot-

(*d*) *Bellarmin.* de Indulg. L. I c. XI init.
(*e*) *Suarez* Diſput. LV, ſect. II.

Poteſtas Pontificis est aliquo modo infinita. Nam ubi lubet, potest indulgentias dare plenarias, et plenisſimas; potestas vero Epiſcoporum limitata ſuisque finibus circumſcripta est. In Concilio Lateranenſi anno 1215 ſancitum fuit, ut Epiſcopo liceret in dedicatione Baſilicae alicuius indulgentiam unius anni de poenis iniunctis concedere, in anniverſariis festis dedicationis unam quadragenam, id est, indulgentiam quadraginta dierum, et parem ſimiliter, ſi alia cauſa praegnans ſe offerat. Porro cum Pontifex fidelibus omnibus indulgentiam tribuat, Epiſcopus eam nonniſi ſubditis ſuis (ita loquuntur) diſpenſat. Etiamſi autem Pontifici et Epiſcopis talem auctoritatem vindicare allaborent Romanenſes, id tamen ita intelligi volunt (*f*), ut vera et legitima cauſa adſit indulgentiarum concedendarum, et fidelibus pretio vendendarum, quia Papa non est dominus, ſed diſpenſator theſauri. Tales cauſae ſunt, ut verba referam *Chemnitii* (*g*): *Pro viſitatione Baſilicarum et reliquiarum, item pro celebratione Festorum, pro audiendis Misſis et praedicationibus, item pro defenſione terrae ſanctae et fidei, pro promotione ſtudii. Principaliter vero ſi quis manus adiutrices (ſicut loquuntur) porrexerit ad hoſpitalia, ad Baſilicas et ſimilia, ſi modo temporalia, quae exponuntur, ordinentur ad ſpiritualia, tunc enim non esſe Simoniam.* Quo reſpectu *Hottingerus* (*h*) indulgentias omnes diſtinguit in *militares*, *architectonicas*, *oeconomicas*, et *Theologicas*, quarum omnium exempla copioſa adducit. De his indulgentiarum cauſis adverſus Pontificios disputabat B. Lutherus in pri-

(*f*) *Suarez* Diſput. LIII, ſect. II. *Gervaſius* Tom. VI p. 304.

(*g*) Exam. Concil. Trident. Parte IV p. 734. a.

(*h*) Hiſt. Eccleſ. Tom. VII p. 30 ac ſqq.

primis suis Thesibus pro declaratione virtutis indulgentiarum, num. 82: *Scilicet cur Papa non evacuat purgatorium, propter sanctissimam charitatem, et summam animarum necessitatem, ut causam omnium iustissimam, cum tamen infinitas animas redimat propter funestissimam pecuniam ad structuram Basilicae, quae est causa levissima.*

§ 12. Quaerunt etiam, quidnam requiratur in eo, cui indulgentiae prodesse debent, quisque adeo legitime indulgentias accipere possit. Quidam (*i*) plures ponunt conditiones, 1. ut sit baptizatus. 2. ut sit viator, nempe nondum coelitibus adscriptus, aut inferni tormentis addictus. 3. ut habeat intentionem lucrandi indulgentias, quod tamen non omnes requirunt. 4. ut sit subditus illius, qui indulgentias concedit. 5. ut non sit ligatus excommunicatione maiori. 6. ut opera iniuncta perficiat. 7. ut sit in statu gratiae, quod tamen suo modo explicant. Et postremas duas conditiones *Bellarminus* (*k*) et *Becanus* (*l*) solas ponunt, quippe quae reliquas per se involvant et comprehendant. Tricas et minutias, quae praeterea hic occurrunt, apud auctores citatos legi malim, cum ad scopum meum non conducant.

§ 13. Haec est Pontificiorum de indulgentiis doctrina, quam ab hominibus, nec ineruditis, nec a sana ratione alienis, publice tradi et defendi posse, maximopere mirarer, nisi talia fieri posse, et semper fieri solita esse, tristis nimium experientia innumeris exemplis testatum faceret. Quis Pontificiorum aegre ferat in Luthero, eum, cum fraudes omnes illius Ecclesiae, a qua secessionem meditaba-

(*i*) Vide *Gervas.* Tom. VI p. 310, 311 ac seqq. *Boyvin.* Theol. Scoti Tom. III p. 331 sq.

(*k*) De Indulg. L. I c. 13.

(*l*) Opp. Tom. I p. 739. b.

batur, nondum pervidisſet, de indulgentiis tamen ita exiſtimasſe (*m*), *esſe pias fraudes matris Eccleſiae, quae promisſione indulgentiarum excitat filios ſuos ad opera bona, cum tamen indulgentiae non remittant poenam debitam in iudicio Dei, ſed ſolum in iudicio Eccleſiastico.* Nam ita multos ſemper Catholicos ſenſisſe, iam olim (*n*) *Bonaventura*, deinde (*o*) *Wesſelus*, et post illos (*p*) *Gregorius de Valentia* obſervarunt. Illi, quorum *Bonaventura* mentionem iniicit, exiſtimarunt, *non opus esſe indulgentiis, nec in foro Dei, nec in foro Eccleſiae; Eccleſiam tamen illos praedicare bona quadam deceptione ad bonum, ut ad dandas eleemoſynas alliciat, ſicut mater filiolo pomum promittit, quod poſtea non donat.* Mirum fuerit, niſi haec ſit hodienum ſententia doctiorum et ſapientiorum inter Pontificios. Mirum, niſi praedicatores indulgentiarum idem cogitent, quod de misſa quidam parochus in Belgio ſub initium Reformationis, de misſa loquens, libere profesſus (*q*) eſt: *Nos quidem Iuda proditore ſumus deteriores, atque improbiores. Is enim Christum Dominum vendidit et tradidit, nos vero eum vobis vendimus, non tradimus.*

(*m*) Citantur verba a *Bellarmino* de Indulg. L. II c. I.

(*n*) Apud *Ioh. Gerhard.* Confesſ. Cathol. Lib. II Part. III. Art. XVI cap. 7, p. 1398. a.

(*o*) Apud *Chemnit.* Exam. Concil Trid. P. IV. p. 733. a.

(*p*) Tom. IV. Diſput. VII Quaest. XX punct. I.

(*q*) Vide *Ioh. Criſpini* Acta Martyr. pag. 190.

DISPVTATIONES THEOLOGICAE.

DISSERTATIO [*]

DE ΘΕΟΠΝΕΥΣΤΙ'Α SCRIPTORUM SACRORUM NOVI PRAECIPVE TESTAMENTI IN REBVS QVAS NARRANT HISTORICIS.

§ 1. *Sacra Scriptura ab ipso Deo originem habet in omnibus, estque inspirata etiam in rebus historicis.*

Rem acu prorsus tetigisse mihi videntur, qui auctores Librorum Sacrorum, tam Novi quam Veteris Testamenti, Spiritus Sancti amanuenses dicere consueverunt. Etenim quod scriptoribus quibuscumque aliis officium amanuenses praestant, id Divino Spiritui exhibuerunt Prophetae, Apostoli et Euangelistae. Vt scriberent sancti illi viri non propriae suae voluntatis instinctu, sed ipsius Dei nutu se

[*] Dissertationem hanc, editam a 1738, frustra diu quaesitam, e Bibliotheca Academiae Gottingensis mecum communicavit vir clarissimus *Heyne*, eiusdem Academiae totiusque Reipublicae Literariae aeternum decus et ornamentum.

ſcripto commiſerunt, in eo quoque impulſu et afflatu Spiritus S. directi fuerint. Affirmarunt id huc usque omnes Theologi Eccleſiae Catholicae, quibus Scripturae honos, et Religionis revelatae ſalus curae cordique fuit; negarunt quidam, qui aliis hac in re prudentiores et ſagaciores videri voluerunt. Obſervavi tamen, inter ſententiae huius fautores, nonnullos etiam numerari a viris eruditis, de quibus haud immerito dubitandum videtur, an tale quid mente ſua umquam conceperint. Si *Frid. Spanhemium* Filium, virum laudatisſimum et longe doctisſimum, audimus, *Rich. Simonius*, notisſimus ſcriptor *Hiſtoriae Criticae N. Testamenti*, de laboribus Euangelistarum tale quid ſenſit, nihil hic directioni Spiritus Dei, omnia Euangelistarum ingenio, ſcientiae, fidei attribuit (*a*): *Hinc*, verba refero *Spanhemii*, *ille modo, collectanea esſe* Euangelia *ex praedicationibus Apoſtolicis, nulla habita ratione ordinis et temporis, modo ſuisſe a diſcipulis collecta, quae hi ab Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis, accepisſent, unde κατὰ Ματθαίον, non τοῦ Ματθαίου ipſius Euangelium.* In quibus tamen verbis non tantum modus ſcribendi Euangelistarum, ceu ex ſolo ingenio humano aeſtimandus, vellicatur, ſed ipſa quoque librorum horum origo et auctoritas dubiis involvi videtur. Quae pluribus nunc excutere non vacat. Vnicum hocce tantum monebo, *Io. Fr. Buddeo* (*b*), Theologo nuper Ienenſi celeberrimo, cenſuram hanc viſam fuisſe paulo ſeveriorem. Et certe eo potisſimum tendere videntur diſputationes *Simonii*, nobis de origine et auctoritate Euangeliorum nihil certi, ni-

(*a*) Disſert. *de Hiſtoriae Euangelicae ſcriptoribus*, Oper. Tom. II col. 266.

(*b*) *Iſagoge Hiſtorico-Theologica* Lib. II cap. 8, p. 1482.

nisi ex traditione Ecclesiastica constare, quae huius loci quaestio non est. Non apparet ceteroquin, auctorem hunc de ipsa Θεοπνευςία Euangelistarum dubitasse. Extant potius (*c*) indicia certa, et extra omnem dubitationis aleam posita, ipsum Θεοπνευςίαν Euangelistarum in rebus historicis, sibique notis, agnovisse et ursisse.

§ 3. *An fuerit haec sententia* Henr. Dodwelli.

Simonio (*d*) *Spanhemius*, non dissentiente *Buddeo* (*e*), iungit *Henr. Dodwellum*, virum de antiquitate etiam Ecclesiastica praeclare meritum, cuius sententiam ita nobis depingunt viri eruditi, ut ad illam, quam hic sub examen vocamus, prope admodum accedat, aut potius vere illa ipsa sit. Ita autem *Dodwelli* sententia nobis repraesentatur (*f*): *non aliam habere infallibilitatem Euangelicae Historiae scriptores, quam quod fuerint fidi testes eorum, quae vel viderant, vel audiverant, medio tradendi ordinario, nullo interventu alicuius afflatus, aut* Θεπνευςίας. *Non minus seculi secundi Patres fuisse infallibiles, in rebus historiae et facti*, etc. Quae certe ab ὑποτυπώσει τῶν ὑγιαινόντων λόγων nimium quantum recedunt. Sed fortasse tamen *Dodwellus*, scriptor doctissimus quidem, sed obscuritatis etiam morbo vehementer laborans, dum auctoritatem et fidem primorum post Apostolos in Ecclesia doctorum, quoad fieri potest, extendi et evehi cupit, id eo modo agit, ut auctoritati scriptorum N. Testamenti

(*c*) Vide *Simonii* verba, infra a nobis citanda § 8.
(*d*) Loc. cit.
(*e*) Loc. cit.
(*f*) Haec *Spanhemius* collegit ex *Dodwelli* Dissert. in *Irenaeum* I § 34, etc., in primis 37, 38.

menti detraxisse videatur. Sed si tamen rem ipsam sollicite expendamus, intelligemus, *Dodwellum* illic loqui de fide historica, cuius duo praecipua fulcra, sine dubio, sunt, certa scientia et candidus veritatis amor, quamque hoc sensu tam in Apostolorum successoribus, quam in Apostolis ipsis et Euangelistis reperiundam esse contendit. A fide historica, qua usos esse Euangelistas, in tradenda historia sua, recte contendit, distinguere videtur *Dodwellus* afflatum Spiritus Sancti, qui in Euangelistis et Apostolis superaccessit, cum in successoribus eorum desideretur. Ita certe ab amico monitus, postea in Praefatione Dissertationibus in Irenaeum praemissa, § 2, 3, etc. etc. mentem suam explicare, et duriuscule dicta emollire annisus est. Quae caussa videtur fuisse *Spanhemio*, ut censurae suae haecce verba subnecteret: *ista praestantissimo illi viro ad Irenaeum expressa, forsan animo aequiore quam verba prae se ferant.* Sed nos de vera *Dodwelli* sententia parum nunc solliciti, eam suo loco relinquimus.

§ 4. *Fuit indubitate sententia* Hug. Grotii, *et anonymi, qui putatur esse* Clericus.

Quodsi autem sententiae hae virorum eruditorum de auctoritate Euangelistarum, quae narrationibus eorum historicis tribuenda est, quas breviter tetigimus, dubiis obvolutae sunt, et benigniores interpretationes admittunt, in propatulo est, quid de eadem re censuerit illustris alioquin Scripturae interpres, *Hugo Grotius.* Satis libere enim, et sine ambagibus, mentem suam in his declaravit (*g*): *Vere dixi*

(*g*) In *Voto pro Pace* pag. 99, 100.

dixi non omnes libros, qui ſunt in Hebraeo Canone, dictatos a Spiritu Sancto; ſcriptos esſe cum pio animi motu non nego: — Sed a Spiritu Sancto dictari hiſtorias nihil fuit opus: ſatis fuit ſcriptorem memoria valere circa res ſpectatas, aut diligentia in deſcribendis veterum commentariis. — Si Lucas Divino afflatu dictante ſua ſcripſisſet, inde potius ſibi ſumſisſet auctoritatem, ut Prophetae faciunt, quam a testibus, quorum fidem est ſecutus. Sic in iis, quae Paulum agentem vidit, ſcribendis, nullo ipſi dictante afflatu fuit opus. Quid ergo, cur Lucae libri ſunt Canonici? Quia pie ac fideliter ſcriptos, et de rebus momenti ad ſalutem maximi, Eccleſia primorum temporum iudicavit. Nihil certe apertius dici potuit. Et conſimili modo etiam (*h*) aliis in locis ſententiam ſuam declarat. Sed illa nobis ſufficere posſunt. Haecce *Grotii*, magiſtri ſui, vestigia presſit ſine dubio auctor libri multorum ſermonibus celebrati, quem inſcribere ipſi placuit: *Iudicia quorumdam in Belgio Theologorum de Richardi Simonii Hiſtoria Critica*, aut is, cuius cogitationes (*i*) *de inſpiratione Scriptorum Sacrorum* illic adferuntur, quique literis hisce M. N. deſignatur: nam non modo de narrationibus hiſtoricis Scriptorum Sacrorum idem plane iudicium fert, ſed iisdem fere etiam verbis, illamque ſuam ſententiam aliquot rationibus adſtruit, de quibus mox videbimus. Et vero opinionem adeo pernicioſam furtiva incrementa capere, multisque ſeculi noſtri hominibus magnopere placere, ipſa experientia teste ſatis didici. Quare illam paulisper nunc excutere, operae pretium fore duxi.

§ 5.

(*h*) In *Diſcusſione Apologetici Rivetiani* p. 171.

(*i*) *Sentiments de quelques Theologiens de Hollande* etc. Lettre xi p. 222, etc., praeſertim p. 231, 232, etc.

§ 5. *Illa vero adverſatur claris Scripturae testimoniis, praeſertim* 2 Tim. III. 16.

Enim vero quis est, qui rem hanc ſeria meditatione ſecum penſitans, non intelligat, ſententiam illam eruditorum virorum, quam nunc deſcriptam dedimus, testimonio S. Scripturae, (aut Spiritus S. in Scriptura), de ſe ipſa, evidenter contradicere. Vidimus iam § 1, Paulum ſancte testantem *Scripturam omnem Divinitus esſe inſpiratam*, 2 Tim. III. 16. Quis igitur hanc praerogativam Hiſtoriae Euangelistarum, ſi et illa Scriptura ſit, abiudicare auſus fuerit? Equidem *Grotium* hic audio excipientem, verba illa πᾶσα γραφὴ Θεόπνευςος (*k*), non esſe ſubiectum et praedicatum, ſed tantum *ſubiectum*, id est, non tradere Paulum, *omnem Scripturam* vere *esſe inſpiratam*, ſed tantum hoc, *omnem illam ſcripturam quae inſpirata est, utilem esſe ad doctrinam*, etc. Fateor hoc; verum an ex hoc concesſo ſequitur id, quod volebat *Grotius*, dari aliquam Scripturam Canonicam inſpiratam, et aliam itidem non inſpiratam? Minime cenſeo. Quaenam igitur erit pars Scripturae inſpirata, de qua loquitur Paulus? Id nobis doctisſimus ille vir explicat. Putat nempe (*l*), *id esſe exponendum ex* 2 *Pet*. I. 19, 20, 21, unde quippe pateat, intelligi *ſermonem Propheticum*, *ſive Prophetiam Scripturae idque ſcriptis libris conſignatam*. De loco Petri postea quaedam delibabo, nunc id tantum monebo, Paulum profecto de Sermone Prophetico, ſtricte accepto, id est, de praedictionibus futurorum, aut revelationibus rerum plane incognitarum, hic non loqui. Loquitur namque

(*k*) *Grotius* Diſcusſ. p. 172.
(*l*) Loc. cit.

que de illa Scripturae parte, ex qua petenda est *doctrina, redargutio, correctio et omnis disciplina iustitiae.* Quis dixerit omnium harum rerum propriam sedem esse sermonem Propheticum, qualem *Grotius* hic intelleetum vult? Aut an non haec ex parte Sacrarum Literarum Doctrinali et Historica hauriri praecipue solet? Accedit, quod Paulus in mente habeat illam cumprimis Scripturae partem, quae etiam pueris tradi solet, ut doctrina veritatis secundum pietatem imbuantur et formentur, quaeque non est primario Prophetica. Vno verbo, loquitur Apostolus citra omne dubium de toto S. Scripturae ambitu, et illius, quae iam in Canone erat, et illius, quae in usum et aedificationem Ecclesiae Canoni adhuc erat addenda. Huius enim totius lectionem omnibus, etiam pueris, serio commendat. Rationem ex eo depromit, quod ab ipso Deo in utilitatem Ecclesiae suggesta et inspirata hominibus sanctis fuerit, quam utilitatem etiam assidua lectio certo secum vehat, et invicte comprobet. Ex quo patet, hunc vere esse sensum verborum Pauli: *Omnis Scriptura, quippe quae a Deo inspirata est, est utilis ad doctrinam*, etc.

§ 6. Et 2 *Pet.* I. 19, 20, 21, uti nec minus *Ioh. XVI.* 13, *Matth. X.* 19, 20.

Tantum vero abest, ut huic nostrae expositioni obsit locus 2 Petr. I. 19, 20, 21, quod volebat *Grotius*, ut potius eamdem egregie confirmet. Non equidem inficias eo, nominari hic ab Apostolo speciatim *sermonem Propheticum*, et *Prophetiam*, et de illius scriptoribus sigillatim dici, *viros Dei sanctos locutos fuisse impulsos et agitatos a Spiritu Sancto;* verum et id mihi concedi velim, ut per Prophetiam intelligatur tota Scriptura Canonica, cuius consignan-

ſignandae inſtrumenta ſub V. Testamento fuerant Prophetae. Merito itaque *ſermonis Prophetici* nomine comprehenditur, quidquid a calamo ipſorum in uſum Eccleſiae publicum profectum est, etiamſi argumentum illius proprie propheticum non ſit. Ipſe Servator docrinam Scripturae practicam et moralem nomine *Prophetiae* deſignat Matth. VII. 12: *Quaecumque igitur volueritis, ut faciant vobis homines, ita et vos facite eis, ista enim est lex et Prophetae.* Quo poſito, conſequitur, de omnibus generatim, quorum miniſterio Deus uti voluit ad docendam Eccleſiam verbo ſcripto, dicendum et intelligendum eſſe: *Viri Dei ſancti locuti ſunt impulſi et agitati a Spiritu Sancto.* Cuius rei hanc evidentem rationem *Paulus* nobis ſubminiſtrat: *Quae ante ſcripta ſunt,* (ex conſilio Dei) *ad noſtram doctrinam ante ſcripta ſunt, ut per tolerantiam et conſolationem Scripturarum ſpem habeamus,* Rom. XV. 4. Quomodo vero finis ille, ex quo Eccleſiae ſalus pendet, potuiſſet obtineri, niſi Deus doctores Eccleſiae, dum illa docent et tradunt, quibus innititur fides, ſpes et conſolatio hominum, ſive id tradant verbo, ſive, in uſum perpetuum totius Eccleſiae, ſcripto, ita direxiſſet et duxiſſet, ut non ſuum, ſed ſolum et purum Dei verbum, unicum omnis verae conſolationis fontem, unicum fidei ſalvificae fundamentum, nobis exhibuiſſent? Hoc profecto reſpectu doctorum Eccleſiae neceſſitatis erat invictae, hoc ipſis, et nobis non minus quam ipſis, Dominus quoque promiſit, Iohan. XVI. 13, Matth. X. 19, 20, quae poſtrema loca ab adverſariorum παρερμηνείαις iam dudum vindicavit (*m*) magnus Theologus.

§ 7.

(*m*) *Herm. Witſius, Miſcellan.* Tom. 1 Lib. 1 cap. 22.

§ 7. Θεοπνευςία scriptorum Sacrorum in rebus historicis evincitur ex ipsius illius historiae indole et scopo. Namque I. Scriptores hi debuerunt impelli ad scribendum.

Postquam ipsum S. Scripturae testimonium, de Verbi sui in omnibus origine et inspiratione Divina, adversariis opposuimus, quid porro opus est aliis argumentis? Ne tamen argumento tam nobili, ulla ex parte, defuisse videamur, rei ipsius, de qua hic agitur, indolem, historiae Euangelicae argumentum, scriptionis modum et scopum, attentius paulo investigèmus, ut luculenter appareat, fieri omnino non potuisse, ut scriptores hi historiae sacrae munere suo, in perpetuam Ecclesiae aedificationem, rite defungerentur, nisi virtute Divina in opere suo impulsi et directi fuissent. Et primo quidem, si historia Euangelii, si historia et cognitio Redemtoris nostri, eius nativitatis, vitae, doctrinae, miraculorum, passionis, mortis, resurrectionis, adscensionis in coelum, sessionis ad dextram Dei, fundamentum fidei nostrae constituit, sine qua fides esse omnino non potest, Rom. X. 14, 15, illa utique in usum Ecclesiae sempiternum literis mandari debuit. An qui providam Dei, circa Ecclesiam suam, curam mente contemplatur et veneratur, persuadere sibi poterit, Deum rem tanti momenri instinctui et arbitrio hominum fortuito permisisse? Quando tempore Apostolorum huic regioni, illi urbi Euangelium erat praedicandum, intelligimus Sanctum Dei Spiritum Apostolos, aut eorum in opere Domini socios, ad hoc ipsum, aut expresso mandato direxisse, aut secreto quodam instinctu impulisse, cuius rei exempla habes Act. VIII. 26, 29, 39, XIII. 2, 4, XVI. 9, XVIII. 5, 9, XX. 22, 23, etc., uti et alia exempla docent, Apostolos prohibitos non-

nonnumquam fuisse, quo minus his vel illis Euangelium isto tempore praedicarent, Act. XVI. 6, 7, XXI. 4. *Quomodo enim praedicabunt, nisi missi fuerint? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Rom. X. 15. Quod si autem certum est, Deum O. M. institutioni singularium regionum et urbium in fide tanta cum cura prospexisse, et Euangelistarum pedes ad ipsas divinitus direxisse, an putabimus, institutionem totius et universalis Ecclesiae, quae fit per verbum Euangelistarum scriptum, Deo minus curae fuisse? Quis vel minimum dubitare poterit, quin Deus in usum Ecclesiae suae quosdam non minus ad scribendum, quam eosdem et alios ad praedicandum, vocaverit, miserit, impulerit? Scriptio certe, si rem accurate putemus, maioris erat momenti, et utilitatis multo uberioris, quam praedicatio. Videmus idcirco, mandatum scribendi ab ipso Deo ad viros sanctos directum fuisse, non modo sub Veteri, sed et sub N. Testamento, Apoc. I. 11, 19, II. 1, XIV. 13, XIX. 19, XXI. 5. Quod etsi de scriptoribus sacris omnibus disertis verbis non commemorêtur, etsi quoque omnes mandatum illud Dei non eodem modo perceperint, omnes tamen a Deo ad opus suum fuere impulsi. Hoc sub Θεοφορίᾳ et Θεοπνευςίᾳ, quae scriptis omnibus Canonicis tribuenda est, comprehenditur. *Nulla Prophetia*, vel nulla Scriptura Canonica, ἰδίας ἐπιλύσεως, *ex proprio hominum instinctu et nutu profecta*, esse censeri debet, 2 Pet. I. 20.

§ 8. 2. *Debuit illis etiam suggeri scriptionis argumentum.*

Sed impulsus ille generalis, de quo modo diximus,

mus, ad explicandum Θεοφορίαν et Θεοπνευςίαν Scriptorum Sacrorum in omnibus, quae in usum Ecclesiae scripsere, nondum sufficit. Nam non est credibile, Deum quidem sanctos nonnullos viros elegisse, ut essent doctores Ecclesiae perpetui, utque doctrina eorum esset *Ecclesiae fundamentum*, Eph. II. 20, eoque ipsos non modo ad praedicandum, sed etiam ad scribendum, aut mandato expresso, aut arcano quodam impulsu, adegisse; de cetero autem, quidnam scribendum esset, ipsorum determinationi in solidum reliquisse. Quid, an sapientissimus Deus, singulari quadam Providentiae industria, certos nonnullos homines ideo ad scribendum valide movebit et incitabit, ut id scribant, quod cogitationibus ipsorum allubescit, et in quod solus mentis ipsorum impetus eos tulit? Quodsi autem tale quid de Deo, deque eius circa Ecclesiae suae salutem Providentia, cogitari profecto non potest, dicendum utique est, scriptores sacros voluntate Dei, et virtute Spiritus eius Sancti, directos fuisse ad scribendum praecise id, quod scripserunt, et non aliud. Hoc non tantum de reliqua Scripturae parte, sed de historica etiam omnino intellectum volo. Noluit Deus Ecclesiam suam nimia librorum et rerum cognoscendarum mole obruere. Multitudo enim rerum, nimiaque diversitas, lectores absterret, praecipue rudes et imperitos, et ignaviam, quae vitio naturali ipsis inest, confirmat, inter legendum quoque aciem intentionis abrumpit. Voluit igitur Deus, ut in iis, quae de Redemtore nostro dici et commemorari poterant, talis institueretur selectus, qui saluti Ecclesiae et ingenio hominum esset attemperatus. Haec sine dubio caussa fuit, cur scriptores divinitus moti, de infantia, pueritia, et adolescentia optimi et sapientissimi Redemtoris nihil fere memoriae mandave-

ve-

verint. Ex consilio namque Dei, Iesus noster (*n*) *non secundum carnem*, sed secundum spiritum, ut (*o*) *inchoator et consummator fidei nostrae*, ac ut (*p*) *Princeps salutis nostrae*, contemplandus nobis erat atque cognoscendus. Longe aliam certe viam ingressi sunt, qui nonnisi animi sui instinctibus obsecundarunt, uti ex tot (*q*) *Euangeliis Apocryphis* abunde perspicitur. Quae si quis cum genuinis nostris et Canonicis Euangeliis componat, intelliget illico, nisi mens ipsi laeva sit, *quid distent aera lupinis*. Et si porro sancti Dei viri ad ea, quae Dominus durante munere suo publico in terris egit, cogitationes suas appellerent, quanta non rerum sese ipsis offerebat multitudo? Testem habemus ipsum *Iohannem* Apostolum, qui hanc Euangelio suo coronidem imposuit: *Sunt autem multa alia, quae fecit Iesus, quae si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos, qui scriberentur libros.* Et in his tamen multa erant, quae omnino non ignorari, fidei nostrae et Ecclesiae intererat. Alia non eiusdem plane necessitatis erant, et citra damnum Ecclesiae praetermitti poterant. Si quis haec aequa lance expendat, an poterit illi superesse dubium, quin sanctis Ecclesiae doctoribus, in re tanti ponderis, opus fuerit directione Divina? Evidens huius rei ratio, ipsi illi auctori anonymo, adversus quem hic potissimum disputamus, quemque *Clericum* esse, communis semper fama tulit, veritatis istius confessionem tamdem ex-

(*n*) 2 Cor. V. 16.
(*o*) Hebr. XII. 2.
(*p*) Hebr. II. 10.
(*q*) Potest de his consuli B. *Fabricii Codex Apocryphus N. Testamenti*,

extorsit. Nam cum *Rich. Simonius* ipsi obiecisset (*r*), *Spiritum S. ita direxisse calamum Scriptorum Sacrorum, ut ne errori obnoxii essent, homines quidem scripsisse, sed Spiritum Dei eos duxisse — determinasse ad narrandum haec potius gesta, quam alia, quae ipsis aequaliter nota erant:* auctorem illum legimus ita *Simonio* respondentem (*s*): *De hoc facile convenire inter nos potest, si per directionem calami Scriptorum sacrorum nil aliud intelligatur, quam hoc, Spiritum S. ipsos determinasse ad haec potius narranda gesta, quam alia ipsis aequaliter nota. Hoc non negatur*, nempe alioquin numero Scriptorum Sacrorum et Canonicorum in universum erant eximendi.

§ 9. 3. *Opus erat, ut Scriptores Sacri, in consignanda historia sacra, ab omni errore praeservarentur.*

Vidimus itaque vim veritatis tantum potuisse in adversarios, ut, quamvis negent, viros Dei Sanctos, in narrandis rebus historicis, afflatu Spiritus Dei agitatos fuisse, id tamen nobis largiantur, eos a Spiritu illo praecise ad hoc et non aliud scribendum permotos fuisse. Hoc autem semel admisso et concesso, reliqua omnia, quae sub nomine Θεοφορίας et Θεοπνευςίας adhuc complectimur, per se consequi necesse est. Recte itaque prorsus et rei naturae convenienter, *Simonius*, in verbis paulo ante laudatis, haec duo coniunxit, Scriptores Sacros, etiam quando res historicas, sibi notas, literis consignarent,

(*r*) *Replique à l'Auteur des sentiments etc.* p. 231.
(*s*) *Defense des sentiments de quelques Theologiens de Hollande* p. 246.

rent, a Spiritu tamen Dei fuisse determinatos ad hoc potius, quam aliud scribendum, ac praeterea ipsos ab omni errore praeservatos fuisse. Cur enim Deus voluit, ut certae tantum res, a voluntatis suae ministris, posteritatis memoriae mandarentur? Sine dubio, quia haec ipsa cognosci, sciri, credi, intererat Ecclesiae; quia haec, ad producendam in hominibus fidem per charitatem operosam, inprimis erant necessaria. Et an minus Ecclesiae intererat, haec sine omni prorsus errore ita tradi, ut sine errore etiam et cum fiducia summa recipi, ut cum securitate iis inniti omnes possent, ut denique ex iis oriri in animis credentium posset illa fidei πληροφορία, quae summam Christianorum in hac vita et perfectionem et beatitudinem constituit? An haec omnia pendebunt unice ex sola verbi humani auctoritate et fide, quae licet sit vel maxima et religiosissima, utique tamen decipi, eoque decipere alios quoque potest. Nisi testimonium Scripturae de Christo penitus esset infallibile, id est, ab origine infallibili profectum, fides nostra profecto ubique vacillaret, semper *incederet* veluti *per ignes suppositos cineri doloso*. Ex quo iam sic satis intelligi potest, quam praepostere rationes collegerit eruditus Anonymus, cuius opinionem hic examini subiicimus, quando scribere non veretur, ad recipiendam historiam Euangelicam (*t*), alia quam fide humana opus non esse, eamque hoc in casu, ubi tantum de rebus gestis sermo fit, aequipollere fidei Divinae ac eiusdem esse certitudinis. Sed pluribus tamen portento huic iam non inhaerebo, quoniam de eodem argumento infra § 12. commodius disputabitur.

(*t*) *Sentiments de quelques Theologiens* p. 233.

§ 10. 4. *Opus etiam erat, ut viris DEI ſanctis modus ſcribendi ſuggereretur.*

Vt vero Euangeliſtae, et in univerſum ſcriptores hiſtoriae Sacrae, in tradendis illis rebus, quae fundamentum fidei totius Eccleſiae Chriſtianae conſtituunt, omni errore liberi et vere infallibiles esſent, rèquirebatur certe, ut ipſis non modo argumentum rerum ſcribendarum, ſed modus etiam ſuggereretur a Spiritu veritatis. Etenim hiſtoria, ipſorum opera conſignata, non eum in finem ad nos transmisſa est, ut amoenitate ſua et inexpectata rerum cum novitate tum diverſitate animum oblectet, ſed ut peccatores erudiat, convincat, obtundat atque convertat, et converſos dulcisſimo ſolatio perfundat. Ad hoc efficiendum opus est ipſius Dei verbo, *malleo* illo, quo pulſante *disſiliunt petrae*, *igne* illo urente, Ierem. XXIII. 29, *vivo illo Dei ſermone et efficaci, penetrantiori quovis gladio ancipiti, pertingente usque ad diviſionem animae ſimul ac ſpiritus, compagumque medullarum, et diiudicante cogitationes et conceptus cordis*, Hebr. IV. 12. *Spiritualia* a ſanctis Dei viris proferenda erant hominibus, *verbis, non quae docet Sapientia humana, ſed quae docet et ſuggerit ipſe Dei Spiritus*, 1 Cor. II. 13. In illa hiſtoria porro interſperſa pasſim ſunt profundisſima Myſteria regni coelorum, quae ex illo theſauro a nobis eruenda et menti noſtrae inſtillanda ſunt, uti nec minus Vaticinia illuſtria de rebus Eccleſiae futuris. In his ſaltem, quae Scriptores Sacri nonniſi ex Revelatione haurire potuerunt, quaeque etiam, ubi revelata iam erant (*u*), ἐκ μέρους, *ex parte tantum intellexerunt*, in quibus proinde aberrare facil-

(*u*) 1 Cor. XIII. 9.

cillimum erat, opus ipsis fuisse directione Divina, cuius beneficio tanta Mysteria, et sine errore, et aptis vocabulis, Ecclesiae explicare potuerint, haud gravate nobis largientur adversarii. An igitur dicent, Spiritum S. inter scribendum per intervalla ipsis adspirasse, et deinde ad tempus ab eis rursum discessisse? Quem in finem sermo tam variegatus, et ex partibus adeo dissimilibus contextus Euangelistis affingendus erit? Aut an forte laboriosum nimis et molestum erat Spiritui Sancto, totum opus dirigere? Ipse magnus *Grotius* certis in casibus necessitatem huiusmodi inspirationis in Sanctis Dei viris agnoscit, eoque locum Matth. X. 19 ita παραφράζει, *Etiamsi quid vobis antea desit, eo ipso tempore ope coelesti supplebitur, Spiritu Divino suppeditante et animo sapientiam, et ori eloquium non calamistratum, sed simplici gravitate ipsam nudae veritatis naturam referens.* Quo vero in casu maior potuit esse illius auxilii Divini promissi necessitas, obtestor, quam ubi tota Ecclesia Dei docenda, ipsique solidum fidei et doctrinae fundamentum perpetuo duraturum construendum erat?

§ 11. *Respondetur ad obiectiones, quarum 1. est, sententiam nostram non niti testimonio Scripturae, et 2. Euangelistis nulla inspiratione opus fuisse.*

Videamus nunc etiam, quidnam adversus haec obiicere soleant, qui fidei nostrae certitudinem non ex infallibili ductu Spiritus Divini, sed ex sola fidelitate Euangelistarum suspendunt. Et primo quidem hocce, ceu palmarium pro causa sua argumentum obvertere nobis consueverunt (v); nos sententiam

(v) *Sentiments de quelques Theologiens* etc. p. 232.

tiam nostram idoneo expresso Scripturae testimonio probare plane non posse. Quod vero quam gratis dicatur, quamque luculenta nobis hanc in rem ipsa Scriptura argumenta subministret, ex iis, quae dicta sunt, satis opinor perspici potest. Quare diutius argumento huic iam non immorabor. Pergamus potius ad aliud, quod huic priori succenturiant. Cavillantur autem (*x*), nos *temere et praeter omnem necessitatem miraculum confingere, cuius etiam Scriptura mentionem nullam iniiciat. Quid enim*, ita pergunt, *opus est inspiratione, ubi fideliter tantum narrare oportet, quae vidisti?* Potuisset quidem istud recte nobis obiici, si ita existimaremus, sanctis Dei viris illud iterum per suggestionem Spiritus S. fuisse revelandum, cuius iam antea conscii sibimet et bene memores fuerant. At nemo nostrum sui usque adeo oblitus est, ut ita deliret. Distinguere didicimus inter *revelationem*, quae est rei tantum antea ignotae, et *inspirationem*, quae locum omnino habere potest in rebus quidem antea cognitis, sed quae tamen sine omni errore ad convictionem, correctionem, consolationem et salutem hominum digne sunt exponenda. Quod uberius supra persecuti sumus. Nervose omnia sic contraxit *Witsius* (*y*): *Hoc quoque Spiritus officium est, ut ea, quae aliunde nota sunt, in mentem revocet, faciatque ut convenienti tempore, loco, modo exponantur.* Ita veteres Iudaeos pariter distinxisse novimus inter *Prophetiam* et *Spiritum Sanctum*. Et hunc quidem Spiritum Sanctum, sive inspirationem, ita, describit *R. D. Kimchi* Praefat. in Psalmos: *Spiritus S. est visio hominis integri, operam dantis verbis Dei, omni-*

(*x*) Auctor idem p. 233.

(*y*) *De Apostolorum in docendo Infallibilitate*, Miscellan. Tom. 1 p. 341.

omnibus ſenſibus ſuis, nullo ceſſante: ita ut loquatur, quod loquitur, more hominibus ſueto, excitante duntaxat eum Spiritu ſuperiori, verbaque praeformante linguae eius, verba laudis et confesſionis in honorem Dei ſui, verba intelligentiae et inſtitutionis. Et haec ipſa videtur fuisſe cauſa, cur auctor ille anonymus, cuius obiectiones nunc excutimus, ſententiam noſtram pro *doctrina Iudaica* haberi velit. Sed niſi illam tamen admittas, actum est profecto de Scripturae in rebus plurimis gravisſimi momenti certitudine ac auctoritate. Tali Spiritu Sancto eiusque directione indiguisſe primos Eccleſiae doctores, quorum verbum fundamentum Eccleſiae et fidei est, res ipſa clamat. Ideoque Chriſtus ipſis ut doctoribus promittit *Spiritum veritatis, ipſos in omnem veritatem ducturum*, Ioh. XVI. 13. An vero ad doctrinam fidei non pertinebit doctrina de Chriſto ipſo, et de iis, quae iuxta Vaticinia Prophetarum in eo fuerant impleta?

§ 12. *In Euangeliſtis non ſufficit ſola et communis Fides hiſtorica.*

Imprimis vero id conſiderandum etiam atque etiam est, in referenda hiſtoria Chriſti, ut illa fidem excitare et ſtabilire, utque aedificationi et ſaluti Eccleſiae ex omni parte inſerviret, non tantum requiſitam fuisſe nudam illam communemque fidem hiſtoricam, quae ab aliis hiſtoriarum ſcriptoribus exigitur. Nam ordinaria cognitionis media, ad recte cognoſcendum Filium Dei, ſufficere nemini poterant, Matth.

(z) Vide *Witſii* Miſcellan. Tom. 1 p. 348. Adde *Praefationem* § 14, ubi et locum *Kimchii* adducit. Vide et *Vitringae Typum Doctrinae Propheticae* cap. 2. § 6.

Matth. XVI. 17. Chriſtus enim ipſe, et omnia, quae in illo videbantur, aut ab eo audiebantur, penſitanda et diiudicanda erant ἀνακρίσει πνευματικῇ, quae nonniſi ex dono et gratia Spiritus S. haberi poteſt, 1 Cor. II. 13, 14, 15, 16, cuius ἀνακρίσεως diverſos gradus diverſaque incrementa in ipſis Apoſtolis obſervanda utique ſunt. Longe aliter ipſi Servatoris ſui optimi dicta atque facta diiudicabant et interpretabantur, quam Iudaei, dum Servator ipſis adhuc in terris adesſet: ſed longe aliter iidem illi Apoſtoli de iisdem rebus ad regnum Chriſti pertinentibus iudicabant poſt communicata ſecum dona Spiritus Sancti, atque antea fecerant. Diverſa profecto admodum futura fuisſet hiſtoria Chriſti ab ipſis Apoſtolis ſcripta, ſi diverſis temporibus ſcripto mandata fuisſet. Vnde vero illam differentiam orituram fuisſe putabis, niſi ex diverſo gradu operationis Spiritus S. in ipſis? Sed ſunt praeterea in hiſtoria Euangelica permulta, quae ſcriptores illius per ordinaria cognitionis media omnino intelligere non potuisſent. Vnde v. g. Euangelistae didicerant, Chriſtum *Verbum in principio apud Deum ipſumque Deum fuisſe*, *lucem illuminantem omnem hominem*, *qui in mundum mittitur*, *perque eum omnia fuisſe creata*, Ioh. I, eumdem per operationem Spiritus S. ex pura virgine in lucem editum fuisſe, eidem *cognita fuisſe omnia*, *quae erant in homine*, Ioh. III. 25, et quae ſunt alia huiusmodi, quae non modo oculis videre denegatum erat, ſed quae ne ab ipſo Chriſto quidem audivisſe videntur? Mihi quidem videntur haec fuisſe ex numero eorum, quae optimi Servatoris diſcipuli, dum eum inter ſe haberent praeſentem, *ferre nondum poterant*, Ioh. XVI. 12, quaeque ex revelatione Spiritus demum recte et ſine errore cognoſcere debebant. Ex quo colligere iam tuto posſumus, Scriptoribus Sacris, ad contexendam cum fructu

fructu et ad aedificationem Ecclesiae historiam Christi, praeter fidelitatem summam opus quoque fuisse inspiratione et directione Spiritus, et ad inspirationem illam, in multis accedere etiam debuisse revelationem eorum, quae non nisi ex revelatione bene et rite intelligere poterant.

§ 13. *Respondetur ad obiectionem 3. Euangelistas ultro fassos fuisse, se scribere non ex inspiratione.*

Novum argumentum adversus doctrinam nostram ex eo peti posse putant adversarii, quod ipsi (*a*) *historiae Euangelicae scriptores* ultro agnoverint et *fassi fuerint se ea, quae memoriae mandarint, non ex inspiratione Dei, sed ex aliorum relationibus accepisse.* Ita colligunt ex prooemio Euangelii *Lucae*, in quo sanctus ille vir Dei testatur, se ea, quae de Christo Domino comperta habeat, accepisse ex fideli narratione eorum, qui testes vitae Domini et auditores sermonum eius fuerint. Quibus praemissis tamdem addit: *Visum est etiam mihi omnia alte repetita ad te scribere, Theophile.* Quae verba id videntur significare, Lucam neque divinitus ad scribendum fuisse impulsum, neque ex illa origine coelesti ipsi suppeditata fuisse, quae scripto consignare sua sponte et motu proprio voluit. Sed quam exigua sit argumenti huius virtus, dicat pro nobis ipse *Grotius*, cuius ad allata Euangelistae verba commentationem adscribere operae pretium est: *Sponte propria* scripsit Lucas, *non ergo Pauli iussu, ut quidam putarunt. Dubitandum autem non est, quin piam diligentiam Deus direxerit.* Et ita profecto est. Duo enim haec recte consistere et amice in

(*a*) *Sentiments de quelques Theologiens* p. 234, 235.

in una ſede morari posſunt. Vti non repugnat quaedam vidisſe oculis ſuis, et tamen in earum narratione dirigi a Spiritu Dei, ita cognitio earumdem rerum ex fideli traditione et relatione accepta, cum inſpiratione Divina coniungi omnino poterat. Locum hic habent pleraque, quae tmematibus antecedentibus iam monuimus. Neque vero ex eo, quod *Lucae viſum fuit*, geſta Chriſti Domini literis non perituris mandare, concludi poterit, nullas hic fuisſe partes Spiritus Sancti. Fateor id quidem ex Lucae verbis recte elici, eum expresſo Domini mandato ad ſcribendum excitatum haud fuisſe, at nihil hic reperio, quod internum Spiritus Divini inſtinctum et impulſum tollat. An non, cum Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano decretum tulisſent, deque eo ad fratres ſuos referrent, vere ſcribere poterant? *Viſum est Spiritui Sancto ac nobis*, Act. XV. 28. Ex veteribus nemo dubitavit, quin Euangelium Matthaei vere fuerit Θεόπνευςον, et illi ipſi tamen (*b*) ex traditione vetuſta credidere, Apoſtolum a Iudaeis converſis rogatum, ea quae voce aliquamdiu docuerat, in eorum gratiam ſcripto conſignasſe. Nempe ubi Deus conſilium voluntatis ſuae exequi vult, cauſas ſecundas ordinat et dirigit, ut illi convenienter agant.

§ 14. *Reſpondetur ad obiectionem 4. in hiſtoria Euangelica occurrere contradictiones.*

Maiorem in modum Θεοπνευςίαν et coniunctam cum illa infallibilitatem Euangeliſtarum in rebus hiſtoricis labefactaret argumentum, ex ipſis eorum hiſtori-

(*b*) Illius mentio occurrit apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. Lib. III. cap. 24.

ricis relationibus desumtum, in quibus adversarii sibi contradictiones quasdam reperisse visi sunt, si verum esset illius fundamentum (*c*). *Ex quibusdam historiae circumstantiis*, inquiunt, *in quibus Euangelistae sibi contradicunt*, *luculenter apparet*, *eos inspiratos non fuisse*, *aut Spiritum S. ipsis omnes sigillatim eventus non suggessisse.* Recte omnino procederet argumentum viri eruditi, si veras dari in historia Euangelica contradictiones probare potuisset. Sed tum eadem opera auctoritatem Euangelii, quam habet in Ecclesia Dei, ut sit certum fidei nostrae fundamentum, penitus sustulisset. Minime enim conscientiae satisfacere possunt, quae *Hugo Grotius*, ad minuendam difficultatem hanc, responderi posse putat, quaeque adversarii calculis suis comprobant (*d*): *Quod vero ad exiguas aliquas circumstantias et ad rem nihil facientes attinet*, *facillime fieri potuit*, *ut non desit commoda conciliatio*, *sed nos lateat* —— (*e*) *Imo id ipsum Scriptores illos ab omni doli suspicione liberare debet*; *cum soleant*, *qui falsa testantur*, *de compacto omnia ita narrare*, *ut ne in speciem quidem quicquam diversum appareat.* Hactenus nihil a reverentia scriptis Euangelistarum debita alienum. At quae nunc sequuntur, mentem illam *Grotii* redolent, quam postea apertius declaravit: *Quodsi ex levi aliqua discrepantia*, *etiam quae conciliari nequiret*, *totis libris fides decederet*, *iam nulli libro*, *praesertim historiarum*, *credendum esset*; *cum tamen et Polybio*, *et Halicarnassensi*, *et Livio*, *et Plutarcho*, *in quibus talia deprehenduntur*, *sua apud nos de rerum summa constet*

(*c*) *Sentiments de quelques Theologiens* p. 235.
(*d*) *De Veritate Relig. Christ.* Lib. III § 13.
(*e*) Ita etiam *Gerson*, cuius observationem amplectitur *Chemnitius* in Harmon. Euangel. Prolegom. cap. I p. 4.

ſtet auctoritas. En! Euangelistas in communem hiſtoricorum gregem cogit, et Polybio, Halicarnasſenſi, Livio, et Plutarcho, ſcriptoribus quidem praeſtantibus, ſed quos tamen deceptos non ſemel fuisſe, ſcimus, adiungit, nec aliam in illis, quam in his fidem hiſtoricam requirit, qua de re ſupra § 11 et 12. dictum iam fuit. Ex quo profecto ſequitur, potuisſe ſcriptores hiſtoriae Euangelicae in quibusdam, etſi levioribus, aberrare, potuisſe ſibi vere contradicere, aut ea ſcribere, quae cum relationibus aliorum ex ſuo numero, de eadem re conſiſtere nequeant, adeoque veritati minus congruant. Quod quidem non invitum concedere *Grotium*, verba eius ſatis teſtantur. Sed qui ita liberaliter largitur, ſcriptores Euangelicos in uno alterove argumento hiſtorico deceptos fuisſe, et ea nobis credenda obtulisſe, quae re ipſa tamen ita ſe non habent, et vera non ſunt, quomodo is nobis fidem illorum in aliis certam et indubiam praeſtabit? Qui ſemel iterumque deceptus est, an non ſaepius decipi potuit? Qui in hiſtoria non ita prolixa, ſumma adhaec cura in aedificationem Eccleſiae conſcripta, quaedam tamen credere me iubet, quae credi non posſe nec debere intelligo, quomodo a me impetrabit, ut in reliquis omnibus fidei eius me ſecure cum laeto mentis asſenſu committam, et ab auctoritate eius ſola, in iis, quae ſummam Religionis ſpectant, quaeque conſcientiam meam coram Deo obligant, totus pendeam? Dicant ista qui volent; dicent certe repugnante conſcientia et proprio ſenſu. Quanto ſatius erat, quanto bonae menti convenientius, in iis ſubſtitisſe, quae primum *Grotius* ſuggerebat: *fieri potuit, ut non deſit commoda conciliatio, ſed nos lateat.* Sed plerumque, ad expedienda feliciter illa, in quibus Euangelistae ſibi contradixisſe videri forte posſent, ne eo quidem recurrere opus

opus est. Error profecto omnis saepenumero in solo interprete haeret, qui orationum verba, mentem Scriptoris sacri, non qua decebat, iudicii ἀκριβείᾳ expenderat, aliumque longe sensum, quam qui erat Scriptoris sacri, sibi finxerat. Aut discrepantia Scriptorum illorum inter se in eo sita tantum est, quod hic forte pauciores, alius plures unius eiusdemque rei circumstantias commemoret. Hac sane ratione quam optime tolli potest discrepantia inter *Matthaeum* et *Lucam* Euangelistas, quam adversarii nobis speciminis loco obtendunt.

§ 15. *Et speciatim ad exemplum, quod petitur ex Matth.* XXVII. 5, *collat. cum Actor. I.* 18.

Nempe exitum Iudae proditoris *Matthaeus*, Euangelicae historiae scriptor, hunc in modum commemorat, Καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο, quod Vulgatus interpres ita vertit: *Et abiens laqueo se suspendit*, Matth. XXVII. 5. A *Luca* vero Petrus Apostolus de eodem casu ita referens introducitur, Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, quae a *Th. Beza* sic reddita sunt: *et praecipitatus crepuit medius, et effusa sunt omnia viscera eius*, Actor. I. 18. Et haec omnino vis est vocis πρηνὴς, quam optime *Hesychius* in Lexico sic explicat, Πρηνὴς ἐπὶ τὸ πρόσωπον πεπτωκὼς, id est, Πρηνὴς *dicitur, qui pronus in vultum cecidit.* Eruditi adversarii, postquam duo haec Euangelistarum loca attulissent, iudicium hocce suum subiungunt (*f*): *En manifestam contradictionem, quam conciliare incassum laborant eruditi viri. Et huiusmodi plura occurrunt.* Sed salva profecto est Euan-

(*f*) *Sentiments* etc. p. 235.

Euangelistarum fides et auctoritas, nisi alius contradictionis argui et rei ostendi possint. Ego quidem contradictionem hic reperio nullam. Opus non est, ut quae ad hunc locum a viris eruditis obseruata fuere, omnia prolixe huc adferam. Videbit illa, qui volet, in venerandi *Io. Chr. Wolfii* Curis Philologicis ad loca illa, in unum congesta. Sed quae in rem nostram praesentem faciunt, paucis verbis exponam. Nempe 1. verosimile valde mihi videtur, non tantum Matthaeum scripsisse ante Lucam, quae fuit communior veterum persuasio, sed (*g*) Lucam quoque Euangelio Matthaei usum fuisse, illudque, ubi consultum putabat, descripsisse. Quare credere vetat summa ratio, Lucam Matthaeo contradicturum fuisse. Neque vero 2. Euangelistae rem eam, quam de Iudae exitu tradebant, existimabant exigui momenti, ut videntur existimasse adversarii. Nam in hoc Iudae exitu impleta fuisse diserta Prophetarum vaticinia, uterque Euangelista obseruat, nosque monet. Vnde colligere possumus, ipsos, in tradenda hac circumstantia, circumspectione, sollicitudine et accuratione usos fuisse maxima. 3. Res ipsa quoque illius est indolis et naturae, ut non facile cuiquam ex discipulis Domini, qui cum ipso conuersati sunt, ignota esse potuerit. 4. Itaque sine dubio conciliatio est instituenda, cuius ratio tum, cum scriberent Euangelistae, omnibus erat in promtu et perspecta. 5. Possunt vero etiam nunc relationes Euangelistarum ita conciliari, ut dicamus, Iudam non quidem laqueo gulam fregisse, sed (*h*) *ex animi de-*

(*g*) Id argumentis non spernendis probare annisus est *Ioh. Millius* Prolegom. in N. Test. num. 116, etc.

(*h*) Ita celeberrimus *Wolfius* sententiam *Perizonii* celebratissimam de morte Iudae paucis repraesentat, *Curis Philol.* in Matthaeum p. 390.

desperatione et angustia mortem quaesivisse et reperiisse, qualemcumque, quod Matthaeus indicat voce ἀπάγχεσθαι, Petrum vero et Lucam mortis genus accuratius definivisse, sive Iudas ultro se praecipitaverit, sive vertigine subita captus ex alto pronus prociderit. Nihil ego in ista interpretatione deprehendo, quod non admitti possit. Quodsi vero quis communiorem vocis ἀπάγχεσθαι significationem, cui etiam verborum contextus apud Matthaeum favere videtur, urgere malit; 6. Superest alius conciliationis modus perquam commodus, quique verbis Euangelistarum nullam omnino vim infert. *Habent hae narrationes* Matthaei et Lucae, inquit (*i*) *Casaubonus, diversitatis aliquam speciem, contrarietatis ne speciem quidem. Matthaeus expressit facti initium, Lucas finem, supplens divinitus, quod deerat narrationi Matthaei. Consilium proditoris fuerat, strangulatione sibi vitam eripere. Aptat collo laqueum; impellit se, ut eo facilius fauces elidat. Placuit Divinae Providentiae, ut non simplici morte sceleratus proditor periret: frangitur laqueus, cadit in faciem Iudas. — Cadit autem vel in saxum fortasse asperum, vel in ligni truncum acutum, aut alias; Dei iudicio, venter illi finditur, intestina effunduntur*, etc. *Haec est Scripturarum simplex narratio.* Hoc ipsum etiam aliis modis explicari potest, et explicari solet, de quibus consuli possunt laudati *Wolfii Curae Philologicae.* Huiusmodi exemplis, ut unius rei hic quidem auctor plures, ille vero pauciores aut etiam alias circumstantias referat, abundat omnis historia, neque iis caret Historia sacra. Quid itaque hic sit adeo insolens, adeo difficile, ego hactenus intelligere non potui.

(*i*) *Exercitatione* XVI in *Baron.* num. 69.

§ 16. *Respondetur ad obiectionem 5, quod Euangelisthe quaedam, quae narrant, ipsi non exacte et determinate sciverint.*

Perventum sic iam est ad ultimum argumentum, quod infallibilitati et inspirationi scriptorum Historiae sacrae in rebus historicis, opponunt adversarii. Mutuo autem illud acceperunt a *Grotio*, qui alicubi dixerat, loquens de fide Euangelistarum (*k*): *Exactissima circumstantiarum omnium notitia in teste non est necessaria;* eumque in finem adduxerat loca Luc. I. 56. III. 23. Ioh. II. 6. VI. 10, 19. XIX. 14. Verum ad illustrandam *Grotii* sententiam haec putarunt addenda esse adversarii clarissimi (*l*): *Euangelistae, ubi de certo quodam tempore loquuntur, illius terminos saepe non exacte indicant. Ipsi enim temporis, de quo loquebantur, tam exquisitam et accuratam notitiam non habebant, ut indicare possent dies, aut menses. In locis adductis numeri paulo laxius circumscribuntur*, Iesus erat circiter triginta annorum, *aut* Hydriae capiebant binas circiter aut tres amphoras. *Indicio manifesto, historiam illam a Spiritu Sancto dictari non potuisse. Illi enim numeri, et temporum limites, de quibus sermo erat, cogniti exacte et perspecti fuere.* Ego vero impense miror, *Grotio* tale quid in mentem venire, aut calamo excidere potuisse. Quomodo ex hoc argumento probari ulla ratione poterit, Euangelistas, dum haec scriberent, a Spiritu Dei directos et impulsos non fuisse? Largiamur *Grotio*, et discipulis ipsius, numeros illos nota generaliori non determinata

(*k*) In notis ad Lib. III *de Verit. Relig. Christianae* § 13. in fin.

(*l*) *Sentiments* etc. p. 236.

nata ab Euangelistis indicatos, exacte ipsis cognitos non fuisse. Quid ex eo consequetur? Nil nisi hoc, necessarium haudquaquam fuisse, ut rerum istarum notitia distinctior ipsis suggereretur a Spiritu. Quem enim in finem? obsecro. Sciebant Euangelistae, antequam ad scribendum se componerent, et quis dubitet, Mariam in aedibus Elisabethae, antequam pareret, moratam fuisse tres circiter menses? Luc. I. 56, Christum Dominum, cum a Iohanne baptismo inaugurarecur, annos natum fuisse quasi triginta, Luc. III. 23. An pertinebat ad salutem et aedificationem Ecclesiae, exactiorem huius temporis et determinatam habere notitiam? Si non pertinebat, cur ad inspirationem et directionem accederet nova revelatio rei usum nullum habiturae, et nullo respectu necessariae? Sed praeterea, quidnam dicere vetat, numeros illos, de quibus haec quaestio instituitur, secundum determinatam suam notam Euangelistis probe cognitos fuisse, eosque ita scribendo, uti scripsisse eos deprehendimus, morem inter suos receptum secutos fuisse? Exempla rem clariorem efficient. Quando igitur Luc. I. 56 legitur, Mariam apud Elisabetham mansisse ὡσεὶ μῆνας τρεῖς, significatur tantum, in illa commoratione non tres exacte menses insumtos fuisse, verum aliquod forte defuisse, aut forte aliquot dies superaccessisse. Et quisnam nostrum, de se ipso, aut de rebus, quarum sibi probe conscius est, ita non quotidie loquitur? Maiori vero accuratione in hac historia opus non fuisse, nemo, ut opinor, negabit. Idem dicendum est de loco Luc. III. 23. Et profecto verosimile non est, Apostolis, qui tres integros annos cum Domino vixerant, qui matrem eius, Virginem Mariam, familiariter cognitam habebant, veram Christi aetatem perspectam exacte non fuisse. Sed res et consuetudo ita tulit, ut hunc in modum scriberent. Idem igitur

omnino dicendum quoque est de aliis illis locis, quos *Grotius* adduxit. Et an non illae locutiones, quae ibi occurrunt, nobis omnibus, in consimilibus circumstantiis, in hunc usque diem oppido familiares sunt? An non etiam in scriptis diligentissimorum et laudatissimorum auctorum saepiuscule occurrunt? Et ibi tamen neminem offendunt. Nodum igitur profecto in scirpo quaerunt, quibus locutiones, gentibus omnibus frequentissimo usu tritae, scrupulum movere possunt.

§ 17. *Epilogus.*

Non invitus omnes hasce obiectiones *Iohannis Clerici* et *Natalis Alberti Versei*, hi enim feruntur esse illarum auctores, percurri et ab omni parte excussi, ut hinc quidem intelligatur, quibus armis auctoritas Euangelistarum Divina oppugnetur, illinc vero manifestum evadat, quibus fundamentis nitatur, quamque solida ac immobilis sit eorum in omnibus, quae scripsere, infallibilitas. Si partem faciunt illius Scripturae Canonicae, quae in perpetuam credentium institutionem et aedificationem Ecclesiae a Deo concredita est, uti ea de re sine incredibilis temeritatis nota dubitare non licet, eorum historia utique in omnibus est Θεόπνευςος. Hoc testatur Scriptura, id confirmat pia et meditata Historiae Sacrae lectio et attenta consideratio. Inde pendet consolatio iucunda et certa in animis omnium eorum, apud quos Verbum hocce Christi copiose et in omni sapientia habitat.

THE-

THESES THEOLOGICAE CIRCVLARES AD ILLVSTRANDAM *CONFESSIONEM* ELECTORIS BRANDENBVRGICI GLORIOSAE ET BEATAE MEMORIAE *IOHANNIS SIGISMVNDI* [*].

Thesis 1. Confesſionum et Symbolorum uſus in Eccleſia est ſine dubio antiquisſimus, isque in ipſis Eccleſiae primordiis videtur ab Apoſtolis esſe introductus.

2. Confesſiones, publica auctoritate conſcriptae et corroboratae, non modo inſignem utilitatem habent, ſed perſaepe etiam ſunt necesſariae.

3. Necesſitas illa tum inprimis omnibus conſpicua est, quando res ita poſtulat, ut aut doctrina Eccleſiae accurate explicetur, aut fidei ratio reddatur, aut adverſariorum ſiniſtrae ſuſpiciones atque apertae calumniae removeantur.

4. Confesſiones, ubi publica auctoritate communitae ſunt, non privatorum hominum opiniones refe-

---

[*] Ad publicam diſceptationem, reſpondente *Ferdinando Stosch*, propoſitae ſunt hae Theſes in Academia Francofurtana anno 1738.

ferunt, fed doctrinam Ecclefiae, quae ex huiusmodi Confesfionibus diiudicanda est, exhibent.

5. Adeoque non tam fefe habent inftar *normae*, ad quam exigenda fit fides ad falutem necesfaria, quam potius *testimonii* de doctrina, quam et qualem Ecclefia profitetur, et pro fua agnofci haberique cupit.

6. Ex eo tamen fequitur, doctores publicos, qui in Ecclefiae alicuius communione vivunt, eoque non modo illius doctrinam profitentur, fed aliis etiam tradere debent, ad fubfcribendum Confesfionibus Ecclefiae fuae recte et legitime adigi posfe.

7. Subfcriptionum huiusmodi ufus, a tempore Concilii Nicaeni primi, in tota Ecclefia ubique obtinuit.

8. Quando autem ad fubfcriptionem folemne iuramentum adiungitur, obligatio illa, quam fubfcriptio, fub fide Paftorali facta, iam per fe involvit et fecum vehit, luculentius et difertius tantum declaratur.

9. Omnes Confesfiones Ecclefiarum Chriftianarum, quia in eo tantum verfantur, ut verum Scripturae fenfum de his vel illis fidei articulis oftendant et explicent, admitti non posfunt, nifi quatenus cum Scriptura confonant, et genuinam eius mentem referunt.

10. Alioquin fublata re ipfa Scripturae auctoritate, Confesfiones in illius locum fubftituerentur, et reverentia foli Dei Verbo debita, in verba hominum transferretur.

11. Ideoque hoc ipfum Confesfio B. Electoris *Iohannis Sigismundi* conceptis verbis et diftincte inculcat.

12. Qui tamen Confesfioni alicui fciens prudens iurato fubfcripfit, fi confcientiae fuae confultum cupit, et iurisiurandi memor vivere vult, contrarium eius, quod tradit Confesfio, publice docere, religioni fibi ducet.

13. Vt

13. Vt Confesſio in Eccleſia pro tali habeatur et reverenter ab omnibus agnoſcatur, intervenire non modo poteſt, ſed etiam merito debet auctoritas Principum et legitimi Magiſtratus. Sunt enim a Deo conſtituti *nutritii Eccleſiae*, ideoque ipſis incumbit, omnia, quae ad ſalutem Eccleſiae conducunt, pro viribus conferre et procurare.

14. Id tamen ſic fieri debere, ne in rebus, quae ad esſentiam religionis ſpectant, conſcientiae cuiusquam vis inferatur, Verbum Dei iubet, et ratio praecipit.

15. Iure hoc uſi ſunt pii Iudaeorum Reges, *Aſa*, *Ioſaphat*, *Ezechias*, *Ioſias*; idem ius ſibi vindicarunt Imperatores Chriſtiani, *Conſtantinus* M., *Theodoſius* uterque, *Marcianus*, *Iustinianus*, aliique.

16. Cumque poſtea ius iſtud artibus Pontificum Romanorum multis modis vehementer imminutum, et Principibus tantum non ereptum plane esſet, iisdem in Reformatione Eccleſiae merito reſtitutum eſt.

17. Idque non ex pactione aliqua, cuius virtute Principibus Proteſtantibus in Germania iura Epiſcopalia concesſa fuisſent, ſed quia Principes ab ipſo Deo toti Reipublicae, in qua ineſt Eccleſia, praepoſiti ſunt, quia ſunt cuſtodes legum, quia ſunt omnis iuſti, aequi, et boni ordinis vindices, quia denique ſalus Reipublicae ipſorum fidei concredita eſt.

18. Symbola et Confesſiones veteris Eccleſiae Catholicae Proteſtantes, ut teſtimonia ſuae cum illa communionis eiusdemque fidei, libenter retinuerunt, et magnopere venerantur.

19. Inter ea primum locum habet *Symbolum* quod dicitur *Apoſtolicum*, cuius initia concepta fuisſe videntur tempore Apoſtolorum, quod poſtea, occaſione haereſeon in Eccleſia exortarum, varia cepit incrementa, et in illam formam, quam nunc habet,

feculo IV redactum est, quodque hodie omnibus nominis Chriftiani focietatibus commune et venerabile est.

20. Huic adiunxere veteres *Symbolum Nicaenum*, ut in Concilio Conftantinopolitano locupletatum fuit, quo doctrina Ecclefiae Catholicae, de Divinitate Filii Dei et Spiritus Sancti, brevibus, fed perfpicue traditur.

21. Sequuntur Symbola, quae in Confesfione B. Electoris appellantur *Ephefinum*, et *Chalcedonenfe*, quibus doctrina de incarnatione Domini, de una eius Perfona, duabusque naturis, ita explicatur, ut fimul hinc *Neftorianismus*, illinc *Eutychianismus* reiiciantur.

22. Symbola haec, ut quae finceram Scripturae Sacrae de articulis fidei gravisfimis doctrinam complectuntur, Ecclefia vetus Catholica tota, et Orientalis et Occidentalis, fumma veneratione profecuta est, et pro testimoniis et Confesfionibus fidei fuae facrofanctis haberi voluit.

23. Idem de *Symbolo*, quod *Athanafii* vulgo audit, dici non potest. Illud non ab Athanafio, fed diu post obitum eius a fcriptore Latino compofitum fuisfe, certum est. In Ecclefia porro Graeca nullam umquam, in Occidentali vero vix aliquam ante feculum XII nactum est auctoritatem.

24. Videtur etiam a nobili fimplicitate antiquiorum Symbolorum non parum recedere, et doctrinam de myfteriis fidei argutis Scholafticorum fubtilitatibus exornare et circumvolvere.

25. Cum tamen a feculo XII Symbolis Ecclefiae Occidentalis annumerari coeperit, neque quidquam contineat, quod admitti non posfit, Proteftantes merito hic nihil novandum esfe putarunt, fed Symbolum hocce una cum reliquis ab Ecclefia acceptum retinuerunt.

26. Quia

26. Quia vero iidem ab Ecclesia Pontificio-Romana coacti secessionem fecere, novis utique Symbolis et Confessionibus opus habuere, quibus discessionis suae rationem redderent, fideique suae puritatem et cum Literis Sacris convenientiam omnibus exponerent.

27. Symbolum Protestantibus omnibus in Germania commune est illustris *Augustana Confessio*, quae A. 1530 in Comitiis Augustanis Imperatori Carolo V in augustissimo tot Regum, Principum, Procerum et Ordinum Germaniae consessu oblata fuit, cuique posthac omnes, Reformati non minus, quam Lutherani subscripsere, hodieque subscribere solent, in Academiis Germaniae etiam, qui publico Doctorum Theologorum munere funguntur, iurato.

28. Quamvis autem Reformati nostri Confessionis huius illam editionem, quae a Philippo Melanchthone postea quibusdam in locis correcta est, eoque *variata* nominari consuevit, aliquamdiu priori praeferre soliti essent, iudicant tamen, differentiam inter utrumque exemplar haud esse summi momenti, ideoque citra cunctationem priori *invariatae* haud inviti subscribunt.

29. Idem pretium Confessioni huic statuunt Reformati quoque extra Germaniam, etsi nullum ex illius usu emolumentum sperare possint, huiusque suae sententiae argumentum longe clarissimum extare voluerunt, dum in Syntagmate Confessionum suae Ecclesiae, illi etiam locum inter suas dedere.

30. Quare causa nulla est, cur Reformati, praesertim in Germania, pro Confessionis Augustanae Sociis haberi non debeant.

31. Vti vetus Ecclesia ad conservandum tanto facilius unitatis vinculum a multiplicandis Symbolis sollicite abstinebat, ita putamus etiam, Ecclesiae Euangelicae conducibile inprimis futurum fuisse, si Protestan-

teſtantes omnes, una Auguſtana Confesſione contenti, eoque fidei, pacis et charitatis vinculo inter ſe conſtricti, communionem ſanctorum in una Eccleſia colere voluisſent.

32. Etſi enim tum in una Euangelicorum Eccleſia, quaedam tamen fuisſet ſententiarum in articulis nonnullis diſcrepantia, alterque alterum puriori, uberiori, diſtinctiori, certiori, cognitione antecelluisſet, illa tamen conceptuum diverſitas, et diverſa cognitionis menſura, legitimum per ſe unitatis et pacis Eccleſiaſticae obſtaculum cenſeri non poteſt.

33. Id enim in omnibus Eccleſiis et ſocietatibus religioſis ſemper uſu venisſe, et hodieque uſu venire, certo certius eſt. Neque aliud in hac Eccleſia militante patitur indolis et ingenii hominum ratio.

34. Indulgebunt ſemper Theologi conceptibus ſuis circa articulos fidei, idque ubi in timore Domini fit, ad incrementa cognitionis Chriſti conferre poteſt, ſalva tamen interim manente et eadem ipſa religionis ſubſtantia et medulla. Et illi conceptus pro diverſitate hominum et ingeniorum non posſunt non esſe varii et multiplices, qui uniuscuiusque meditationi et iudicio tuto relinqui posſunt. Nobis itaque videtur, id quod fidei, religioni et Eccleſiae Euangelicae fundamentale eſt ac esſentiale, in Confesſione Auguſtana perſpicue et plene traditum esſe, et in eo Reformatos cum Lutheranis, quantum id communionis Eccleſiaſticae ratio exigit, amice ſatis conſpirare.

35. Quoniam autem Deo viſum eſt permittere, ut Proteſtantes, propter aliquem in doctrina et ritibus Eccleſiaſticis disſenſum, communionem Eccleſiae mutuam ſublatam voluerint, et coetus ſeparatos coluerint, fieri aliter non potuit, quam ut nova fidei Symbola conderentur, Eccleſiae utriusque diſtinctae

tes-

tesſerae, quae nervum articulorum controverſorum dilucide oſtenderent.

36. Inter huiusmodi Symbola nobis illa videntur aliis praeferenda, quae numerum articulorum in controverſiam vocatorum non augent, ſed minuunt, quique disſenſum circa ſingulos articulos non amplificant, ſed contrahunt.

37. Huius indolis esſe *Confesſionem* Electoris *Iohannis Sigismundi*, praeſertim ſi illa, ut volunt edicta Electoralia et Regia, cum Actis Colloquii Lipſienſis conferatur et ex illis explicetur, fatebitur, quisquis eam meditate perlegerit.

38. Quare ſi quis momenta disſenſus, qui inter Euangelicos adhuc ſuperest, uti hic fideliter et diſtincte recenſita ſunt, attente et pie expendet, rationem idoneam non facile perſpiciet, quae unionem Eccleſiaſticam inter Proteſtantes merito impediat et remoretur.

39. Quod enim ad ſubtilem illam et intricatam doctrinam de *Perſona Chriſti* attinet, apparet, nullum in illa disſenſum realem inter Euangelicos remanere, niſi hunc, utrum locutiones illae abſtractivae, *carnem Chriſti esſe omniſciam*, *omnipotentem*, *omnipraeſentem*, *propter unionem perſonalem*, cum forma ſanorum verborum congruant, ac citra periculum erroris recte et legitime adhiberi queant, quod affirmant Lutherani, negant Reformati.

40. Sed quando tamen audimus, Lutheranos hancce ſuam doctrinam ita intellectam velle, ut nulla hic cogitetur proprietatum utriusque naturae confuſio et permixtio, ut omniſcientia, omnipotentia, omnipraeſentia, in Chriſto minime ſit duplex, ſed una tantum, eaque non inhaereat in natura humana, ſed tantum in Divina, et ex illa non egrediatur, vix aliter iudicare posſumus, quam hunc esſe genuinum locutionum illarum ſenſum, *Chriſtum hominem*, *per Di-*

Divinitatem sibi personaliter unitam, *esse omniscium*, *omnipotentem*, *omnipraesentem*. Quod sane doctrinae Reformatorum non adversatur.

41. Malunt tamen Reformati in tradendo hoc Mysterio locutionibus uti Scripturariis, perspicuis, simplicitate sua se commendantibus, ad captum omnium accommodatis, et a subtilitatibus Theologiae Scholasticae repurgatis.

42. De *Baptismo* est illa concors Euangelicorum omnium sententia, esse illum *Sacramentum initiationis*, *lavacrum regenerationis*, et *ablutionem peccatorum*.

43. Quando de Baptismo adultorum sermo est, idem pariter Euangelici omnes sentiunt, neminem ex illis actu regenerari, et privilegiis regeneratorum frui, nisi qui fide vera et viva tantum beneficium amplectitur.

44. Qualem vero effectum Baptismus in infantibus producat, libere disquiri posse censent Reformati, utpote qui, salvo unitatis Ecclesiasticae vinculo, diversis hic cogitationibus indulgent, quidam etiam a Lutheranorum sententia alieni non sunt.

45. Exorcismum Baptismalem primis iam seculis novimus ab iis in Ecclesiam invectum fuisse, qui firmiter credebant, corpora infantum ab impuris spiritibus obsideri et occupari, donec ab illa tyrannide per Baptismum adiuncto exorcismo liberentur. Idque ipsa Exorcismi verba satis videntur declarare. Quod cum analogiae fidei, ipsique experientiae evidenter repugnet, cum a Protestantibus omnibus sententia talis reiiciatur, maiores nostri ritum, sententiae illi superstructum, plane omittendum esse duxerunt.

46. Habemus in eo consentientes multos Ecclesiae Lutheranae Theologos, praesertim magnos illos Heroas, *Martinum Chemnitium* et *Iohannem Gerhardum*, qui censuerunt, *propter causas non contemnen-*

nendas, non inutile fore, ut Ecclesia libertatem suam ipso facto demonstret, et Exorcismum abroget, utque doctrina de peccato originis, de potestate et regno Satanae et de Baptismi efficacia, aliis verbis, Scripturae magis consentaneis, proponatur et explicetur.

47. Quod summi hi Theologi Ecclesiae suae suaserunt, nostri Reformatores re ipsa effecerunt, ac libertate sua usi sunt. Nos vero in illos ex Euangelicis, qui Exorcismum hucusque retinent, iudicium nobis nullum arrogamus.

48. Baptismi in Ecclesia Christi necessitatem uno ore Euangelici omnes tuentur adversus eos, qui putant, rem esse indifferentem. Iidem tamen necessitatem hanc docent esse non absolutam, sed hypotheticam, ita ut non privatio, sed contemtus Sacramenti istius damnet. Quamobrem limbum infantum, quem Romana Ecclesia infantibus sine baptismo mortuis exstruxit, Lutherani cum Reformatis iisdem plane argumentis destruunt.

49. Ex hoc porro nostri id consequi putant, ut, ubi non adsit ordinarius a Christo institutus minister et dispensator Sacramenti, Sacramenti administratio rectius omittatur. Nam tum nullus Sacramenti contemtus aut neglectus locum habet.

50. Administrationem Coenae Dominicae nostri cupiunt esse, quantum fieri potest, institutioni et administrationi ipsius Domini simillimam. Idcirco exemplo Christi non alio pane hic utuntur, quam qui in mensis, ad satiandum corpus, ab omnibus adhibetur, illumque frangunt. Faciunt id tanto libentius, quia praxin Domini et nostram praxis Apostolorum, et praeterea analogia Sacramentalis, egregie confirmat.

51. In S. illa Coena, quando secundum institutionem Domini administratur, adesse verum corpus Chri-

Chriſti credimus, idque Confesſiones Eccleſiae noſtrae non obſcure loquuntur.

52. An non Confesſio haec ſufficere deberet? Si vero a nobis porro exigatur, ut diſtinctius declaremus, qualem praeſentiae modum in hoc Sacramento concipiamus, regerimus, corpus Chriſti adesſe vere eo modo, quem indoles Sacramenti, quem inſtitutio et promisſio Chriſti requirunt.

53. Quaerimus vicisſim ex Euangelico-Lutheranis, quemnam ipſi hic cogitent praeſentiae modum, idque reſponſum ferimus, adesſe corpus Chriſti vere, realiter, in, cum, et ſub pane, ſed ſe removere tamen transſubſtantiationem, concomitantiam, conſubſtantiationem, coëxiſtentiam, inexiſtentiam, praeſentiam omnem expanſivam et localem, uno verbo, omnem illum praeſentiae modum, quo corpus in aliquo loco praeſens esſe dicitur.

54. Quis talem praeſentiam corporis Chriſti non ambabus manibus amplectatur? An vero vitio verti nobis poterit, quod talem praeſentiae modum, quem libenter amplectimur, et qui certe, fatentibus etiam *Gerhardo* et aliis inſignibus Eccleſiae Lutheranae Theologis, *non* est *corporalis*, appellemus *ſpiritualem?* Et in eo tamen huius controverſiae cardo unice vertitur. Ex eo etiam iudicium de reliquis controverſiae huius propaginibus totum pendet.

55. Nam ſi verum Chriſti corpus adest quidem in S. Coena, ſed ſpirituali modo, ſequitur per ſe, illud non percipi, niſi ſpirituali modo, id est, organo fidei.

56. Sequitur etiam, indignos, quibus nullum ſpirituale fidei organon ſuppetit, ſe ipſos communione corporis Chriſti privare.

57. Etſi enim non nudus panis, nec commune vinum ipſis offeratur, ſed ſanctum a Chriſto inſtitutum Sacramentum corporis ſui, cuius impia profanatio ſine

fine dubio damnationem post se trahit, ipsi tamen sua culpa Sacramenti huius efficaciae obicem opponunt, adeoque, ut loquebatur *Augustinus*, *edunt panem Domini*, *non panem Dominum*.

58. De eo igitur, utrum corpus Christi Domini percipiatur in Coena oraliter ac spiritualiter, an manducetur ab omnibus, an vero a dignis tantum, disputatur adhuc dum inter utriusque Ecclesiae Theologos. Ego tamen, ubi non nudis tantum verbis inhaereo, sed ad mentem Theologorum Lutheranorum sollicite attendo, iudicare cogor, tantum hic non esse sententiarum divortium, quantum prima fronte apparet.

59. Arcanum illud et arduum Dei consilium, de ultimis finibus omnium hominum, quod *Praedestinationem* vocamus, eo fine Deus in Ecclesia annunciari et explicari vult, ut *omnes ubique homines ad resipiscentiam et fidem convertantur*, Actor. XVII. 30, 31.

60. Docemus igitur, Deum ex aeterno suo consilio *Filium suum dedisse mundo*, et hunc praestituto tempore in passione et morte *tulisse* et expiasse *peccata totius generis humani*, in Adamo lapsi, ut, qui credit, habeat vitam aeternam, qui non credit, eo quod non credit, damnetur.

61. Qui igitur credit in tempore, ab aeterno est electus ex sola gratia et misericordia Dei, ut credat, ut multos fructus ferat in Christo, et fructus illi perseverent in aeterno. Vbi autem nulla est fides vera et viva, ibi de electione cogitare absurdum esset.

62. Summa doctrinae de Electione et Reprobatione haec est: *Demeritum peccati est mors: Donum autem gratiosum Dei est vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro*, Rom. VI. 23.

63. Veritates hae inter Euangelicos possunt et debent

bent doceri ac adſtrui in Spiritu charitatis et pacis. Diſſenſus enim circa illas talis eſt, ut in fratre utique tolerari poſſit, ſive hinc ſive illinc error committatur. Et ſi rem in timore Dei recte putamus, vix aliae poterunt nobis, quam huiusmodi ſubnaſci cogitationes: *Ne quaeſo ſit contentio inter me et te, aut paſtores meos et paſtores tuos, nam viri fratres ſumus*, Gen. XIII. 8.

64. Conamina, quae ad conciliationem et pacificationem Euangelicorum tendunt, veram Chriſtianismi indolem reſpirant, decent Euangelicos, honorem Dei et ſalutem Eccleſiae promovent. *Beati ſunt pacificatores, vocabuntur enim filii Dei.*

OB-

OBSERVATIONES

DE ORDINE DECRETORUM DEI.

§ 1. Quia Decreta Dei ſunt multiplicia et plura eorum obiecta, plures itidem partes habent, quas ut diſtincte percipiamus, unum alteri necesſario ſubordinari debet, aut inter Decreta Dei ordo equidem est conſtituendus; ex quo ordine, quod etiam ex hac diſtinctione patebit, multa omnino dependent. Caeteroquin fatemur lubenter, in Deo Patre non esſe prius ac poſterius, ſed Deum omnia uno ictu et actu intelligere, et uno purisſimo actu decernere, ſed nos de illis Decretis non aliter posſumus quam per partes disſerere, et ut noſtra disſertatio ipſi operi Dei huiusque perfectionibus conveniens ſit, aptus et decens ordo inter varia decreta eſt conſtituendus, et is ſine dubio optimus eſt, quem ipſa executio decretorum nobis indicat manifeſtatque: quis enim dubitat, quin res, uti a Deo ab aeterno fuerant decretae, ita etiam in tempore iuxta illum Decreti ordinem quoque executioni ſint mandatae: ut autem intelligatur, quantum momentum ſitum ſit in apta et concinna decretorum Dei ordinatione, varia Proteſtantium de iſto ordine ſyſtemata breviter exponam.

§ 2. Primum ſyſtema nobis ſiſtit, quod vulgo dici ſolet *ſupralapſariorum* ab hypotheſi, quia Theologi

 illi,

illi, qui ita vocantur, in ordinando decreto praedestinationis adscendunt supra hominis lapsum, quin et creationem: rem enim ita concipiunt, Deum homines omnes prius praedestinasse vel ad aeternam gloriam vel ad aeternum exitium, quam de eorum vel creatione vel lapsu committendo decretum condidisset; sic illi ordinem decretorum disponunt et dicunt, Deum omnium primo consilium cepisse

1. Manifestandae gloriae suae, et quidem summae gratiae in quibusdam citra meritum ad summam aeternamque beatitudinem transferendis et pariter summae iustitiae in aliis ad exitium condemnandis;

2. Deum porro, ut consilium hoc, salvis perfectionibus suis, exsequi posset, decrevisse se velle mundum condere, hominem creare, eumque in huiusmodi circumstantiis collocare, ut ad lapsum efficacissime sollicitaretur, velle se etiam lapsum hunc permittere, et in primo homine reum constituturum genus humanum;

3. Deum porro constituisse, se velle ex genere humano, quod sibi iam obversabatur ut lapsum, aliquos eligere ad aeternam salutem, ad gloriam gratiae suae et misericordiae: alios vero et quidem longe plurimos in miseria ita relinquere, ut aliquando iuste condemnarentur ad laudem iustitiae suae;

4. Vt vero Deus posset homines peccatores, salva iustitia sua, aeternae suae beatitudinis participes facere, dicunt, eum Christum constituisse electis in redemtorem, hunc electis dedisse ad eius communionem, ipsos per Spiritum S. efficaciter voluisse vocare, inde donare iustificatione ac sanctificatione, et aeternum glorificare; reprobatos vero sapienter et sancte gubernare, et aeternum iuste condemnare.

§ 3. Hic decretorum ordo, quem sibi constituunt supralapsarii, in nulla Reformatorum confes-

fessione continetur, neve ullo libro ipsorum symbolico probatur: a quibusdam autem doctrina haec aperte satis reiicitur, ut non possit dici doctrina Reformatae Ecclesiae, sed tantum privatorum quorumdam, qui in illius communione vivunt; et certe ego aliter censere non possum, quam doctrinam hanc

1. Repugnare conceptui, quem habemus de bonitate Dei; nam secundum hoc systema Deus longe maximam generis humani partem ideo creasset, ut illud aeternis cruciatibus addicere posset;

2. Conceptui, quem habemus de sanctitate Dei; nam secundum hoc systema Deus ideo hominem creasset, ut laberetur, et ut ex lapsis hominibus aliquos aeternum salvare, aliquos condemnare posset, adeoque uno verbo, homines creavit et destinavit ad peccatum, ratione habita ad propriam eorum voluntatem;

3. Conceptui, quem habemus de iustitia Dei; nam si hos Theologos audimus, Deus omnium primo voluit homines condemnare, qui ipsi obversabantur ut nondum lapsi, quin imo nondum creati, et quos eo tantum crearet fine, ut posset damnare, et quidem ad peccatum creare voluit;

4. Quin imo repugnat sano conceptui, quem de praedestinatione habemus; ipsa enim praedestinatio est quorumdam electio, aliorum vero reprobatio; uterque igitur actus supponit homines peccato iam immersos et miserrimos: finis iam praedestinationis respectu electorum est manifestatio summae et immensae gratiae, haec autem supponit homines miserrimos: respectu vero reprobatorum est manifestatio summae iustitiae vindicativae; huius vero obiectum esse non possunt, nisi peccatores poena iam digni, alioquin actus ille non est actus iusti iudicis.

§ 4. Nec iuvat supralapsarios obiecisse

1. Ex ratione hunc canonem, quod primum est in intentione, est ultimum in executione, unde sic con-

concludunt, primum omnium decretorum Dei fuisse praedestinationem, quia illud ultimum fuit in executione.

2. Nec plus iuvant supralapsarios loca quaedam Sacrae Scripturae, verbi gratia, Prov. XVI. 4, Rom. IX. 17—20, etc., nam in his locis id tantum adstrui videmus, Deum peccatores punire propter se ipsum, hoc est, ad laudem iustitiae suae, aut Deum ex hominibus peccatoribus pro libero suo beneplacito posse unum eligere, alterum in condemnatione relinquere, quod salva nostra doctrina lubenter concedimus. Ad primum quod attinet, ut alia, quae huius argumenti vim prorsus enervant, nunc taceam, id tantum dici potest de decreto tali, cuius omnes partes inter se connexae, in quo unum decretum semper est finis prioris, maxime unum communem finem habent, sed id dici non potest de decreto creationis et praedestinationis; haec decreta fines habent non communes, sed plane diversos: finis creationis est manifestatio bonitatis, sapientiae et potentiae Dei; finis vero praedestinationis est manifestatio gratiae et iustitiae divinae.

§ 5. Succedat huic systemati illud *infralapsariorum particularistarum*, doctorum virorum Ecclesiae nostrae: illi ordinem decretorum talem concipiunt:

1. Deum ab aeterno decrevisse se velle mundum et in eo hominem condere;

2. Deum, cum praevidisset hominem recens conditum a seductore tentatum et ad lapsum inclinatum iri, lapsum hunc voluisse permittere, unde genus humanum constitutum sit sub reatu;

3. Deum ex genere humano lapso quosdam ad salutem aeternam elegisse, alios vero pro summa sua potestate in miseria sua reliquisse, non elegisse, vel reprobasse.

4. Deum, ut electos salva iustitia sua in gratiam re-

recipere et aeternum beare posset, decrevisse ipsis Christum mediatorem, et fidem in illum per Spiritum S. actu conferendam, ut sic iustificari et sanctificari, etiam certo in aeternum glorificari possent.

§ 6. Ex his intelligitur,

1. Cur illi Theologi vocentur *infralapsarii*, quia nempe in disponendo decreto praedestinationis infra lapsum subsistunt; iam ergo concipiunt, hominem in decreto Dei ei primum obversatum fuisse ut hominem lapsum, et deinde Deum de isto decretum condidisse aut eligendo aut reprobando.

2. Intelligitur, cur vocentur *particularistae*, quia nempe concipiunt, Deum homines quosdam ad salutem elegisse, aliis penitus reiectis et praetermissis, et deinde divinum his decretum esse mediatorem, quippe ex quo necessario sequitur, respectu huius mediatoris nullo modo nulloque sensu decretum posse esse universale, sed particulare ad solos electos pertinens.

§ 7. Nunc accedimus ad *universalistas*, cuius nominis ratio ex ordine decretorum, qualem illi constituunt, per se facile intelligitur; et primo quidem loco exhibebimus systema *universalistarum Lutheranorum*, qui decreti praedestinationis hunc esse concipiunt ordinem,

1. Deum decretum condidisse de condendo mundo et homine in mundo;

2. Deum praevidisse, eum hominem a tentatore sollicitatum et sibi relictum lapsurum esse, voluisse lapsum permittere, ut posset gratiam et misericordiam exercere; sed

3. Illico tamen generis humani lapsi misertum fuisse, illique mediatorem sive secundum Adamum, per quem homines in pristinum statum restitui possent, decrevisse sub conditione fidei et resipiscentiae;

4. Deum, ut hoc consilium modo se decenti exsequi posset, voluisse omnes atque singulos homines revocare ad communionem Christi, partim per vocem conscientiae, partim per vocem Euangelii, voluisse etiam omnibus atque singulis dare certam gratiae mensuram praevenientem (ut loquuntur), qua si homines bene utantur, accipient mensuram gratiae uberiorem, quam nonnulli praeparantem, alii alio nomine appellant, et si hac quoque homines recte utantur, conferri tunc in illos gratiam convertentem et cooperantem itidem salvificam, ita ut certo salventur: et possunt ex ista gratia excidere quidem totaliter, sed non finaliter, ut certissime salutem aeternam consequantur; reliqui vero, qui gratia accepta abutuntur, per varios gradus sibi ipsis comdemnationem accelerant; et hos, quos Deus ita praevidit credituros, esse electos ad vitam aeternam.

§ 8. Venio nunc ad *universalistas Reformatos*, inter quos nonnulli vocantur *subiectivi*, quia volunt, omnia et singula subiecta inter homines vocatos esse gratiae alicuius divinae participes, quae ipsos praeveniat. Hoc systema plerique suum fecerunt, qui in hac Academia docuerunt, et sub nomine *universalistarum* innotuerunt; illi itaque ordinem talem constituunt, qualem Lutherani, sed inter ipsorum et Lutheranorum systema hoc intercedit discriminis:

a. Lutherani dicunt omnibus atque singulis hominibus gratiam praevenientem sic esse communem, ut ex illius bono atque legitimo usu pendeat uniuscuiusque salus.

Reformati vero agnoscunt quidem unam gratiam aliquam universalem praevenientem, quam etiam sufficientem vocant, sed per illam tamen credunt neminem actu salvari; vocant sufficientem, quia in se sufficiens utique esset, nisi homo esset corruptus

et

et depravatus, at vero dicunt per illam gratiam neminem salvari, nisi ad hanc gratiam alia accedat gratia particularis, quam vocant efficacem.

b. Lutherani dicunt, hominem eligi ad salutem ex fide praevisa, sed

Reformati omnes hoc negant; electio enim iuxta ipsos non pendet ab aliquo merito in homine, sed ex solo arbitrio Dei, qui, cui vult, gratiam efficacem decernit, et per illam homines ad fidem salvificam perducit.

§ 9. Superest systema *universalistarum Reformatorum*, qui vocantur *obiectivi*, ideo, quia obiectum gratiae divinae dicunt esse generale et promiscuum, non tamen addentes gratiam illam omnibus et singulis actu conferri. Hoc systema expoliverunt Theologi quidam Galli, praecipue Academiae Salmuriensis, Amyraldus, Capellus, Placaeus, et his antiquior Camero, et multi alii in nostra Ecclesia adoptarunt: illi sententiam suam sic concipiunt, docentes,

a. Deum decretum condidisse de mundo creando et speciatim homine recto, integro, perfecto.

b. Deum, cum praevidisset hominis seductionem, lapsum permisisse, quem impedire potuerat, ut iam homines omnes ipsi obversarentur ut peccatores.

c. Deum generis humani lapsi misertum esse, illique etiam mediatorem decrevisse Christum, seu secundum Adamum, qui iustitia et obedientia sua homines ad vitam reduceret, ex qua, culpa primi Adami, exciderant.

d. Deum porro consilium hocce suum hominibus patefacere, eosque ad communionem Christi, additis cohortationibus, precibus et comminationibus, voluisse invitare, in Adamo, in Noacho, sed omnium clarissime et efficacissime per Euangelium, ut sinerent se reconciliari cum Deo.

c. Hoc dicunt ſatis futurum fuisſe hominibus, ſi vires mentis eorum esſent integrae; nemo enim ſanae et incorruptae mentis tantam ſalutem ſpreturus esſet: ſed cum nunc homo ſit depravatus, caecus, ſurdus et ad omne bonum mortuus, et ad intelligendum ac amplectendum res coeleſtes requiratur gratia ſupernaturalis, docent, Deum hanc, quam nemini debet, pro arbitrio ſuo libere diſpenſasſe, adeoque aliquos elegisſe ad ſalutem, quos efficaciter vocare, fide ſalvifica donare et per Spiritum Sanctum ſanctificare, et ſic ad aeternam ſalutem certo perducere voluit; alios vero in peccato relinquere et nimia ſua pravitate peccata peccatis cumulantes, ſancte gubernare, et aeternum iuſte condemnare.

§ 10. Ex iſto, quem *univerſaliſtae* ſibi concipiunt, decretorum ordine, facile iam percipitur, qua de cauſa ipſis *univerſaliſtarum* nomen adhaeſerit: etenim

1. Decretum de Chriſto mediatore peccatoribus conſtituendo praeponunt ipſi decreto electionis, per quod poſtremum homines deinde diſcriminarentur iuxta eorum hypotheſin.

2. Decretum Dei de Chriſto dando mediatore non reſpicit peculiariter et particulariter electos, quippe qui etiam iſto decreto Dei nondum concipiuntur diſcreti a reprobis, ſed univerſaliter et totum genus humanum lapſum et per peccatum ſummae miſeriae expoſitum. Cur autem ipſi talem decretorum ordinem concipiant, haſce pro ſe adducunt rationes. (1) Ipſa rei natura teſtatur et poſtulat, ut decretis ſpecialibus de hoc vel illo eligendo praemittatur decretum generale, quod finem et media continet; ſic decretum de creando Adamo, Noacho, etc. ſupponit decretum generale de creando homine eumque proprietatibus naturae ſuae circumſcribendo; eodem mo-

modo si dicam Abrahamum, aut Petrum electum, et per fidem in Christum ad salutem destinatum esse, hoc supponit decretum generale de conditione, quae est fides et resipiscentia. (2) Sacra Scriptura facit mentionem talis decreti generalis, idque vocat consilium Dei, Luc. VII. 30, Act. XX. 27. Illud igitur decretum Dei exponitur Ioh. III. 16, VI. 21. (3) Ideo etiam S. Scriptura testatur, nos esse electos in Christo Eph. I. 4, quod supponit, decretum de Christo dando praecedere illud decretum, quo speciales homines ad vitam eligantur. conf. Rom. VIII. 29. Hoc probe monendum contra Lutheranos, qui dicunt nos electos esse propter meritum Christi, et probare conantur ex Eph. I. 4. Sumus enim electi in Christo, dicit S. Scriptura, non propter eius meritum, sed tamquam in conceptu nostro, quia is est princeps salutis nostrae, Hebr. II. 10, qui salutem quidem nobis meritus est, non autem ipsam electionem. (4) Hinc etiam praeceptum fidei promiscue dirigitur ad omnes, non tantum ex ignorantia Pastorum, sed etiam ex intentione ipsius Dei. Ab omnibus igitur fides in Christum requiritur. conf. Ioh. XII. 36, Matth. XXIII. 37, Act. III. 16, XIII. 48, in quibus fides ab omnibus exigitur, et qui perit, perit ideo, quia non credit in Christum, Ioh. III. 18. Quomodo autem quis adigi potest ad credendum in illum, qui nullum respectum ad illum habet.

§ 11. Argumenta, quibus universalistae gratiae universalitatem probant, nunc omitto, sed tantum moneo, systema hocce habere insignes aliquas praerogativas,

1. Quod in isto omne bonum omnisque salus hominis unice derivetur a solo Deo; et omnis culpa exitii reiiciatur in ipsum hominem solum, ut sit plane inexcusabilis.

2. Quod

2. Quod secundum illud omnia loca Scripturae, sive gratiae universalitatem sive particularitatem inculcent, secundum literam proprie sine ulla torsione et violentia explicari possunt.

3. Quod secundum illud Pastor omnes peccatores maxima cum παῤῥησίᾳ nomine ipsius Dei serio ad fidem et resipiscentiam adhortari possit, et omnem culpam in eorum impoenitentiam reiicere.

THE-

THESES CIRCVLARES [*] EX THEOLOGIA CHRISTIANA DE CREATIONE EX NIHILO.

Thesis 1. Operum Dei externorum, quibus ille omnisufficientiae suae, extra se, specimen dare, eiusque gloriam manifestare voluit, primum est Creatio.

2. Est vero Creatio actus Dei potentissimus, quo omnia, quae non sunt Deus, iuxta stylum Scripturae, Coelum et Terram, et quae his continentur, voluntate sua produxit.

3. Quando de Creatione disseritur, intelligi potest, vel Creatio *prima*, qua sistitur id, quod antea plane non existebat, vel *secunda*, per quam rei iam existenti nova forma inditur.

4. Vtramque Deo vindicare, summa iubet ratio; utriusque in Historia Creationis mentionem facit Moses. Nobis vero hic sermo institutus est de prima.

5. Il-

[*] Publice ventilatae sunt Francofurti ad Viadrum a. 1736.

5. Illam vocamus etiam *Creationem ex nihilo*, respectu nempe materiae ex qua, quam nullam concipimus. Deus itaque in rerum omnium initio, cum praeter eum nihil existeret, res creatas solo voluntatis nutu a non esse ad esse transtulit.

6. Merito actum hunc dixeris omnium, qui a voluntate proficiscuntur, absolutissimum et perfectissimum, qui inprimis testimonium nobis invictum est aeternae illius ac infinitae virtutis et potentiae, quam in suprema rerum omnium Causa veneramur.

7. Est certe actus, qui, infinita et incomprehensibili sua magnitudine, adeo aciem cogitationis obtundit, ut sine Revelatione hominibus ille haudquaquam innotuerit. Nos certe id Fide credere, Divina Revelatione eruditos, conceptis verbis testatur Paulus Hebr. XI. 3.

8. Etsi igitur Theologia Gentilium φυσικὴ, in evolvenda prima rerum omnium origine, atque κοσμογονίᾳ, fere tota versata fuerit, ad hunc tamen immensae potentiae Divinae actum, Creationem mundi ex nihilo, cogitationes mentis suae evehere non potuerunt, sed potius unanimi consensu omnes censuerunt et docuerunt, *ex nihilo* (vel ex non praeexistente materia) *nihil fieri.*

9. Quare illa etiam, quae in Philosophorum istorum scriptis nonnumquam occurrunt, *Mundum esse factum*, vel *generatum*, quinimo *esse ex voluntate Dei*, quae cum doctrina Verbi Dei prima fronte concinere videntur, semper tamen ex ipsorum hypothesibus, Creationi ex nihilo valde inimicis, explicanda esse, viri eruditi iam dudum sapienter monuerunt, et nuper viri doctissimi extra omnem dubitationis aleam posuerunt.

10. Nempe ex illis, qui solam Rationem ducem secuti sunt, quidam putarunt mundum ex Deo proces-

cesſisſe per emanationem, alii crediderunt ipſum mundum, qualis a nobis conſpicitur, Deo ab aeterno coëxtitisſe, alii denique id ſaltem de materia credere nos iusſerunt, etſi forma, quam habet mundus, poſtea eidem ex voluntate Dei accesſerit. Nemo docuit, Deum materiam ipſam mundi ex nihilo creasſe.

11. Primi igitur, in quorum ſcholis Creatio ex nihilo audita est, fuere Hebraei, ab ipſo Deo, de articulo hoc Fidei, per Moſen et Prophetas edocti.

12. Iidem, etiam postquam Prophetia inter ipſos deſiit, hanc tamen doctrinam Religionis revelatae ſtudioſe conſervarunt, cuius rei multa ipſorum ſcripta fidem faciunt.

13. Neque tamen inficias eo, fuisſe inter Iudaeos, praecipue post everſionem Templi et Reip. qui eamdem doctrinam corruperint, mundi modo aeternitatem, modo per emanationem ex Esſentia Divina productionem adſtruentes. Poſterius ſibi perſuadent Cabbaliſtae. Prius, qui Ariſtotelis Philoſophiam nimia veneratione proſecuti ſunt.

14. Ab Eccleſia Iudaica, una cum verbo Prophetico, haec etiam illius doctrina de Creatione ex nihilo tranſiit in Eccleſiam Chriſtianam, in qua Apoſtoli eam tradiderunt, et ut doctrinam Fidei Hebr. XI. 3. commendarunt.

15. Vnde vel per ſe colligere est, doctrinam, quae Apoſtolis tanti momenti viſa est, ab eorum diſcipulis ſollicite conſervatam, et ſedulo traditam fuisſe, quod et ſcripta Patrum omnium, qui de Mundi origine disſerunt, abunde confirmant.

16. Non levem igitur illi ex Socini gregalibus in hiſtoria Eccleſiaſtica imperitiam produnt, qui asſeverare non dubitant, doctrinam de Creatione ex nihilo primis Chriſtianismi temporibus incognitam,

tam, aut etiam a Scholasticis demum confictam fuisse.

17. Tantum enim abest, ut Scholasticis doctrina de Creatione ex nihilo, in acceptis ferenda sit, ut illi potius puram veteris Ecclesiae hac de re doctrinam ex parte incrustaverint, in honorem Aristotelis sui asseverantes, aeternitatem mundi saltem esse possibilem, quod tamen sano sensu concedi illis posse, quidam hac aetate Philosophi et Theologi, cetera non inepti, augurantur.

18. Eadem videtur fuisse eorum sententia, qui diu ante Scholasticos, nimio, aut Platonis, aut Aristotelis, amore capti, de Creatione sic philosophati sunt, ut eorum placita Christianorum auribus insueta, aut etiam indigna hodie videantur.

19. Ego certe persuasus sum, neminem eorum id voluisse, materiam ab omni aeternitate Deo coëxtitisse; sed hoc tantum, materiam primam, multis ante principium Mosaicum seculis, aut potuisse condi, aut conditam vere fuisse, ex qua diu post, in principio Mosaico, Deus mundum fabricaverit, quemadmodum posterius hoc Remonstrantes et Sociniani communiter hodieque tenent.

20. Et est profecto doctrina de Creatione ex nihilo, per solam Dei voluntatem, luculenta Scripturae doctrina, Ps. XXXIII. 6, 9. Hebr. XI. 3. Rom. IV. 17. Apoc. IV. 11. Rom. XI. 36.

21. Idem ex ipsa Creationis historia Gen. I. 1, 2. facile evincitur.

22. Neque vero Ratio in penetralibus suis quidquam invenit, quod doctrinae huic merito opponere queat.

23. Etenim contradictionem non involvit, Deum aliquid sola voluntate ex nihilo producere, vel facere, quamobrem actus ille Potentiae Dei subducendus non est.

24. Quin

24. Quin imo, qui talem actum dari posſe negant, ſibi ipſis certe conſcii ſunt ſpiritus immaterialis, qui aliter, quam ex nihilo, a Deo productus esſe non potuit.

25. At clare repugnat ideae, quam omnes habent de Deo, aliquid esſe aeternum, praeter unum Deum.

26. Repugnat porro plurimis Entis Supremi perfectionibus, quarum conceptum habemus clarisſimum, aliquid esſe extra Deum, quod non ſit a Deo.

27. Nec ulla ratione conciliari poteſt cum indole et natura materiae, ut ſit aeterna, et a ſe, quippe quae attributa a vita perfectisſima Spiritus infiniti ſeparari nequeunt.

28. Nihil itaque eſt tam ab omni vera ratione repulſum, quam quod illi pertinacisſime asſerunt, qui ſe rationis dictamen unice hic ſequi profitentur.

29. Neque vero difficultatibus hisce ſeſe expediunt, qui cum ex antiquioribus, tum ex recentioribus, reiecta materiae aeternitate, ad ſyſtema emanativum confugiunt. Etenim, ſi quid ego video, difficultates hoc pacto non modo non minuuntur, ſed inſigniter etiam augentur.

30. Nihil igitur ſupereſt, quam ut dicamus, totum hoc univerſum, initio, voluntate Dei, ex nihilo prodiisſe, quod nos Revelatio Divina extra omnem controverſiam ponere iubet.

31. Eſt autem perfectisſimi huius et vere admirandi Divini actus conſideratio, minime otioſa, quippe quae nos ad cognoſcendam et adorandam Divinae potentiae immenſam magnitudinem et gloriam etiam invitos maxime impellit, uti olim Davidem, Pſ. XXXIII.

32. Eadem doctrina inſigne eſt verae religionis fulcimentum, quae omne de potentia Dei dubium penitus tollit, et mentem hominis, ad Deum acceſſuri, fide, ſpe et fiducia implet, dirigit, laetifi-

cat, quod de Abrahamo Paulus testatur Rom. IV. 17, 18.

33. Ex illa magno etiam cum gaudio intelligimus, nobisque polliceri possumus, quid Deus in oeconomia gratiae, nunc in spiritibus nostris operari possit, 2 Cor. IV. 6, et quid aliquando in corporibus nostris demortuis operari velit, Rom. IV. 17.

34. Haec igitur doctrina fons quoque est inexhaustus consolationis uberrimae in omnibus adversis. Quibuscumque enim malis premamur, etiam gravissimis, haec tamen manet immota veritas, Patri nostro in coelis nihil omnino esse impossibile.

DIS-

DISSERTATIO THEOLOGICA [*]

DE PECCATO ORIGINALI, PER LVMEN RATIONIS ETIAM GENTILIBVS COGNITO.

§ 1. Gentiles, etſi luce verbi Dei deſtitutos, habuisſe tamen illius mali, quod in ſcholis noſtris *Peccatum Originale* appellamus, aliquam ex lumine rationis notitiam, viri eruditi iam pridem obſervarunt. Equidem fatendum omnino est, gentilibus nec de vera mali huius origine, nec de ſumma eius gravitate et damnabilitate, nec de modo, quo per gratiam Dei id a cervicibus hominum depelli unice potest, aliquid diſtincte et certo conſtitisſe. Sed nec id negari potest, quosdam ex gentilibus rem ipſam perſpexisſe, ipſisque, aliud veluti agendo, ea ſaepe excidisſe, quae ex ratione tantum haurire potuerunt, et quae tamen doctrina Revelationis de re eadem egregie confirmat. Quare operae pretium me facturum esſe putavi, ſi argumentum hoc paulo dilucidius exponerem, et idoneis testimoniis confirmarem.

§ 2.

[*] In lucem exiit a. 1736.

§ 2. Per *peccatum originale* Theologi noſtri intelligunt peccatum a primo homine contra legem Dei commiſſum, quatenus illud cum omnibus ſuis effectis tranſit ad omnes eius poſteros, qui ordinaria generationis lege in lucem eduntur.

§ 3. Sunt autem peccati effecta tria, *macula*, *reatus poenae*, et *poena ipſa*, niſi illa interveniente gratia Dei auferatur. Haec peccati effecta gentilibus nota, et ab ipſis agnita fuiſſe, dubio carere debet.

§ 4. Et de *reatu* quidem, qui, quoniam nobis nihil aliud ſignificat, quam obligationem ad poenam, propter peccatum commiſſum, poenam ipſam per ſe involvit, ambigere nemo poteſt. Hoc enim iuſtitiae convenire omnes agnovere: *Culpam poena premit comes* (*a*). Verum ne id quidem ipſos latuit, peccatum commiſſum poſt ſe relinquere *maculam*, quae menti peccatoris inhaereat, eamque polluat. Elegans eſt profecto illa *Muſonii*, laudatiſſimi e Stoa Philoſophi, ſententia, quam *Gellius* (*b*) adfert, ἄν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μετὰ ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει, *ſi quid turpe feceris cum voluptate, voluptas quidem abit, ſed turpe remanet.* Quale quid, ante hunc Philoſophum, etiam *Cato* dixiſſe (*c*) perhibetur. Hinc ſymbolice docebant, peccata in mente relinquere quaedam ſtigmata, quae poſt mortem in illa appareant, et ex quibus de vita ante acta iudicium ferri poſſit. Prolixe hoc tradit (*d*) *Plato*, ex quo haud du-

(*a*) *Horatius* Carmin. L. IV. Od. V. verſ. 23.
(*b*) Noct. Atticar. Lib. XVI. cap. I.
(*c*) Vide *Fabricii* Biblioth. Graec. Vol. II. p. 406.
(*d*) In Gorgia p. 332, et Lib. X. de Republ. p. 470, edit. Graec. Baſil.

dubiè id accepit *Lucianus*, apud quem (*e*) Rhadamanthus inferorum iudex ita pronunciat: *Quot scelera quisque vestrum in vita perpetravit, tot notas,* (στίγματα) *sed quae non appareant, in anima circumfert.* Eadem de caussa lustratio apud veteres, id est, expiatio graviorum criminum, et potissimum caedis, symbolice ablutione peragi solebat. Quo respicit *Ovidius* notis illis versibus (*f*):

Ah nimium faciles, qui tristia crimina caedis
Fluminea tolli posse putetis aqua!

§ 5. Haec sunt peccati effecta. Ea autem, teste Scriptura, non modo sensit primus homo post peccatum perpetratum, Gen. III. 7, 8, sed eadem etiam, interveniente iusto Dei iudicio, ad posteros suos transmisit, Rom. V. 12, 14, 15, 16, 17; transmisit nempe ad posteros peccati maculam, quae vocatur *peccatum originale inhaerens*, Gen. VI. 5, VIII. 21, Iobi XIV. 5, Rom. III. 23, Ioh. III. 6; transmisit etiam cum macula reatum condemnationis, qui vocatur *peccatum originale imputatum*, de quo Paulus Rom. V, 1 Cor. XV. 21, 22, Eph. II. 3. Id quidem ita distincte non tradiderunt gentiles. Et quomodo potuissent? Sed res tamen ipsa minime eos latuit. Agnoverunt certe multi ex ipsis creationem primi hominis, in statu rectitudinis et bonitatis. Agnoverunt voluntariam et spontaneam hominis a bono defectionem. Agnoverunt eiam aliquam mali huius propagationem. Intellexerunt, homines, post peccatum in mundum introductum, nasci

(*e*) *Lucianus* in Cataplo, Oper. Tom. 1. p. 448, edit. Salmur. Adde Ven. *Elsneri* Observ. sacr. in 1 Timoth. IV. 2.

(*f*) Fastor. Lib. II v. 45.

nafci peccatorum labe pollutos, eaque de caufa malis plurimis in hac vita urgeri. Agnoverunt denique, quod mireris, homini, fi post hanc vitam beatum cum diis in coelo aevum agere velit, remisfione peccatorum, et purificatione, feu fanctificatione mentis ab omnibus fordibus opus habere. Omnia ex ipforum doctrina et fcriptis probabimus.

§ 6. Et primo quidem haec fuit meliorum et fapientiorum ex gentilibus perfuafio, hominem a Deo, non talem, qualis nunc est, concupifcentiae fervum, et ad malum omne proclivem, fed bonum, iuftum et integrum a Deo fuisfe in hac terra collocatum. Quid quaefo aliud fibi volunt vulgatae ac tritae omnibus Poëtarum Graecorum (*g*) fabulae de prima hominum in mundo aetate aurea, qua moribus et indole omnino inculpati, et propter id ipfum malis omnibus vacui, ac prorfus felices et beati fuerint? Sed misfis Poëtis, qui traditiones antiquisfimas fabulis incruftarunt, audiamus potius Philofophos, rationis et confcientiae dictamen folum audientes, interque eos *Ciceronem* potisfimum, virum in omni literarum genere fummum, argumentum noftrum attingentem, ac de eo hunc in modum (*h*) disferentem: *Sequitur igitur ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes*, iuftos natura nos esfe factos —, *tantam autem esfe corruptelam malae confuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur a natura dati, exoriantur que et confirmentur vitia contraria.* Vere et recte id quidem obfervavit Romanorum difertisfimus,

(*g*) *Hefiodus* Operum et Dier. v. 42, 43 et feqq.; *Aratus* Phaenom. v. 100 ac feqq., et inter Latinos *Ovidius* Metam. L. 1 v. 89 feqq.

(*h*) De Legibus Libro 1. [cap. 33.] p. m. 1243.

mus, *hominem natura iuſtum esſe factum.* In eo autem a vero aberravit, quod vitiorum corruptelam, quam in hominibus agnoſcit, non vitio innato, et in ipſa conceptione a parentibus tracto, ut nos Scriptura docet, ſed pravae conſuetudini, cum Semi-Pelagianis, adſcripſerit. *Seneca*, ubi docet, quomodo delendo aliquando mundo per univerſale diluvium, omnia ad primaevum ſtatum reditura ſint, declarat, quid de primorum hominum ſtatu cenſuerit, Quaeſtion. Natur. L. III. fin. *Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inſcius ſcelerum, et melioribus auſpiciis natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, niſi dum novi ſunt. Cito nequitia ſubrepit*, etc.

§ 7. Si iam hoc concesſo, hominem a Deo factum esſe bonum, porro quaeratur, a quonam igitur principio vis et conſuetudo peccandi dimanaverit, nos id ignorare non ſinit Spiritus Sanctus, ex cuius revelatione cognoſcimus, *per unum hominem peccatum, et per peccatum mortem tranſiisſe ad omnes homines*, Rom. V. 12. At nec vetuſtisſima Graecorum Theologia μυθικὴ doctrinae huius ignara fuit. Tradunt enim Poëtae, Prometheum Iapeti filium, nefario auſu, contemta maieſtate et auctoritate deorum, ipſis invitis, ignem coeleſtem, furto ablatum, cum hominibus communicasſe, et ab eo tempore vitam hominum hactenus innocentem et beatam deſiisſe, et in peius mutatam fuisſe. Ecquis in iſta fabula non animadvertat veſtigia ſatis luculenta hiſtoriae Moſaicae? Latent profecto ſub iſtius fictionis cortice praecipuae circumſtantiae ſeductionis et lapſus primorum parentum, ſed quas nunc excutere nec libet, nec licet. Satis mihi erit, uno verbo indicasſe, hanc antiquisſimae Theologiae Graecorum doctrinam post ipſa creationis initia mor-

talem (*i*) unum molimina sua opposuisse voluntati deorum, eoque omne malorum genus in mortales cunctos derivasse. Pertinent huc testimonia veterum de felicitate terrae et hominum in terra, quae lapsum antecessit. Vide *Ovid.* Metam. L. 1. vs. 89. sqq. et inprimis vs. 101. sqq., *Virgil.* Lib. 1. Georg. vs. 125, 126. ac sqq.

§ 8. Ex illa igitur Graecorum Theologia manifesto sequitur, unius Promethei impium facinus sic reliquis hominibus omnibus imputatum a Deo fuisse, ut illis poena eius subeunda omnino fuerit. Ita *Hesiodus* (*k*), cuius verba, compendii causa, ex versione Latina apponam:

Sed Jupiter abscondit victum hominibus *iratus*
suo animo,
Quia ipsum decepit Prometheus versutus.
Quocirca hominibus machinatus est tristia mala.

et quae ibi plura sequuntur. Et cui ignota sunt illa (*l*) *Horatii?*

Audax omnia perpeti,
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem aetherea domo
Subductum, macies, et nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.

Equi-

(*i*) Aut potius dicendum esset *Deum* vel *Daemonem.* Vide *Aeschyli* Prometheum vinctum vs. 14, 29, 37 sqq. Videntur autem Graeci in Prometheo suo simul et serpentem seductorem et hominem seductum adumbrare voluisse.
(*k*) Oper. et D. vs. 45 sqq.
(*l*) Carminum Lib. 1. Od 4111.

Equidem gentiles hi totam imputati primi peccati rationem in eo tantum ponebant, quod homines posthaec calamitatibus, languoribus, ac tamdem morti corporis obnoxii facti essent. Sed quis merito vitio verterit gentilibus, quod, deficiente lumine Revelationis Divinae, hic substiterint, cum videat, hodieque Socini gregales et Remonstrantes, aliud e Scriptura edoctos, hic tamen gradum etiam figere, nec ulterius progredi?

§ 9. Vidimus de peccato originali imputato. Quid vero dicendum fuerit de *macula peccati*, seu *peccato inhaerente*, an et illud, peccato semel in mundum introducto, a parentibus in liberos propagari crediderunt ethnici? Hanc quidem doctrinam paulo obscurius et lutulentius in eorum scriptis tradi, facile observatur, sed sic tamen, ut etiam hic scintillae bonae Rationis defectum Divinae Revelationis aliqua ex parte suppleverint. Operae pretium est observare, nos, quando de macula peccati propagata loquimur, non tantum cum doctoribus Ecclesiae Romanae intelligere maculam aliquam privativam, absentiam videlicet imaginis Divinae et iustitiae originalis, verum etiam maculam positivam, peccatum vere sic dictum, in homine habitans, concupiscentiam vitiosam, et proclivitatem ad malum. Vtramque hanc maculam, et quidem originalem, videntur deprehendisse in homine Philosophi ethnicorum praestantissimi.

§ 10. Inesse nunc hominibus omnibus a natura maculam privativam, absentiam imaginis Dei et iustitiae, nobis ex Scriptura indubie constat: *Omnes peccarunt, et carent gloria Dei*, Rom. III. 23. Si splendeant in quopiam radii Divinae imaginis, si sit vere ornatus iustitia et sanctitate, hoc est per regenerationem et renovationem Spiritus, Ioh. III. 5, Eph. IV. 23, 24, Tit. III. 5. Si rem ipsam spectes,

non valde ab hac doctrina alienos deprehendes Graecae Philosophiae magistros. Quamvis illi ex diversis principiis rationes suas colligerent, quamvis etiam ad unum omnes homini eiusque arbitrio plus aequo tribuerent, id tamen credidere omnes, hominem etsi naturam habeat virtutis capacem, tamen virtute vacuum nasci, eique virtutem a natura non esse insitam. Rem hanc totidem fere verbis tradit *Aristoteles*. *Virtutes*, inquit (*m*), *nobis natura non insunt; sed neque tamen naturae nostrae adversantur. Verum ita sumus affecti, ut ad eas suscipiendas apti simus natura, perficiamur autem perpoliamurque more et consuetudine.* Vno verbo, ita statuebant gentiles, homini a natura nihil re ipsa inesse boni, sed posse tamen eumdem, accedente diligenti institutione, accedente praeterea exercitatione et usu, ad virtutem excitari. *Paulus* statum hominis naturalem, bono et virtute orbatum, vocat *alienationem a vita Dei*, Eph. IV. 18, qua locutione etiam Pythagoraei et Platonici usi sunt. Sunt haec verba *Hieroclis* (*n*): *Est enim mors mentis aversio a Deo et recta ratione, quam sequitur in vita perturbationum et affectuum vehemens colluctatio.* Et paulo ante fassus erat, hunc esse statum omnium hominum a natura, quando corpori iunguntur. Hinc itaque statum hominis naturalem veteres nobis depingunt ut statum turpem et miserum. Egregie, sed nimis prolixe, statum illum turpem describit (*o*) *Plinius*. *Ciceronis* eadem de re locus adeo elegans visus est S. *Augustino*, ut eum Pelagianis, disputans de peccato originali, obiiceret.

Sic

(*m*) Ethic. Nicom. Lib. II. cap. I.

(*n*) In Aurea Carmina Pythagorae p. 14.

(*o*) Praefat. Lib. VII. Histor. Natur.

Sic autem ille (*p*): *In libro tertio de Repub. Tullius hominem dicit, non ut a matre, sed ut a noverca, natura editum in vitam, corpore nudo, fragili et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis.* Parco pluribus, quae in eamdem rem adferri possent.

§ 11. Sed praeter maculam privativam, inesse homini etiam a natura maculam positivam, vitium, concupiscentiam perversam, propensionem ingentem ad malum, et uno verbo, peccatum vere et proprie sic dictum, non minus est luculenta Scripturae doctrina. *Peccatum* ipsum *transiit ad omnes, et cum peccato mors*, Rom. V. 12. *Concipiuntur omnes et gignuntur in peccato*, Ps. LI. 7. Ideo *figmenta omnia cogitationum in ipsis sunt mala ab infantia*, Gen. VI. 5, VIII. 21, et *sunt omnes a natura filii irae*, Eph. II. 3. Istam naturae humanae corruptionem originalem, quam negant etiam hodie Semi-Pelagiani ingenti numero, Gentiles inficiati non sunt. Modo ex *Cicerone* intelleximus, hominem a natura in vitam edi, *animo anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines.* Quid aliud docent nostri Theologi, cum docent, hominem nasci cum concupiscentia vitiosa? *Plutarchus* asseverat, vitiosam cupiditatem non aliunde acquiri, sed domi nasci, esseque naturalem homini; de audiendo p. 66, edit. Stephani. Non minus diserte id *Horatius* affirmat (*q*):

Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

Quod

(*p*) Libro IV. adv. Iulian. cap. XII.
(*q*) Satyr. Lib. I. Sat. III. v. 68.

Quod addita fictione Poëtica, alio loco ſic effert ſymbolice (*r*):

Fertur Prometheus addere principi
Limo (*s*) *coactus particulam undique*
Deſectam, et inſani leonis
Vim ſtomacho apposuisſe noſtro.

Fabuloſam veterum et allegoricam traditionem, ad quam in his reſpicit *Horatius*, vetus eius *Scholiaſtes* ſic exponit: *Fabula est. Prometheus cum ex limo hominem fingeret, ex omnibus animalibus particulas, prout erat eorum natura, homini appoſuit: a leone vim ſumtam ſtomacho, et ideo iracundia magis incendimur: timorem depromſit a lepore; a vulpe aſtutiam: ceteraque a reliquis.* Quis potest esſe alius fabulae huius ſenſus, quam homines ſemina omnium vitiorum in hanc vitam ſecum afferre, eaque ipſis inesſe ab ipſa natura? Philoſophi, inprimis (*t*) Platonici, cum vitioſitatis menti ſuae a natura inhaerentis conſcii esſent, rem ita conceperunt, habere mentem hominis duas partes, unam rationalem, veritatis et virtutis capacem, qua homo posſit ad Deum adſcendere, alteram animalem, in qua ſit feritas quaedam et agreſtis immanitas, in qua ſit appetitus vehemens et inordinatus, et ingens ad iram propenſio. Itaque et illi docebant homini a nativitate inesſe concupiſcentiam malam. Neque aliter

(*r*) Lib. I. Carm. Od. XVI.
(*s*) *Bentleius* mavult *coactam.*
(*t*) De hac Platonicorum doctrina vide *Io. Ba. Criſpi* de Ethnicis caute legendis Diſtrib. II. Lib. VII. p. 299 ſqq. Platonici ſtatuebant tres animae aut partes, aut ſpecies. Sive autem dicas duas, aut tres partes, perinde erit. Vide *Vitringae* Obſerv. Sacr. Lib. III. cap. IV.

ter ſentiebant alii Philoſophi. *Epictetus*, ex Stoicorum placitis disſerens (*u*), fatetur, *ἁπλῶς τὸ ἁμαρτάνειν εἶναι κατὰ φύσιν*, *omnino dicendum esſe, peccare homini esſe naturale.* Quae fuerit Pythagoraeorum doctrina, intelligi poteſt ex *Aureis*, quae ita vocantur, *Carminibus*, extrema praecipue eorum parte, et ex *Hieroclis* in eadem Commentariis; ſed quibus diutius immorari non posſum.

§ 12. Neque vero, ſi diverſas Philoſophorum Graecorum hypotheſes in conſilium adhibemus, adeo difficile ipſis erat, modum indicare, quo propagatio huius vitioſitatis a patribus in liberos fieret. Si enim Pythagoraeos et Platonicos audias, perſuaſum illis erat, mentes iam diu ante praeextitisſe, in illo autem ſtatu a Deo defecisſe, inque poenam huius lapſus in corpus deturbari, et ex illo corporis conſortio plus etiamnum vitiorum et cupiditatum trahere. Verum Stoici, et cum his alii, vitioſitatis humanae originem ex ipſa generandi lege et ratione repetebant. *Zeno* certe ſemen genitale credidit (*v*) esſe *partem et avulſionem animae*, *ſeminis progenitorum temperiem, et mixturam occultam animae partium.* Hinc itaque *Plutarchus*, postquam de morbis tum corporis, tum animae a parentibus ad liberos transmisſis, disſeruisſet, ita rationem (*x*) init: *An ergo corpus e vitioſo natum corpore curare et cuſtodire convenit?* Malitiae innatam ſimilitudinem *in tenera indole germinantem et enaſcentem negli-*ge-

(*u*) Disſert. *Arriani* Lib. I. c. XI, p. 114. edit. Anglic.

(*v*) Ita *Numenius* apud *Euſebium* Praeparat. Lib. XV. c. XX. Confer. *Diogenem Laertium* Lib. VII. Segm. 158, ibique notas virorum eruditorum, et *Plutarchum* de ira cohibenda p. 463. fin.

(*x*) De ſera Numinis vindicta p. 561. fin.

gere debemus, et moras nectere tantisper, dum se effundat, motibusque pravis malignum occultumque animi fructum detegat? An non igitur Philosophi hi doctrinam hanc Scripturae calculo suo comprobant? *Quidquid ex carne gignitur, caro est*, Ioh. III. 6, *Et quis edat mundum ex immundo? ne unus quidem*, Iobi XIV. 5.

§ 13. Quaeri hic merito potest, utrum vitiositas illa, omnibus ab ipsa natura insita, successu temporis extingui possit. Affirmant hoc Theologi Scholastici, eosque secuti doctores Ecclesiae Romanae, qui peccatum originale, quod magis in imputatione primi peccati Adamici, quam in pravitate quadam et corruptione inhaerente collocant, per Sacramentum Baptismi penitus tolli volunt. Aliud nos docet Scriptura, et aliud de eadem re censuerunt etiam gentilium Philosophi. Et primo quidem, quod attinet ad irregenitos, vitiositas ingenita tam altas apud ipsos radices agit, tantas cum tempore vires acquirit, ut dominium grave et triste sibi in hominem vindicet, isque peccati vere servus sit. *Servi fiunt corruptelae, si quidem a quo quis est superatus, huic etiam in servitutem est addictus*, 2 Petr. II. 19. Sic et alibi frequenter Scriptura loqui amat, Ioh. VIII. 34, Rom. VI. 12, 16, VII. 14, Tit. III. 3. Neque etiam ab hac doctrina Philosophi gentilium valde alieni sunt. Solemne enim ipsis est, illos vocare concupiscentiae servos, qui eius illecebris ita capti et victi iam sunt, ut resistere iis non possint. Eleganter servitutem hanc describit *Seneca*, quando, *liber autem est*, inquit (*y*), *qui servitutem effugit sui. Haec est assidua servitus et ineluctabilis, et per diem ac noctem aequaliter premens,*

(*y*) Quaestion. Natur. Lib. III. Praefat.

mens, sine intervallo, sine commeatu. Sibi servire gravissima servitus est. Et hanc servitutem omnibus hominibus velut a natura communem esse, alio loco (z) asserit: *Servus est? Hoc illi nocebit.* Ostende quis non sit. *Alius libidini servit, alius avaritiae, alius ambitioni,* omnes *timori.* Equidem in eo ingens est inter istorum Philosophorum et Scripturae doctrinam dissensus, quod Scriptura quidem testetur, nonnisi omnipotenti Dei gratia tetram hanc servitutem auferri, hominesque in libertatem vindicari posse, Philosophi vero isti censeant, posse hominem quemcumque malum illud propriis viribus, adhibito indefesso studio et diligenti cura, superare et extinguere. Verum quid hoc miramur in gentilibus, solo rationis lumine directis, cum ipsorum vestigia presserint inter ipsos Christianos olim, premantque hodie Semi-Pelagiani?

§ 14. Quodsi vero transeamus ad statum etiam regenitorum, qui iustificati et sanctificati sunt per nomen Domini et per Spiritum Dei, Scriptura nos credere iubet, quod et experientia abunde confirmat, vitii originalis labem ne in illis quidem penitus extingui, sed superesse illius, quoad vivunt, semper aliquas reliquias. Peccatum enim *ipsos circumsistit*, Hebr. XII. 1, et vere *in iis habitat*, Rom. VII. 17. Vnde fit, ut saepe imprudentes labantur, et *errores suos omnes minime cognoscant*, Ps. XIX. 13, et nemo, sine mendacio, se ab omni peccato immunem pronunciare possit, 1 Ioh. I. 8. Non latuit hoc Stoicos, etsi Philosophorum omnium arrogantissimos. Conceptis verbis id fatetur *Epictetus*, quo inter veteres nemo doctrinam de Officiis melius et rationi convenientius tradidit. Quaerit enim alica-

(z) Epist. XLVII.

Sed eamdem lucam agnoſcunt etiam in hominibus honeſtatis et probitatis ſtudioſis, et ad virtutem omni niſu contendentibus. Illam, ut obſervavit nuperus (*d*) ſcriptor ingenioſisſimus, eleganter apud *Xenophontem* (*e*) depingit Araſpes, ſic apud Cyrum profesſus: *Sunt mihi*, inquit, *o Cyre*, *quod accurate perſpexi*, duae Animae. *Docuit me hoc amor adulterinus, ſaevus magiſter. Non ſane est unica tantum anima, eadem et bona ſimul et mala, eodem tempore amans et honeſta et turpia, unum idemque ſimul volens et agere et non agere. Sed ſunt profecto duae animae. Quando igitur bona ſuperior est, actiones eduntur honeſtae et bonae; ubi vero vincit mala, conatur turpia.* Tale quid ſubinnuit *Salluſtius* de Sylla inquiens, Bell. Iugurth. c. 93, *duos in uno homine Syllas fuisſe credideris.* Adde *Valer. Max.* Lib. VI. c. 9.

§ 16. Quodſi iam ea, quae hactenus expoſita ſunt, in unum colligamus, perſpici poterit, quantum gentiles in cognitione peccati originalis, quae nos ad quaerendum Redemtorem impellit, ratione et experientia magiſtra proficere potuerint, et re ipſa profecerint. Si cum illorum doctrina comparetur doctrina quarumdam nominis Chriſtiani ſcholarum, ambigi merito posſet, utra ſit praeferenda. Ita etiam hic videmus dictamen rationis cum lumine Revelationis tam egregie conſpirare. Sed et hinc manifeſtisſimum omnibus evadit, quam curta ſit Rationis, ſibi ſoli relictae, ſupellex. Quantum et quam eximium non est, quod gentiles naturali mentis

(*d*) *Rollin de la manière d'enſeigner* etc. *les belles Lettres* Tom. I. p. 43, ubi et alia quaedam huc ſpectantia inveniuntur.

(*e*) Cyropaed. Lib. VI. p. 91. ed. Graecae Stephani.

tis suae facultate assequi potuerunt? Sed quam exiguum, quam fere nihil id ipsum censendum est, si cum eo conferatur id, quod sapientes hosce mundi, destitutos luce et sapientia coelesti, necessario latere debuit. Si vel damnabilitatem mali illius, quod in se videbant et persentiscebant, recte cognovissent; si vel hac cognitione directi, liberationem a tanto malo votis fervidissimis expetiissent; si vel cum divino Apostolo ex imo pectore tales voces emittere potuissent: *O miseros nos! Quis nos liberabit ab isto corpore mortis?* non aliis tamen, quam qui dulce Dei verbum gustarunt, cum eodem Apostolo exclamare, et se consolari licet: *Gratias agimus Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum.*

DIS-

DISQVISITIO

DE ACTV NATVRALI ET PERSONALI IN CHRISTO.

§ 1. Cum Iesus Christus, Filius Dei, unicus noster redemtor et mediator, ut arduum salutis nostrae opus perficere, eaque omnia, quae a vero mediatore requirebantur, ipse in propria persona agere et pati posset, humanam naturam in Divinam hypostasin suam assumserit, ita ut in unica eius persona naturae duae, toto coelo a se invicem diversae, sed arctissime tamen, id est, hypostatice unitae, nobis considerandae veniant, ex eo per se consequitur, dari in Christo ratione proprietatum et operationum, quae ipsi tribuuntur, *actus* quosdam et respectus *naturales*, qui referuntur ad alterutram eius naturam, et quosdam *personales*, qui referuntur non ad unam speciatim naturam, sed ad totam personam. Et certe in scriptis Theologorum, praecipue Lutheranorum, disserentium de persona Christi, nihil celebrius est distinctione, qua utuntur inter actum *naturalem* et *personalem* humanitatis Christi, cuiusque beneficio illi doctrinam Ecclesiae suae multis, quae eam premunt, difficultatibus liberari posse existimant. Sed distinctio illa aut obscuris valde

locutionibus hactenus involuta est, ut non illico omnibus perspicuum sit, quid vere sibi velit, quemve usum habeat, aut, si id significat, quod significare videtur prima fronte, sicuti in systematibus Lutheranorum traditur, difficultates non tollit, sed potius cumulat.

§ 2. Si distinctio haec ex solo auditu, et ex eo, quod Scriptura nos de duabus in Christo naturis, de earum unitione deque unitionis huius consequentibus docet, foret diiudicanda, coniicere pronum esset, distinctionem haec duo involvere. I. *Actum personalem* dici talem operationem aut proprietatem, quae toti personae in duabus naturis subsistenti et per illas operanti, competit, ut *redimere genus humanum*, *unicum esse sacerdotem*, *intercedere pro electis*, *iudicare vivos et mortuos*; *actum naturalem* vero dici, qui personae cum respectu ad singularem aliquam naturam adscribitur, ut *aeternum* ac *infinitum esse*, quod est naturae Divinae, *nasci* ac *pati*, quod est naturae humanae. Aut videtur II. innui, *actum personalem* dici, qui tribuitur quidem concreto unius naturae, puta *Deo*, vel *homini*, sed cum respectu ad alteram naturam, cui formaliter inest et proprius est. Scriptura enim ait, *Deum fudisse sanguinem*, Act. XX. 28, quod humanitatis proprium est, sed personaliter etiam Deo recte adscribitur, quia Deus vere, realiter ac personaliter homo est. Eadem docet, *Filium hominis*, (vel *hominem*) *remittere peccata*, quod est divinitatis *ἀξίωμα*, quia homo Christus vere ac personaliter Deus est. Videtur dici *actus naturalis*, qui naturae illi, de qua praedicatur, proprius est. Eo modo de Christo Deo dicitur, eum esse *vitam aeternam*, 1 Ioh. V. 20. Nam haec est vera et essentialis proprietas naturae Divinae. Vicissim de Christo homine dicitur, eum *vitam suam posuisse lytrum*

pro

pro omnibus, 1 Tim. II. 6, quod nonnisi de natura humana accipi potest. Si hic esset sensus verus distinctionis illius in actum personalem et naturalem, doctrina illa Lutheranorum, carnem Christi, aut hominem Christum, *naturaliter* in aliquo loco esse, sed *personaliter* omnipraesentem esse, aliam quam hanc explicationem non pateretur, Christum hominem intuitu naturae suae humanae finitae loco aliquo circumscribi, sed eumdem tamen intuitu Divinitatis, mediante illa, et in illa personaliter esse omnipraesentem. Quae sane optime et rectissime se haberent. Sic autem intellecta distinctio illa non modo commoda est, sed etiam, saltem κατὰ διάνοιαν, necessaria, cum ad recte explicandam Scripturae revelationem!, tum ad doctrinam de persona Christi, multis difficultatibus intricatam, accurate tradendam.

§ 3. Neque id etiam dissimulari potest, Lutheranos distinctionem, inter actum naturalem et personalem, in quibusdam doctrinae huius partibus eodem plane modo exponere ac declarare, atque id a nobis factum § praecedenti, ut proinde cogitare pronum videatur, hanc esse ipsis veram huius distinctionis mentem ac sententiam. Ideo 1. unionem duarum naturarum non esse essentialem sedulo inculcant, cum diversae maneant, etiam in unione, Divinitatis et Humanitatis essentiae, earumque proprietates. *Ioh. Gerhardus*, postquam id observasset Loco IV. de Christo § 117, hanc rationem addit: *Si unio esset essentialis, etiam communicatio idiomatum, ex unione orta, foret essentialis, sicque humana natura essentialiter esset omnipotens*, quod videlicet minime concedit. Ergo tantum unio et communicatio idiomatum est personalis, opposita essentiali. 2. Distinguunt communicationem naturarum ab essentiali conversione. Sic enim *Chemni-*

nitius de duabus naturis cap. v. p. 25 (edit. Francof. 1653. fol.): *non autem* est *communicatio* naturarum *vel confusionis*, *vel effusionis*. *vel exaequationis*, *sive inter naturas*, *sive inter earum idiomata*; alium locum vid. § 4. Et *Gerhardus*, post traditam doctrinam Ecclesiae suae de communicatione naturarum, ac cum hac conferens Antithesin, quam sibi imaginatur, Reformatorum, illis haec obiicit Loc. cit. § 152: *At si* Christus *homo non est Deus humanitate sua* (personaliter), *quomodo realis naturarum communicatio stabit?* Si ita semper acciperetur *τὸ personaliter*, quis est Reformatorum, cui haec locutio displicitura esset? Et sensum illius sententiae, quam modo ex *Gerhardo* citavi, commodum, lubens cum aliis Rformatis amplector. 3. Patescit id praecipue ex propositionibus, quae κατ' ἐξοχὴν dicuntur, *personalibus*, in quibus concretum unius naturae praedicatur de concreto alterius naturae, de quibus *Gerhardus* disputat in Loco de Christo cap. 9. Vbi inter alia haec habet § 156: *Ex eo fundamento etiam recte dicitur, quod Christus homo, seu secundum naturam humanam, sit Filius Dei*, *scilicet* personaliter, *non essentialiter*; et § 165: *Quando Filius hominis dicitur Filius Dei, tunc non praedicatur Filius Dei de Filio hominis essentialiter*, *sed* personaliter, *id est*, *per et propter unionem personalem*. Conferri possunt quae § 173. disputat de illa quaestione, *an Christus secundum humanam naturam sit Filius Dei naturalis*. Quae omnia quisquis serio perpenderit, exque iis distinctionem inter actum naturalem et personalem diiudicaverit, benigne sane de illa sentiet.

§ 4. Si ipsam porro doctrinam Lutheranorum de communicatione idiomatum, quae distinctionem saepius memoratam peperit, undecumque excutias, non pauca deprehendes, quibus ea, quae modo dicta

sunt

ſunt, confirmentur. Namque 1. in antecesſum, ubi doctrinam illam aggrediuntur, ſerio monent, communicatione idiomatum minime everti uniuscuiusque naturae proprietates, infinitatem Divinae, finitatem humanae. Ita *Chemnitius* de duabus naturis cap. 1. pag. 3: *Quia proprietates* non egrediuntur ſua ſubiecta, *ideo in Chriſto unius naturae phyſica ſeu esſentialis proprietas, nec est, nec potest fieri, alterius naturae esſentialis vel phyſica proprietas: fieret enim naturarum confuſio; quae per idiomata differunt et diſcernuntur.* Nec minus nervoſa ſunt, quae idem habet c. IV. p. 20: *Ex hac unione ſequitur quaedam inter unitas naturas et earum idiomata communio et participatio, non communio confuſionis, transmutationis, aut exaequationis; ſed quae unioni verae et reali correſpondet, qualis est animae cum corpore, et ignis cum ferro ignito. Quae enim propria ſunt naturarum, propter hanc unionem communia fiunt perſonae.* Quae ultimo addita ratio communicationis idiomatum probe obſervanda est, atque actus perſonalis, qualem nos explicamus, fundamentum verum continet. Nec indigna ſunt illius verba, quae occurrunt cap. XII. p. 57, quae apponantur: *Nequaquam enim talis fit aut est communicatio, quaſi quod proprium est unius naturae, fiat et ſit etiam alterius naturae proprium, ut, quae una natura in Chriſto est et habet, illud altera etiam natura fiat, ſit et habeat esſentialiter, in ſeſe aut ſecundum ſeſe. Talis enim communicatio esſet confuſio, transmutatio et exaequatio naturarum, quarum tamen differentia ſalva est et manet in ipſa unione. Gerhardus* idcirco in Loco de Chriſto § 175. negat communicationem idiomatum fieri κατὰ μέθεξιν, *qua unum in alterius esſentiam ac definitionem tranſit, vel unum alterius definitione ac esſentia participat, quam esſentias*

 par-

participationem, propriorum quoque communicatio consequitur. Quis iam, ab una parte hanc doctrinam de communicatione idiomatum sollicite praestrui, tam serio inculcari, adeo saepe repeti videns, ab altera parte audiens, Christi carnem *naturaliter* loco adstrictam, *personaliter* omnipraesentem esse, alium suspicetur hisce verbis sensum subesse, quam qui a nobis indicatus est § 2. 2. Vbi iam ad communicationem idiomatum primi generis, quae ex mente doctorum Ecclesiae Lutheranae est communicatio naturae ad personam, perventum est, nihil ibi doceri videas, quod non cum ante dictis amice conspiret. Nam quae de tota persona praedicantur, sollicite tamen de natura illa speciatim, cui propria sunt, explicantur, et illi peculiariter vindicantur. Quod sic ex Scriptura illustrat *Chemnitius* cap. XIII. p. 66: *Ne tamen ideo naturae existimentur confusae* (quia de una in genere persona quaedam praedicantur) *addi solet Scripturae exemplo declaratio, cui naturae conveniat proprietas, quae personae tribuitur.* Et adduntur exempla Rom. I. 3, 1 Petr. III. 18. En fundamentum actus naturalis et personalis, prout nos eum exponimus. Et quae de natura Divina in concreto praedicantur, cum re ipsa sint proprietates naturae humanae, ostenduntur tribui Deo *personaliter*, sed humanae naturae *naturaliter*. Vide *Gerhardi* locum de Christo cap. XI. Qui § 198. hanc rationem suppeditat: *Per unionem non sublatum naturarum discrimen, sed hypostasis Λόγου facta est carnis hypostasis ad unam personam σύνθετον constituendam, potest igitur aliquid de tota persona* (quamvis denominata de Deo) *praedicari secundum humanam naturam, et tamen minime consequens est, idem quoque tribuendum Divinitati. Actiones et passiones sunt personae, non naturae; recte igitur dico, Deus passus est in carne, sed non*

pos-

possum dicere, Divinitas τοῦ Λόγου est in carne passa. Nam pati Deo tribui potest personaliter, sed neutiquam naturaliter. Eiusdem verba sunt § 195: *In Christo una duntaxat persona, quae Deus est et homo. Quaecunque igitur de Christo praedicantur,* (licet modo humanam, modo Divinam naturam seorsim respiciant) *de persona sunt accipienda.* Ibidem haec Vigilii Thapsensis, ex Lib. II. contra Eutych. citata, probat: *Quamvis Deus non sit passus in proprietate* naturae, *tamen passus est in unione* personae; quod sic explicat: *id est, in natura humana, quam in personae unitatem assumsit*; § 197 haec ex eodem Vigilii libro adfert ac calculo suo confirmat: *Passio proprie pertinet ad carnem secundum* naturam, *ad Verbum autem secundum* personam, *quia et Verbi et carnis una persona.* Et § 196. haec notissima et celebratissima *Lutheri* verba attulerat ad doctrinam hanc illustrandam: *Recte igitur dicitur, Filius Dei patitur. Etsi enim una ipsius pars (ut sic loquar), Deitas videlicet, non patiatur, tamen ea persona, quae Deus est, patitur, in altera sui parte, nimirum humanitate. Revera enim Filius Dei pro nobis crucifixus est, h. e. persona, quae est Deus. Ipsa enim, ipsa, inquam, persona crucifixa est secundum humanitatem.* Quae omnia actum naturalem et personalem, prout nos eum explicamus, non parum illustrant. Ideo in hoc primo communicationis genere, de quo iam loquimur, adhibentur particulae προσδιοριστικαὶ, ὅτι, κατὰ, ut *Deus natus, passus est* κατὰ σάρκα, *Christus vivificatus est* κατὰ πνεῦμα, *quae particulae notae sunt proprietatis, cui scilicet naturae competant illae proprietates, quae in praedicato exprimuntur, v. g. quando dicitur Christus passus esse* κατὰ σάρκα, *tunc sensus est, quod passio sit proprietas humanae naturae, quae praedicetur de persona in con-*

creto propter unionem personalem. Ita *Gerhardus* § 261. Conf. §. 186.

§ 5. Quod si 3. etiam progrediamur ad secundum communicationis idiomatum genus, iuxta plurimorum enumerationem, quod est, ex sententia doctorum Lutheranorum, communicatio naturae Divinae eiusque gloriae et excellentiae ad naturam humanam, quaeque est propria sedes actus naturalis et personalis, quem illi crepant, ea legimus et audimus, quae hactenus dictis congruunt, eaque stabiliunt. *Chemnitius* itaque, ubi mentionem facit communicationis Divinae naturae ad humanam, ita rem exprimit de duabus naturis c. IV. p. 20: *hoc quasi lumine accensa ipsa etiam lucet, atque ita ditata est Divinis virtutibus et operationibus, non per physicam effusionem, aut essentialem inhaesionem, sed per oeconomiam unionis, ut Λόγος omnipotentiae suae opera, in illa, cum illa et per illam assumtam naturam pro beneplacito suo exserat et perficiat, sicut anima corpori, et ignis ferro ignito, potentias et operationes suas communicant.* Eadem fere habet cap. XII. p. 58, et latius exequitur cap. XXII, *in quo*, uti titulus praefixus lectorem monet, *a communicatione Maiestatis removetur confusio, conversio, abolitio, et exaequatio naturarum.* Ita et *Gerhardus*, quando modum huius communicationis explicat § 267, ait: *Vnio non est essentialis. Ergo nec communicatio. Quod unius naturae in Christo proprium, illud nunquam fit alterius naturae proprium, sed ἰδιότης est et manet ἀκίνητος.* Et paulo post: *Humana natura Divinam Maiestatem habet non a se originaliter, sed a Λόγῳ, nec per se essentialiter, nec in se subiective, sed in Λόγῳ vere quidem et realiter, sed tamen hypostatice ac personaliter.* Idem, quando ad obiectiones sibi suisque oppositas respondet § 247, negat per hanc communicationem inferri Di-

Divinorum idiomatum multiplicationem, vel duplicationem, hanc rationem subiiciens: *Ex physica transfusione et subiectiva inhaesione, non ex personali communicatione eiusmodi multiplicatio inferri potest.* Qualia plura in eumdem sensum ibidem occurrunt. Videmus igitur, eum complures etiam Reformatos, ceu verbis eamdem doctrinam comprobantes, adducere. § 214 adfert haec *Zanchii* verba: *Humanam in Christo naturam infinitae virtutis esse dicimus, qua virtute infinita factum est, ut sint expiata mundi peccata. Quomodo vero infinitae virtutis est? non per se et suapte natura, sed ex accidenti et per aliud, hoc est, propter Deitatem, cui hypostatice est unita.* Lutherani sic non loquuntur; haec tamen verba ceu doctrinae suae congrua *Gerhardus* exhibet, eorumque sensum probat. § 228 ista *Zanchii* inter alia verba, ut quae veritati testimonium praebeant, apponit: *Non incongrue dicitur caro personaliter omnipotens et ubique praesens, quia licet talis non sit realiter in se ipsa, est tamen talis in persona.* Ibidem plura huiusmodi occurrunt, et § 230 inter alia Reformatorum testimonia de veritate et hoc *Parei* profertur: *Si igitur Christus homo Deus est, utique non aliena, ut Petrus, sed propria sua virtute miracula fecit. Docemus vero, hanc virtutem propriam fuisse Deitatis formaliter* (vel naturaliter), *humanitatis personaliter propter unitatem hypostaseos.* Pluribus huiusmodi adducendis iam supersedeo. Quae omnia, si nostrae menti infixa habemus, distinctionem inter actum naturalem et personalem aspernari non possemus. Concedemus Christi carnem omnipotentem esse, non naturaliter, in se et propria sua natura, sed esse personaliter in Deitate et per Deitatem, in qua, cum qua, per quam operatur. Nam sine dubio, si Christi re-

redemtio mihi profit, is qua homo, qua frater meus fecundum carnem, me nofcit, me videt, mei miferetur, quia ille homo est Deus, omnia cognofcit, omnia potest, omnia gubernat.

§ 6. Sed qui tamen accurate perpenderit, quid Lutherani, in fecundo communicationis genere, per actum *naturalem* et *perfonalem* proprie innuere et mentibus noftris ingerere deprehendantur, vix ac ne vix quidem diftinctionem illam ita explicabit; fed eam alium fenfum habere iudicabit. Nempe noftra fententia, quam et Sacrae Scripturae et rationi confentaneam esfe putamus, haec est: Chrifti carni proprietates Divinas non competere *naturaliter*, ut ipfa, actu naturali, in abftracto, quamvis in unione, mente noftra confiderata, fit omnipotens, omnipraefens, omnifcia, fed competere *perfonaliter*, quia caro illa in unitate perfonae est caro Chrifti, qui non minus est Deus, quam homo, non minus omnipotens, omnifcius, omnipraefens infinita fua Deitate, quam non omnipraefens, non omnifcius, non omnipotens, iuxta leges ab ipfo pofitas finitae fuae humanitati. Eo igitur fenfu libenter amplectimur, dicimus, ac docemus, Chriftum hominem omnipotentem et omnipraefentem esfe, non naturaliter, fed perfonaliter. Lutherani vero docent, Chrifti humanitatem per fe, et extra unionem fpectatam esfe finitam, et habere omnes proprietates verae humanitatis, adeoque non esfe omnipotentem, omnifciam, omnipraefentem, hocque vocant actum eius *naturalem;* fed addunt, eamdem, fi fpectetur in unione cum Verbo, vere et realiter participare et posfidere omnes proprietates Divinas, quae ad opera Divina requiruntur, adeoque esfe vere et realiter omnipotentem, omnifciam, omnipraefentem. Actus igitur *naturalis* fpectat esfentiam et proprietates hu-

ma-

manae naturae, quas ut homo, more aliorum hominum per nativitatem in tempore factam, accepit. Actus *perſonalis* reſpicit eius exiſtentiam, ut in unione cum natura Divina, et quidem praecipue post exaltationem, ubi praerogativis unionis plenisſime fruitur, revera exiſtit et operatur. Ex quo facile intelligitur, quodnam inter utramque ſententiam intercedat diſcrimen. Nos enim, quando dicimus Chriſtum hominem esſe omnipraeſentem non *naturaliter* ſed *perſonaliter*, dicimus Chriſto homini id non tribui reſpectu illius naturae humanae, ut quae non omnipraeſens est, ſed reſpectu Divinitatis, quia illa perſona, homo Ieſus, verus Deus, adeoque in Deitate vere omnipraeſens est. Lutherani autem omnipraeſentiam ceteraque attributa operantia ad ipſam humanitatem referunt, ut quidem haec non habeat *actu naturali* ſecundum ea, quae ipſi connata ſunt, ſed tamen *actu perſonali* et unione perſonali ipſi fuerint communicata, ut ea habeat ac posſideat, ac vere omnipraeſens ac omnipotens ſit. Nos omnipraeſentiam ad perſonam referimus, et hoc tantum reſpectu de natura humana praedicamus. Illi non tantum ad perſonam, ſed ad naturam etiam humanam vere et proprie referunt. Nobis *actus perſonalis* modum omnipraeſentiae carnis Chriſti ſignificat, quod nempe in perſona Divina, et per eius omnipraeſentiam ſit omnipraeſens. Illis non modum, ſed cauſam indicat, quod nempe ex unione et propter unionem caro hoc acceperit, ut ſit ipſa omnipraeſens. Conf. *Gerhardus.* Adeoque etſi illi verbis proteſtentur et ſerio asſeverent, ſecundum doctrinam ſuam, naturam humanam non habere idiomata Divina in ſe, ſubiective, et esſentialiter, nos tamen, quibus non verborum, ſed rei ratio habenda est, aliter de ipſorum doctrina iudicare non posſumus, quam

quam secundum illam carnem Christi habere in se subiective attributa Divina, non quidem ratione originis, sed tamen ratione possessionis. Hinc *Gerhardus* § 255 scribit: *Divina idiomata non insunt carni per subiectivam inhaesionem, interim tamen insunt, id est, vere illi competunt, per personalem communicationem.* Et certe, si non tantum persona hominis Christi est omnipraesens, sed praeterea etiam sigillatim humanitati illud attributum communicatum atque datum est, quae illud possidet et exercet, habet omnipraesentiam et omnipotentiam in se, et respectu carnis etiam omnipraesens et omnipotens dicenda est. Hanc esse veram Lutheranae Ecclesiae doctrinam, patet ex *Chemnitii* Libro de duabus naturis passim, praesertim toto cap. 23, in quo *de modo communicationis Maiestatis* in genere disserit, ac praecipue cap. 30, in quo modum cummunicatae omnipraesentiae prolixe explicat et describit. Idem patet ex omnibus eorum systematibus. Idque in *Io. Fr. Buddei* Institutionibus Lib. IV. cap. 2. § 16. ita paucis proponitur: *Humana Christi natura*, (videtur hic inserenda particula *non*) *in se quidem, seu abstracte, sed intra unionem tamen personalem spectata, omnium perfectionum Divinarum, auctoritatisque adeo, honoris et potestatis, hinc resultantis, particeps facta est.* Idque confirmatur ex eo, 1. quod, cum in communicatione primi generis, iuxta quam v. g. dicitur, *Deus est homo, Filius hominis est Dominus sabbathi*, Matth. XII. 8, communicationem fieri dicant a naturis ad personam, in communicatione secundi generis non eodem modo communicationem a natura Divina ad personam, sed a natura ad naturam fieri unanimiter doceant, quod, utpote doctrinam hanc tenebris involvens, non citra causam corrigitur a *Winoklero* in *Christol.* p. 117, 118,

118, 124, 130. 2. Quod Chriſtus homo durante ſtatu exinanitionis ſeuſu horum attributorum abdicarit, concedendum enim est, Chriſti corpus in ſolo Mariae utero conceptum, ex illo ſolo in lucem editum, poſtea a loco in locum motum, post mortem in uno ſepulchro, et post reſurrectionem in illo ſepulchro amplius non iacuisſe, ſed post exaltationem demum plenisſimo horum uſu fruitus ſit. Nobis videtur, Chriſtum hominem etiam in ſtatu exinanitionis fuisſe omnipotentem et omnipraeſentem perſonaliter in Divinitate ſua propria, licet natura humana loco fuerit circumſcripta. Et profecto id Servator ipſe affirmat, *Filius hominis est in coelis*, Ioh. III. 13; qui unus locus docet, quomodo ſimilia alia capienda ſint. 3. Quod dicant, carni Chriſti communicata proprie esſe attributa et idiomata operantia, omnipotentiam, omnipraeſentiam, etc. quae in operationibus Divinis ſeſe exſerunt, non idiomata esſentiae et quieſcentia, infinitatem, aeternitatem, immenſitatem. Quis enim dicat ipſam naturam humanam esſe aeternam, quae in plenitudine temporis nata est, esſe infinitam, quae corpus est et manet? Attributa igitur operantia in ſe posſidet, ipſa est omnipotens, omnipraeſens. Nos vero docemus, Chriſtum hominem non modo esſe omnipotentem, omniſcium, ſed etiam aeternum, immenſum, infinitum, perſonaliter in ſua propria Divinitate. Qua in re ipſe Servator nobis praeit, quando de illo homine, quem Iudaei videbant, quem nondum quinquaginta annos natum ſciebant, affirmat: *Antequam Abrahamus erat, ego ſum*, Ioh. VIII. 58, quod Iudaei capere non poterant, nos vero capimus, qui novimus, illum Chriſtum hominem in ſua propria Deitate vere aeternum esſe. 4. Quod, quando concedunt, etiam attributa quieſcentia com-

mu-

municari naturae humanae, ſic tamen diſtinguant, attributa quieſcentia carni communicata esſe mediate, quia ipſa caro Chriſti non facta ſit infinita, aeterna, immenſa, ſed Divinitas tamen, quae eidem communicata est, hiſce perfectionibus conſpicua ſit, attributa autem operantia communicata esſe immediate carni, ut ipſa ſit omnipotens, omnipraeſens. Ita *Gerhardus* § 256. Cuius diſtinctionis, alius, quam hic, ſenſus non esſe posſe videtur, carnem Chriſti infinitam et aeternam esſe non in ſe, ſed reſpectu Divinitatis, in illa et per illam, omnipotentem vero et omnipraeſentem reſpectu ſui et in ſe. Et ut alia praetermittam: 5. ex antitheſi Pontificiorum et Reformatorum, quam ſuae doctrinae opponunt, quamque reprehendunt et refellere laborant. Id ſpeciatim vehementer urgent de omnipraeſentia carni Chriſti communicata. *Chemnitius* de duabus naturis c. 30, fatetur quidem, *Chriſtum post adſcenſionem, et ante reditum ad iudicium, corpore ſuo ordinaria diſpenſatione in terris non adesſe, phyſico praeſentiae modo*, ſed addit tamen, Chriſti carnem in S. Coena, iuxta promisſionem Dei, adesſe, non ſolum virtute et efficacia, ſed etiam ſubſtantia, quin et adesſe vere toti Eccleſiae et in ſingulorum fidelium cordibus habitare per fidem, ſed carne non excluſa, etſi, quomodo caro omnibus adſit, ſe non intelligere, fateatur. Alii ſententiam hanc, concoctu profecto difficilem, emolliunt, et omnipraeſentiam carnis Chriſti intelligunt de Maieſtatico eius Dominio; ſed tamen cum urgentur, praeſentiam ſubſtantiae carnis excludi non patiuntur. Doctisſimus itaque *Gerhardus*, qui omnipraeſentiam carnis de Dominio Maieſtatico interpretatur, Pontificiis tamen, obiicientibus, Epheſ. IV. 10 agi de impletione omnium locorum per effectus, itemque ad Do-

Dominium non ſtatim requiri praeſentiam, regerit: *ab illis effectis ſubſtantialem praeſentiam non eſſe excludendam* § 222, *et* § 223: *Divinae Maieſtatis ac poteſtatis est, quod Deus vere et esſentialiter praeſens omnia gubernat et adminiſtrat. Haec Maieſtas et poteſtas cum Chriſto ſecundum naturam humanam data ſit, ideo ſubſtantialis praeſentia ab eius Dominio minime excludenda.* Plura in hanc rem congerere inutile duco.

§ 7. Ex omnibus his quivis facile intelligit, Theologos Lutheranos id *actum perſonalem* vocare, quod natura Chriſti humana, in abſtracto, quamvis etiam in unione ſpectata, in ſe omnipotens, et omnipraeſens, et omniſcia ſit, atque Maieſtatem Divinam et idiomata operantia ipſa posſideat et exerceat per et propter unionem cum natura Divina, a qua Maieſtatem illam acceperit. Talem actum perſonalem Eccleſia noſtra hucusque non probavit. Equidem *Chemnitius* aliique, qui eum ſequuntur, Theologi Lutherani, copioſis ſuis de communicatione idiomatum diſputationibus, mihi facile perſuaſerunt, naturam Chriſti humanam, ſplendore Maiestatis Divinae, qua eam ſibi perſonaliter unitam complectitur et permeat, totam lucere, quemadmodum corpus ab anima ſua vivificatur et animatur, et de praerogativis, quas ex unione perſonali cum Divinitate accepit natura humana, amplius quid et efficacius dici poſſe et debere, quam communiter a Theologis noſtris, praeſertim recentioribus, fieri ſolet, qui non tam rem hanc negant, quam potius ad argumentum hoc ſubtilius rimandum et excolendum animum ſuum non appellunt. Nam certe caro illa humana Chriſti, in qua ipſe tamquam ſpiritus infinitus in carne ſua propria habitavit, quae eſt templum perſonale aeterni Dei, per quam operatus eſt et operatur, in qua magnum redemtionis opus per-

egit et abſolvit, in qua aeternum adorari et glorificari vult, poſtquam formam ſervilem depoſuit, et in gloriam ſuam ingresſa eſt, ad modum et conditionem aliorum hominum non eſt aeſtimanda et conſideranda. Nam in eo confidimus, ut, qui nos videt, noſtrarnm rerum perfectisſime conſcius eſt, nobis adeſt, qua frater et Goël noſter, noſtrum ſit miſerturus, nosque per gratiam ad gloriam ducturus. Attamen quo minus hanc doctrinam, ſolatii ceteroquin plenisſimam, eo modo, quo in ſyſtematibus Theologorum Lutheranorum proponitur et concipitur, admittamus, multae obſtant et gravisſimae rationes. Quando enim ipſis minime ſufficit, Chriſtum hominem ſic esſe omnipotentem, omniſcium, omnipraeſentem, quemadmodum in primo communicationis genere dicitur, Chriſtum hominem esſe vere Deum, ſed ad hoc conſtituunt communicationem ſecundi generis, cuius ratio a priori plurimum differat, ac proinde docent, omnipotentiam, omniscientiam et omnipraeſentiam inesſe vere ipſi carni Chriſti in abſtracto, etſi non esſentialiter et ſubiective, uti verbis diſtinguunt, haec talia ſunt, quae I. veram naturam corporis et humanitatis evertunt, eamque in ſpiritum infinitum convertunt. Nam esſe omni potentem, omniſcium, omnipraeſentem, undecumque acceperis, et quo modo posſideas, dummodo virtutes has posſideas et exerceas, eſt non humanitatis, ſed ſolius Deitatis. Nec efficient omnes diſtinctiones, atque responſiones afferri ſolitae, quo minus id verum ſit. II. plane concipi nequeunt. Nam (α) virtutes et proprietates Deo non inſunt tamquam accidentia et modi, per quos perficitur, ſed ſunt, fatentibus omnibus Theologis, ipſa Dei esſentia. Iam vero, fatentibus Theologis Lutheranis, unio naturarum non eſt esſentialis, per quam unius naturae esſentia fiat esſen-

ſentia alterius naturae. (β) ſi duae naturae in Chriſto in abſtracto, quamvis in unione conſideratae, ſint omnipotentes, omniſciae, omnipraeſentes, videtur conſequi, esſe duas omnipotentias, omniſcientias, omnipraeſentias, quod ſane Lutherani non admittant. Quodſi autem, uti fas eſt, nobiscum docent, esſe unicam omnipotentiam, omniſcientiam, omnipraeſentiam, illae proprietates utique inſunt Divinitati, non humanitati, et humanitas omnipraeſens eſt, non ſua omnipraeſentia, ſed in Deitate et per Deitatem, quod nos libenter concedimus. (γ) ſi natura duplici actu ſibi inhaerenti et vere proprio, *naturali* non esſet omnipraeſens, et *perſonali* esſet omnipraeſens, necesſario ſequitur, eam uno actu et ſimul esſe tantum in coelo, nec tamen esſe tantum in coelo, ſed creaturis omnibus praeſentem, quae niſi ſint contradictoria, ſeque mutuo tollant, quae ſint contradictoria, ego quidem neſcio. Aut dicendum esſet, diſtinctionis inter actum naturalem et perſonalem iam in gloria nullum esſe uſum, ſic autem proprietates esſentiales esſent ſublatae, et natura humana verbo quidem esſet humana, reipſa vero Divina. III. Nec ullo modo ſunt necesſaria ad veram unionem perſonalem in Chriſto agnoſcendam et ſtabiliendam Etenim (α) ex unione perſonali non necesſitate abſoluta ſequi, ut ipſa caro Chriſti ſit omnipotens, omniſcia et omnipraeſens, ex eo patet, quod Christus in ſtatu exinanitionis idiomata haec in carne ſua non habuerit, aut exercuerit. Sive enim hoc libeat appellare abdicationem, ſive occultationem, ſive quocumque demum vocabulo placebit, caro certe tum Divinitati unita fuit perſonaliter, nec tamen omniſcia, omnipotens, omnipraeſens fuit. Nec idem ſequitur (β) ex ſtatu exaltationis. Nam Chriſti naturam humanam multis donis hyperphyſicis, quae tamen non ſint Divinae, in ſtatu exaltationis

esse ditatam, *Chemnitius* multis disputat, et Lutherani libenter agnoscunt. Et corpus nostrum exaltatum et glorificatum iri ad similitudinem corporis Christi glorificati, Paulus docet Phil. III. 21, quod tamen sano suo sensu accipere didici. Exaltatio quoque est non unius naturae, sed Mediatoris, ac respicit statum eius oeconomicum. (γ) Ac cum persona Christi semper fuerit sitque persona vere Divina, omnibus idiomatibus Divinae essentiae coruscans, quid opus est usum et exercitium proprietatum Divinarum duplicare, et homini speciatim communicare illam omnipotentiam et omnipraesentiam, quam habet qua Deus, et in Divinitate exercet? Porro IV. incognita sunt Scripturae, Nam quae ex illa proferuntur, nostrae sententiae non nocent. Vt vero intelligantur eo modo, quo vellent systematum conditores in Ecclesia Lutherana plerique, opus est consequentiis et explicationibus, quas non facile probabit quisquam ingenii exercitati, nisi his opinionibus in antecessum imbutus. Scriptura dissertis verbis testatur, Christi carnem ex sepulchro rediisse in terram, ex terra adscendisse in coelum, nunc esse in coelo, Colosf. III. 1. Phil. I. 23, non esse in terra, Hebr. VIII. 4, ex coelo expectari reditum eius. Nec proderit excipere, Scripturam loqui de *actu naturali* carnis Christi, non de *personali*. Nam cum Lutherani per *actum naturalem* intelligant, ut supra monuimus, essentiam humanam cum suis proprietatibus, per *actum personalem* eius existentiam, quomodo nunc post exaltationem in hypostasi Divina existit, apertum est, Scripturam in locis citatis non loqui metaphysice et abstractive de essentia carnis Christi, sed de ejus actuali existentia, uti nunc existit. V. Non videntur convenire cum scopo incarnationis et unionis personalis duarum

rum naturarum, qui eſt, ut Chriſtus in unica perſona, per duas naturas, ut verus Deus et verus homo agat, quod unicuique naturae proprium eſt, cum communicatione alterius. Humana igitur agit in humanitate, quamquam cum communicatione Divinitatis, quippe Deus, et Divina agit in Divinitate, quamquam cum communicatione humanitatis, quippe homo. Quamvis autem concedamus, Deum Divina operari per humanitatem ceu organon, humanitatem tamen in ſe abſtractive Divina agere et operari, non modo unionis ratio non requirit, ſed eidem potius adverſatur. VI. Quod ad omnipraeſentiam in ſpecie attinet, cuius cauſa tota haec de communicatione Maieſtatis in abſtracto diſpitutatio potisſimum inſtituta fuisſe videtur, illam, prout a ſummo ceteroqnin Theologo, *Chemnitio*, et eius ſequacibus explicatur, probare non posſumus. Nam omnipraeſentia Divina nihil aliud eſt, quam immenſitas eius, qua nullibi incluſus, nullibi excluſus omnia implet, et veluti locus eſt, in quo ſunt omnia, et qui eſt in omnibus. Eſt itaque attributum, quod in corpus nullum, quod habet partes ſuas extra partes, cadere poteſt, quod eſt tantum proprium ſpiritui, et quidem infinito. Si caro Chriſti abſtractive esſet omnipraeſens, esſet quoque non corpus, ſed ſpiritus infinitus adeoque Divinus. Cum autem Deus carnem Chriſti noluerit ſpiritum esſe, multo minus infinitum, ſed veram carnem, etiam poſt exaltationem, Luc. XXIV. 39, hinc Theologis quibusdam noſtris exciderunt voces, quas antagoniſtae blasphemas appellant, ſed quae ex intentione eorum diiudicatae, et in toto nexu conſideratae, non modo non ſunt blasphemae, ſed et verae et ſanae. Dicere enim hoc volunt, fieri non posſe, ut ſapientisſimus et ſanctisſimus Deus unam eamdemque rem ſimul esſe et non esſe, carnem esſe et non

carnem ſed ſpiritum esſe velit. Quae enim ſanctitati et perfectioni Dei repugnant, ea Deum facere non posſe, Scriptura luculentisſimis verbis ſaepius teſtatur, Rom. III. 5, 6. 2 Tim. II. 13. VII. Quod vero ad duo ſimilia attinet, quibus continuo uti ſolent ad doctrinam ſuam de *actu naturali* et *perſonali* humanae in Chriſto naturae explicandam et confirmandam, ferri igniti et corporis animati, prius quidem ſimile mihi non videtur accommodatum, poſterius debito modo explicatum perquam libenter amplectimur.

(α) In ferro ignito conſiderant primo esſentiam ferri, quod appellari posſet actus naturalis, et deinde proprietatem ignis ferro communicatam, quae ferro ineſt, quod appellari posſet actus perſonalis, ut jam ſit ferrum ignitum. Simile hoc, etſi a veteribus nonnumquam adhibitum, mihi tamen, uti iam monui, minus videtur accommodatum. Nam 1. hic non occurrit ſpecies aliqua unionis hypoſtaticae, ſed eſt unio accidentalis et ſingularis plane generis, quae per breve tempus durat. 2. modus unionis potius videtur accedere ad unionem φυρμοῦ et κράσεως, commixtionis et confuſionis, qualem veteres obſervant in confuſione liquidorum, aut fermenti cum masſa farinacea, quam ad conditionem unionis hypoſtaticae. Durante enim unione illa, ferrum amittit ſuum colorem, ſuumque frigus, ignis flammam non emittit, ſed calorem tantum communicat ferro, et durante unione exſurgit corpus aliquod tertium, magnitudinem ex ferro retinens, calorem ex igne accipiens, ut recte itaque dicatur *ferrum ignitum*. Si iam per unionem Chriſtus evaſisſet aliquod tertium, *homo deificatus*, recte ſimile hoc adhiberi posſet. Ceteroquin longe melius Eutychis doctrinam repraeſentat, quam orthodoxam.

(β) Si-

(β) Simile a corpore animato deductum, recte explicatum, est omnium, quotquot adducuntur, et adduci possunt, accommodatissimum. Est illic unio personalis et communio naturarum, anima per corpus, ceu organon suum personale, facultates exserit et operatur. Videt per eius oculos, audit per eius aures, loquitur per eius linguam. Sed proprietates suas tamen anima corpori non sic communicat, ut ipsum corpus sit rationale, cogitet, ratiocinetur, intelligat, iudicet, velit. Vide *Strimesii* Visit. I. p. 24.

§ 8. His tamen non obstantibus, Theologi Lutherani et Reformati non tam immensis divortiis a se invicem seiuncti sunt, quin recte explicata et intellecta mutua sua sententia amice coire et consentire possint. Difficultas omnis magis in vocabulis et exprimendi modis, quam in ipsa sententia posita esse videtur. Reformati, praesertim quidam recentiores, de communione naturarum, hujusque effectis, minus iuste sentire et verbis proloqui videri possunt. Lutherani verbis et locutionibus insolitis, antea inauditis, et concoctu difficilibus, videntur de effectis unionis et communionis naturarum ea docere, quae essentiam et proprietates naturae, adeoque rationem verae unionis personalis tollant, nec cum Scripturae effatis conciliari queant. Lutherani suspicantur, nostros Theologos duas in Christo concipere naturas, quarum unaquaeque tantum pro se agit iuxta naturales suas proprietates, sine vera communione et participatione alterius, quo ipso unio personalis solveretur, pretium actionibus et operationibus mediatoriis, quas Christus per carnem perfecit, detraheretur, Maiestas hominis Christi, qui est Θεάνθρωπος, imminueretur. Hoc ipsos, ut fieri solet, compulit, ut, dum errori huic imaginario rimas omnes praecludere, omnem vim eripere

nituntur, ad alia extrema delabantur, quae nostris videntur ad Eutychianismum deducere, tamquam humanitas per axiomata, illi in unione communicata, in ipsam Deitatem evecta esset. Ceterum hanc tamen non esse veram Ecclesiae Lutheranae sententiam, ex multis indiciis tuto satis intelligitur. Nam 1. dum actum naturalem et personalem distinguunt, et naturae humanae etiamnum in unione et post exaltationem actum naturalem inesse et ab ea exerceri docent, quamvis eorum hujus distinctionis explicatio auribus nostris nondum satisfaciat, rem unam eamdemque nobiscum tenere videntur, etsi non accurate hoc extricare nobis videantur. 2. Dum non duplicem, sed unicam omnipotentiam, omniscientiam, omnipraesentiam concipiunt, nempe omnipraesentiam Divinam, quae tantum communicetur cum humana natura, nil nisi hoc innuere possunt, Christum per omnipraesentiam Divinitatis suae propriae esse omnipraesentem, et sic in ceteris, quod Ecclesia nostra non invita admittit. 3. Dum omnipraesentiam carnis Christi negant esse localem, expansivam, diffusivam, eo ipso negant praesentiam corporalem et carnalem, et talem tantum agnoscunt, quae competit spiritui infinito, immenso, id est, Deitati. Sic igitur carni Domini attribuunt omnipraesentiam Deitatis, quae est ipsa Deitas, nec a Deitate seiungi potest. Quod, quid aliud est, quam docere, Christi carnem in Divinitate, cum Divinitate et huius respectu esse omnipraesentem, quod libenter largimur. Inprimis recentiores sententiam suam sic explicare solent, ut a nostrae Ecclesiae doctrina non abesse videantur. Responsum illud Dresdense ad *Balthasarem Wincklerum* d. d. 13. April. 1729. diserte profitetur, Ecclesiam Lutheranam *omnipraesentiam Christi tantum operative interpretari.* Et excell. Dn. *Abichtius* in epistola, data

data Wittenb. d. 31 Maii 1731, ſcribit: *Attributa Divina humanae naturae eſſe communicata mediante natura Divina*, (quod *Gerhardum* concedere tantum de attributis quieſcentibus, infinitate, aeternitate, non de operantibus, omnipotentia, omnipraeſentia, vidimus §. 6.) *ita ut attributa vel propria Divina maneant formaliter et ſubiective in Divina natura, et non egrediantur ex Divina natura, ſed per arctisſimam naturarum unionem fieri, ut propria Divinae naturae conveniant naturae humanae vere et realiter, ſed mediate, mediante natura Divina.* Non dilucidius et ad concordiam accommodatius potuit repraeſentari doctrina Lutheranorum. Nec poterit Reformatornm quisquam, qui doctrinam hanc ſubtilem in toto ſuo nexu conſideravit, omnia illius momenta excusſit et penſitavit, in Lutherano plus deſiderare.

§ 9. Cum itaque mens et vera ſententia Theologorum utriusque partis ſuaviter concinat, quamvis huiusmodi verbis et loquendi formulis concepta, quae alteri parti non ſemper ſatisfecit, ſed ſuſpecta potius fuit, et neſcio quid portendere viſa est, ad honorem Dei et Eccleſiarum Proteſtanticarum, nec minus ad earumdem ſalutem non parum conducet, ſi utriusque partis Theologi veram ſuam ſententiam ſine obſcuritatis affectatione dilucide planeque exponant. Et a Theologis quidem Lutheranis expetendum esſet, ut teſtarentur pѣblice ac docerent, proprietates vere Divinas, cuiuscumque generis, non egredi e natura Divіua, ſunt enim ipſe Deus, communicari quidem carni, quippe carni Dei, et quae propter unionem perſonalem cum Deo ipſa Deus est, ſed tantum mediate, mediante natura Dei, ita ut finita humana natura per infinitam ſuam Deitatem edat operationes infinitae virtutis et vere Divinas.

Aequus Lutheranae Ecclesiae Theologus, qui posthabita omni φιλονεικίᾳ et ἀθεολόγῳ vincendi studio, doctrinam hanc subtilem et intricatam in timore Domini cum amore veritatis, pacis, et aedificationis consideraverit, bona conscientia in his aequiescere et contentus esse potest. Vicissim Reformatae Ecclesiae Theologorum est, confiteri candide, Maiestatem Divinam et idiomata Deitatis cum humana Christi natura sic vere communicata esse, ut Christus homo sit vere Deus et Θεάνθρωπος, omnipotens, vere omniscius, vere omnipraesens, per et propter Divinitatem sibi propriam. Sane Christus homo, meus Goël, meus frater, meus Redemtor me novit, mei miseretur, me iuvat, me protegit, me per gratiam ad gloriam perducet. Vtque hoc esse possit, non concipiendus est uni alicui angulo coeli esse adstrictus, ut alius quispiam homo, aut sicuti Epicurus sibi suum numen fingebat, ab omni cognitione et cura rerum humanarum remotum; sed considerandus nobis est omniscius, omnipraesens, omnipotens: omnia enim scit, omnia potest, omnibus rebus adest, per propriam suam sibique personaliter unitam Deitatem, sicuti etiam Divinitas operationes suas mediatorias, in salutem et consolationem eredentium, per humanitatem ut organon suum, personaliter sibi unitum, peragit Talem communicationem idiomatum realem cum natura humana agnoverunt acutissimi et doctissimi Ecclesiae nostrae Theologi, *Zanchius*, *Beza*, *Petrus Martyr*, *Tilenus*, *Pareus*, *Hookerus*, *Sethus Wardus*, *Ioh. Lud. Fabricius*, *Strimesius*, aliique, eamque erudite et prolixe explicat *Balthas. Wincklerus* in Christol. p 138. etc. etc.; et in Epistolis duabus ad Facultatem Theologicam Francofurtanam scriptis.

Hisce positis et attente ac pie consideratis, salutaris

ris pax et concordia, quod ad hunc articulum spectat, facile reducetur. Deus vero pacis det Theologis, Euangelicam puritatem profitentibus, oculos illuminatos intellectus et mentem pacificam, ut omnia ad pacem et mutuam aedificationem, ad sanandas rupturas Sionis, ad promovendum honorem Dei, ad propagandum regnum Christi, candide sine contentione et partium studio conferant!

DIS-

DISSERTATIO PERIODICA THEOLOGICO-HISTORICA DE RESURRECTIONE CARNIS FVTVRA, EX SOLA REVELATIONE DEI COGNITA [*].

§ 1. *Homines creationem mundi ex nihilo, et resurrectionem corporis futuram, ex Ratione non didicerunt.*

Imbecillitatis, quae Rationi humanae nunc a natura inest, maximum hocce mihi videtur argumentum, quod cum omnes instinctu quodam innato feramur ad indagandum, hinc quidem, rerum omnium adeoque generis etiam nostri humani primas origines, illinc vero rerum omnium et cumprimis nostrum ipsorum ultimos fines, omnes tamen lumine Revelationis destituti, quantum scimus, in cognitione harum tanti momenti rerum a vero adeo turpiter aberraverint. Revelatio Divina de prima rerum omnium origine nos docet, Deum aeterna et infinita sua potentia mundum creasse ex nihilo. Eadem testatur, hoc esse Dei omnipotentis de finibus hominum con-

[*] Edita est haec dissertatio a. 1737. Quae in fine § 8 promittere, eiusdem argumenti continuatio non videtur vulgata.

consilium, ut uniuscuiusque corpus, post elapsam certorum annorum seriem, in pulverem redeat, anima tamen semper superstite manente, cui tamdem in magna illa die corpus pristinum, e pulvere mortis et corruptionis revocatum, et priscae formae restitutum, iungendum iterum sit, ut deinde totus homo vitae in hoc mundo ante actae mercedem ferat. Dogmata haec, quae Scriptura magistra tenemus, potentiae Dei eiusque sapientiae, bonitati, et iustitiae, omnibusque in universum perfectionibus, eoque principiis pariter rectae rationis adeo sunt consona, ut plerique ex nostris, qui ea a teneris unguiculis sibi explicata et inculcata audiunt, in ea sint opinione, aliter omnino rem concipi non posse, et suam fidem esse persuasionem totius generis humani. At vero, ubi placita veteris Philosophiae paulo accuratius excutimus, ubi in sententias ea de re gentium omnium non perfunctorie inquirimus, fateri nos oportet, nos creationem mundi ex nihilo, et resurrectionem corporis nostri futuram, nonnisi ex Revelatione Divina didicisse, eoque omnino omnes, quibus usura lucis huius defuit, dogmatum istorum aut plane ignaros fuisse, aut ab iisdem, etsi cognitis, tamen abhorruisse. De creatione ex nihilo disseruimus alias [*]. Nunc ostendere conabimur, dogma de resurrectione corporis demortui futura, hominibus ex Revelatione demum pariter innotuisse.

§ 2. *Resurrectionem corporis clare docet Scriptura.*

Quando *de resurrectione corporis demortui* loquimur, vel ex verbis hisce per se satis intelligitur, de-

[*] Supra p. 477 — 482.

designari a nobis illud corpus, quod in vita fuerat instrumentum animae, eique admirabili et intimo nexu iunctum, quodque, ubi vitalis motus in eo cessaverat, in sepulchro corruptionem expertum et in pulverem collapsum fuerat. Illud ipsum corpus credimus aliquando ex pulvere, in quem fuerat dissolutum, resuscitatum, pristinae formae restitutum, et menti suae immortali iunctum rursus iri voluntate omnipotentis Dei. Hoc Deus Prophetis suis, et per Prophetas populo foederis, sub veteri iam Testamento revelavit et promisit, qui etiam in fide illa Deum glorificavit, Jobi XIX. 26, 27. Ps. XVI. 10. XVII. 15. Hebr. XI. 16. Act. XXVI. 6, 7. Ioh. XI. 24. Eamdem doctrinam Christus Dominus, et Apostoli eius, maiori etiamnum luce perfuderunt, et gentibus omnibus annunciarunt, quemadmodum tabulae N. Testamenti id aperte et ubique loquuntur. Quinimo illa ipsa doctrina est praecipuum fidei ac spei nostrae, adeoque totius religionis, fundamentum, 1 Cor. XV. 10.

§ 3. *Eamdem ratio probat et adstruit.*

Nemo est, qui inficias ire possit, doctrinam hanc ad illustrandam gloriam eminentissimarum perfectionum et virtutum Dei plurimum conferre. Quae potest nobis in mentem venire operatio Dei, in qua infinita eius potentia maiori cum splendore conspicienda veniat, quam creatio mundi ex nihilo, et resuscitatio corporis mortui et in pulverem resoluti? unde haec etiam coniunguntur ut fidei vere Divinae obiecta dignissima, Rom. IV. 17. Et nihil tamen in actibus hisce omnipotentiae Divinae, sicuti eos nobis Scriptura repraesentat, ostendi potest, quod rationi repugnet et contradictionem involvat. An non praeterea rationibus sapientiae Di-

Divinae inprimis congruum videtur, ut, cum hominem Deus voluerit compositum esse ex mente et corpore, cum etiam velit hominem vivere aeternum, partes illas duas, ex quibus homo constat, sapientibus de causis ad certum quidem tempus a se invicem disiungat, easdem vero, ut homo vere aeternum vivere possit, in resurrectione corporis pristino vinculo iterum coniungat? Quodsi vero cogitamus de iudicio Dei, quod post hanc vitam hominibus omnibus est expectandum, resurrectio mortuorum iam non videbitur probabilis tantum, sed vix aliter existimare licet, quam bonitatem et iustitiam Dei necessario eam requirere. Nam si corpus instrumentum fuit animae piae et Deum timentis, si illa membris corporis usa est ad Deum glorificandum, et ad edendum plurima opera iustitiae, amoris, et pietatis, (Rom. VI. 19. 1 Cor. VI. 20.) saepe non sine molesto sensu, dolore, laboribus et aerumnis miseri corpusculi, an non aequitati, an non bonitati optimi Creatoris convenit, ut corpus, pars quidem infima, sed pars tamen hominis, in societatem veniat illius praemii, quod Deus pietati hominis promisit, et quo eum etiam pro molestiis huius vitae, pro gratia sua, vult recreare? Luc. XVI. 25. Et si vicissim corpus animae, Deum abnegantis, contemnentis, et innumeris peccatis se ipsam polluentis, non modo instrumentum fuit, sed si etiam animae peccanti illecebras et occasiones subministravit, si animam, cuius spiritualis natura est, cupiditatibus suis carnalibus servire coëgit, et ex peccato commisso commodum et voluptatem cepit, an non manifestae rationes iustitiae Dei postulant, ut corpus etiam ex poena, quam propter peccata anima sensura est, partem suam capiat, uti partem cepit ex peccato eiusque fructu? Quare si resurrectio corporis negetur, dicendum videtur, Deum eo ipso tempore, quo vita ventura et in illa iudicium ultimum instat,

cor-

corpus hominis morti et corruptioni tradere, ut secundum aliquam partem sui, aut praemio promisso, aut poena promerita excidat.

§ 4. *Eam tamen Gentiles ignorarunt.*

Etsi autem iudicium Dei, in omnes homines post hanc vitam instituendum, a gentibus cultioribus cunctis, et omnibus in universum, de quarum Theologia aliquid certi compertum habemus, creditum ac expectatum fuerit, ignota tamen iisdem fuit resurrectio corporis demortui, quam nos Revelatio clare docet, quamque ipsa iudicii futuri consideratio necessario involvere videtur. Et id quidem primo vel ex eo satis constare potest, quod dogmatis tam memorabilis, quale est illud de resurrectione corporis mortui, in scriptis veterum, Philosophorum praecipue, Poëtarum et Oratorum nulla distincta et luculenta mentio occurrat. Quam non egregia de immortalitate animae dicta veterum extant, quam copiosa? quae non tantum cum voluptate leguntur, sed etiam crebris nostrorum sermonibus usurpantur. Quale est illud notissimum:

(a) *Cum volet illa dies, quae nil nisi corporis huius*
Ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi:
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar. . . . .

At de resurrectione corporis altum semper silentium. Huius nempe somnum nulla reviviscendi vicissitudine solutum iri, communis erat omnium sententia, quae de-

(a) *Ovidius* Metam. Lib. XV. fin.

decantatis illis Poëtae non ignobilis versibus exprimitur:

(*b*) *Soles occidere et redire possunt:*
Nobis, quum semel brevis occidit lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Tertullianus ipsas has tritas et communes vulgi voces adfert, quibus fidem Christianorum opponit (*c*): *Aiunt, mortuum, quod mortuum; et vive, dum vivis, et, post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa.*

§ 5. *Et ipsi quidem Philosophi.*

Non ulterius progressi sunt Gentilium Philosophi, etsi profiterentur, se quaerendo et indagando verum, totam aetatem consumere. *Cicero* certe, qui, in *Tusculanis Quaestionibus*, omnes ingenii nervos intendit, ut hominem metu mortis perturbatum et fractum consoletur, qui eam ob rem omnes Philosophiae loculos undiquaque excutit, qui veterum omnium diversas de statu hominis post mortem sententias diligentissime expendit, ne verbulum quidem de restitutione corporis iniicit, etiamsi id vel maxime ad rem eius fecisset. Et si ipsas praecipuorum Philosophorum hypotheses, de mente non minus quam de corpore, meditate exploremus, deprehendemus facile, illas doctrinae de resurrectione carnis vehementer inimicas esse, et cum illa nullo modo conciliari posse. Nam *Epicureos*, quibus tamen (*d*) non-

(*b*) *Catullus* in carmine V ad Lesbiam.
(*c*) De resurrect. carnis cap. 3.
(*d*) *Hieronymus*, et post eum *Merious Casaubonus*, of. *incredulity* p. 22, 23.

nonnulli dogma de resurrectione corporis tribuere audent, constat, non modo de restitutione corporis non cogitasse, sed (*e*) menti etiam, post discessum e corpore, vitam suam omnemque immortalitatem prorsus denegasse. Non multo melior erat hac de re (*f*) *Stoicorum* opinio, quam (*g*) *Cicero* iocose ita perstringit: *Stoici autem usuram nobis largiuntur, tamquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos, semper negant.* Metempsychosis *Pythagoreorum* nemini obscura est, quae tantum abest, ut cum resurrectione corporis aliquam cognationem habeat, quemadmodum videtur nonnullis, ut eam potius re ipsa evertat et penitus tollat. *Plato* equidem, si (*h*) *Iustinum Martyrem* audiamus, hac etiam in re Philosophos reliquos longe antecelluit, nam doctrinam de resurrectione corporis, quam illi ignoraverant, ipse credidit et adstruxit. Verum nihil omnino tribuendum esse illi argumento, quo ad probandum hoc uti voluit *Iustinus*, luculenter ostendit (*i*) *Humphredus Hodius* in illo ipso libro, quo demonstrare fategit, Gentilibus dogma de resurrectione corporis cognitum omnino fuisse. Et quis sibi persuaderi patietur, eum potuisse credere coporis mortui futuram restitutionem, qui omni corpori naturam mali necessario inesse firmiter tenuit, qui in coniunctione mentis cum corpore ultimam eius miseriam, in liberatione vero a vinculis corporis maximam eius-dem

(*e*) *Cicero* Tusculan. Lib. I. c. 31. *Diogenes Laërtius* Lib. X. Segm. 71, 72. *Plutarchus* de Placitis Philos. Lib. IV. c. 7. Et hoc *Lucretius* Epicureus multis docere et inculcare nititur.

(*f*) Vide *Menagium* ad *Laërtium* p. 326.

(*g*) Tusculan. Quaest. loc. cit.

(*h*) Cohortatione ad Graecos pag. 26. edit. Paris.

(*i*) The resurrection of the same body asserted p. 4, 5.

dem beatitudinem positam esse affirmavit, et qui praeterea animas illas, quae in corpore suo nondum purgatae essent, in alia migrare asseveravit. Qui ad (*k*) haec Philosophiae *Platonis* placita animum advertit, rationem haud difficulter perspiciet, ob quam haeretici illi, nimio Philosophiae Platonicae amore fascinati, qui sub nomine Gnosticorum seculo I et II. Ecclesiam tantopere turbarunt, resurrectionem carnis uno ore omnes reiecerint. Eidem immodico in Philosophiam suam Platonicam affectui tribuendum utique est, quod *Synesius* Cyrenensis, ad fidem Christi conversus, Episcopatum Ptolemaidis in Cyrenaica sibi oblatum nonnisi sub hac conditione susceperit, ut liceret sibi resurrectionem mortuorum non credere, quemadmodum (*l*) *Evagrius* et alii testantur. Ex his iam satis intelligitur, quam vere *Tertullianus*, Philosophiae et omnis antiquitatis peritissimus, dixerit (*m*): *Vt anima interire dicatur, ab Epicureis observatur, et ut carnis restitutio negetur, de una omnium Philosophorum schola sumitur.* Vt itaque haud immerito (*n*) *Iustinus Mar-*

(*k*) Videri inprimis de hoc argumento potest doctissimus *Bruckerus* in Historia Philosophica Tom. I, ubi de Philosophia Platonis, et Tom. III, ubi de recentiorum Platonicorum placitis disserit.

(*l*) Hist. Eccles. Lib. I. c. 15. *Photius* in Bibliotheca Cod. XXVI. Adde ipsius *Synesii* Epistol. 105. pag. 68. edit. Turnebi.

(*m*) De Praescript. Haereticor. cap. VII.

(*n*) Cohort. ad Graecos p. 16, ubi observa, fuisse etiam inter Graecos, qui restitutionem corporis prorsus impossibilem iudicarent. Ita *Aeschylus* in Eumenid. v. 642, etc. *Antiphanes* Comicus apud *Stobaeum*, in Excerptis Grotii p. 311. *Plinius* Hist. Natur. Lib. II. cap. 7. *Lucretius* passim. *Celsus* Epicureus apud *Origenem* contra Celsum Lib. II. p. 94, 95, 96.

Martyr resurrectionem vocaverit ἀπιςουμένην παρ' Ἕλλησι, *a Graecis non creditam*, etsi Platonem et Homerum, ab Aegyptiis nempe aliter edoctos, ab hac regula ipse excipiendos esse opinetur; sed profecto frustra.

§ 6. *Vnde habita est pro doctrina, Religioni Christianae propria.*

Id ipsum, quod hucusque argumentis et testimoniis compluribus confirmare conatus sum, conspicuum maxime fit ex historia Euangelii de Christo Gentibus praedicati. Ex illa enim discimus, doctrinam nostram, de resurrectione corporis futura, ab omnibus in universum, sapientibus et ineruditis, optimatibus et plebe, magna cum admiratione auditam, sed nec sine risu et contemtu primo exceptam fuisse. Testatur ipse Historiae Apostolorum scriptor sacer, Paulum Apostolum Athenis, in illo literarum et disciplinarum omnium illustrissimo domicilio, de resurrectione mortuorum disserentem, toti populo, nec minus Philosophis, Epicureis et Stoicis sigillatim, deridiculo fuisse, qui eum, ceu inauditas et incredibiles fabulas publice venditantem, lepidis iocis prosecuti sint, Actort. XVII. 18, 32. Cum quo sancti Lucae testimonio amice conspirant, quae aut in ipsorum Gentilium libris de hac Christianorum doctrina disputata legimus, aut ex eorumdem sermonibus nobis referuntur. *Lucianum* certe, ubi nobis vitam et mores Peregrini, qui aliquamdiu fidem Christianam simulaverat, depingit, hunc in modum dogmati de resurrectione illusisse novimus (o): *Etenim persuaserunt sibi miseri illi, se ul-*

(o) De morte Peregrini Tom. II. p. 765. Confer locum

totos (ita vertendum est, nempe ratione tam corporis, quam mentis) *immortales fore*, *et perpetuo victuros. Idcirco mortem contemnunt, et multi se ultro occidendos tradunt.* Ita *Celsus* Epicureus (*p*) historiam de resurrectione Christi, dogma de resurrectione in genere, inter aniles fabulas refert, quae homini sapienti numquam persuadebuntur. Idem (*q*) lepido sane errore dogma de resurrectione adeo novum et recens putabat, ut a Christianis ex male intellecta et accepta doctrina de animarum transmigratione detortum et confictum crederet. Et Caecilium Ethnicum *Minutius Felix* in elegantissimo dialogo, quem Octavium inscripsit, adversus Christianos ita disserentem introducit (*r*): *Nec hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas adstruunt et annectunt. Renasci se ferunt post mortem et cineres et favillas: et nescio qua fiducia mendaciis suis invicem credunt. Putes eos iam revixisse. Anceps malum, et gemina dementia! Coelo et astris, quae sic relinquimus, ut invenimus, interitum denuntiare: sibi mortuis, extinctis, qui sicut nascimur, et interimus, aeternitatem repromittere.* Colligi ex his potest, dogma de resurrectione corporis, quia a Christianae fidei hominibus toti mundo anunciari coeperat, a Gentilium eruditissimis et sapientissimis habitum fuisse pro dogmate ipsis proprio et peculiari. Neque id etiam fidei nostrae defensores, ubi cum Gentilibus manus conseruere, inficia-

cum memorabilem in Epistola Lugdunensium Christianorum ad Ecclesias Asiae et Phrygias, de suorum tormentis et martyriis scripta, apud *Eusebium* H. E. Lib. V. c. 1.

(*p*) Apud *Origenem* contra Celsum Lib. II. p. 94.

(*q*) Apud eumdem *Origenem* Lib. VII. p. 353.

(*r*) In Octavio cap. XI. p. 64. edit. Davisii.

ficiari aequum censuerunt. Id, ut alios iam taceam, *Tertullianus*, vir sua aetate doctissimus, ex ethnico ad gregem Christi conversus, sine cunctatione fatetur (*s*): *Fiducia Christianorum*, inquit, *resurrectio mortuorum. Illa credentes sumus, hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit. Sed vulgus inridet, exstimans nihil superesse post mortem.* Et alio loco (*t*): *Nationes praeconium resurrectionis inauditae retro, ipsa novitate, concussit.* Plura addere iam non licet.

§ 7. Est itaque haec praerogativa Religionis nostrae Christianae illustrissima, quod hancce de resurrectione corporis doctrinam non modo tradat, sed tanta etiam luce perfundat, ac tam invicte ad conscientias omnium hominum demonstret, ut producat fidem et spem, de qua merito gloriamur, Rom. V. 2. Qui fidem hanc in mente sua vivam persentiscit, ille iam nunc *regenitus est in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in coelis*, 1 Petr. I. 3, 4. Et cum ista spes Christianorum sit praecipua ipsorum et consolatio et gloria, ob quam vitam corporis caducam in hoc mundo merito contemnere potuerunt, hinc videntur ab Ethnicis cognominati fuisse (*u*) *Elpistici*, ut qui spe boni futuri, et, ut ipsis videbatur sine dubio, incerti animum suum pascerent. Quo ipso tamen ostenderunt, *se spem non*

(*s*) De Resurrect. carnis cap. I. Vid. et cap. III.
(*t*) Eodem Libro cap. XXXIX.
(*u*) *Plutarchus*, Sympos. L. IV. Quaest. 4, meminit Philosophorum Elpisticorum. Per illos designati Christianos, censet celeberrimus *Heumannus* Act. Phil. Tom. III, p. 911.

non habere, uti Paulus etiam hoc respectu de ipsis iudicat, Eph. II. 12.

§ VIII. Novi adversus ea, quae hactenus disputavimus, de resurrectione corporis futura, ex sola Revelatione Divina nobis cognita, multa adferri solere, petita partim ex testimoniis Gentilium, partim ex dogmatibus integrorum populorum, quae cum doctrina nostra de resurrectione corporis aliquam affinitatem habere videntur. Ad obiectiones illas animus erat paucis nunc quoque respondere, sed quia Dissertatio haec iam ultra modum praescriptum excrevit, id quod restat, alii tempori reservabimus.

ORATIONES.

ORATIO

DE STYLO THEOLOGICO,

Habita a. 1722.

Sesquiannus nunc fere circumactus est, ex quo hoc ipſo in loco, in hoc veſtro conſeſſu, conſimili occaſione, muneris recens mihi tum impoſiti ratione id flagitante, verba ad vos feci, Auditores. Meminiſtis forte quidem, quo animo affectus roſtra haec Academica primum conſcenderim, quantam verecundiam, ne dicam timorem, ipſe corporis habitus et vox incerta ac tantum non tremebunda prodiderit. Equidem me huius timiditatis, ſeu mavultis tenuiori vocabulo efferam, modeſtiae, quam in me tum obſervare potuiſtis, et obſervaſtis credo, adeo non pudet, ut novum munus Theologicum, ab Auguſtisſimo Rege ac Domino noſtro clementisſimo mihi demandatum, iam auſpicaturus, non verear etiam hodie, postquam et loco huic, et veſtrae praeſentiae, et laboribus Academicis asſuefactus ſum, idem apud vos confiteri. Magna tum, cum profesſionem Philologiae Sacrae in me ſuſciperem, animo meo obverſabantur, eique non omnino praeter rem metum aliquem iniiciebant. Nam cum antea in loco, ab eruditorum hominum commercio nonnihil remoto, vitam

tam egisſem, tranquillam eam quidem, et pro ſorte mea beatam, ſed obſcuram, ſubito in clarisſimam hominum lucem me, volentem, nolentem, protruſum cernebam: cum antea litteras quidem pro modulo virium et ingenii excoluisſem, ſed ſine ambitione aut cupiditate inclareſcendi, nunc inter tot veteranos, non aetate magis quam meritis et laude graves, conſtituto mihi, videbam facile, multo maiori ſtudio ac maiori diligentia posthac opus esſe, ſi ſpei et deſiderio aliorum ſatisfacere, ſi famam huius loci et huius Academiae, ſi dignitatem denique ordinis veſtri P. A. C. tueri vellem. Alia nunc omitto, ne commemoratione rerum praeteritarum, et quas nosſe parum veſtra interesſe ipſi iudicabitis, patientiam veſtram in ipſo dicendi principio fatigem, et ea, quae protuli, niſi me mea fallit opinio, ita ſunt comparata, ut fluctuationi et perturbationi meae, quam non usqueqnaquam celare potui, apud aequos rerum aeſtimatores merito patrocinari viſa fuerint.

Neſcio, Audd., an mihil hodie a laboribus Philologicis ad ſeveriores multo ac difficiliores Theologicos, iusſu longe clementisſimi Nutritii noſtri, me conferenti, ac pariter de onere humeris meis impoſito apud vos conquerenti, veniam ſitis concesſuri, qua me nuper non omnino indignum cenſuiſtis. Illud quidem nemo veſtrum mirabitur, me, cum gravitatem et difficultatem illius ſpartae, ad quam pro viribus ornandam vocatus ſum, mecum ſerio perpendo, non mediocriter haeſitare et animo angi. Quid enim potest esſe maius ac difficilius, quam totam ſalutaris doctrinae Chriſtianae ſummam, quam ipſe Dei Filius Divino ſuo ore praedicavit, quam ſanctisſimi Apoſtoli indefesſo labore et mirabili patientia per totum orbem circumtulerunt, quam labentibus ſeculis multorum perverſisſimorum hominum in-

infelices, aut potius felices nimium conatus et in Divinam veritatem nefarii impetus, operosiorem, sed propter id ipsum magis intricatam reddiderunt, et a qua tamen pendet aeterna hominum salus, sic mente imbibisse, atque in numerato habere, ut ipse a gravi errore immunis sis, ut ne aliorum animis pravi quid infigas, ut denique omnem hanc sanctissimarum veritatum catenam, quam per singularem Dei gratiam puram et a sordibus repurgatam accepimus, tua quoque industria illustratam, confirmatam ac defensam, castam rursus ac illibatam ad posteros transmittas. Quid tremendum magis, quam munus adire, cuius, cum in propagando Dei honore, et in procuranda salute hominum, in formandis Divinorum mysteriorum oeconomis unice versetur, cuius inquam ratio non tantum Magistratui huius mundi, quantumvis exactissimo, sed ipsi Deo peculiariter reddenda est, ratio nempe reddenda temporis variis modis male perditi, ratio eius, quod cum promovere potuisses, omisisti tamen, boni, ratio denique damni, quod tua sive negligentia, sive imprudentia, sive malitia in Ecclesiam et Rempublicam irrepsit. Quid porro, si ut homines humana quoque spectamus, periculosius bonae famae, quam ardua haec per se sacra cum aliqua laude tractare velle in ipso Reipublicae Literariae conspectu, in hoc eruditionis, ad quod seculo nostro pervenit, fastigio, in tanto doctorum vel etiam semidoctorum proventu, inter tot censores, malevolos, obtrectatores, qui, quo pauciora recte sciunt, tanto maiorem sibi licentiam datam esse credunt. Nae, si hoc arduum non est, si illarum rerum meditatio Theologum et Theologum quidem iuvenem plane securum et confidentem esse sinunt, quid est tam alte positum, quid adeo viribus mediocribus denegatum, quod non levissimo nisu impetrari posse, sperare licet.

At

At vero, nam hoc obiici mihi posse video, cum tot difficultatibus provincia Theologica obsepta sit, quidnam causae est, ut eam mihi non satis praeparato et tot impedimenta metuenti imponi passus sim, cur eam ego appetii, aut cur oblatam, quod licebat, non recusavi? Multa profecto sunt, AA., quae animum meum flexerunt, eaque forsitan, si calculum recte subduxi, iis, quae hactenus ad excusandam haesitationem meam protuli, non minora. Nam, ut taceam, dandum aliquid fuisse voluntati ac monitis eorum, qui pro iure suo plurimum in me possunt, illud me non parum consolatur, quod me, huiusmodi quid hoc tempore nec petentem nec machinantem, Augustissimus Rex ad professionem hanc Theologiae ordinariam inopinato prorsus vocaverit, etiamsi rerum mearum ignari, falsa quadam specie decepti, aliter fortean existimare possint, levi tamen et praematuro iudicio. Eo, quo dixi, modo rem se habere, norunt, quibus familiariter uti soleo, et qui non tam ex ore meo, quam ex scriptis super hoc negotio ad me epistolis, quidquid gestum est, cognoverunt. Id mihi, quo nomine inprimis laetor, testatur conscientia, utinam omnis alius criminis aeque pura. Quare si Deo O. M. me ad Ecclesiam, mox ad Academiam per voluntatis suae administros vocanti, impigre parendo, recte feci, non erat, quod nunc officii adaucta gravitas me prorsus absterreret, et immorigerum efficeret. Nam qui onus accumulat, vires etiam oneri ferendo pares addere potest. Deind eplurimas, certe gravissimas, quas antea enarravi difficultates, iam semel, cum Ecclesia fidei meae concredita esset, expertus sum. Cum ab ineunte aetate vitam meam studio et muneri sacro consecraverim, non lucri causa, nam illud aliunde amplius expectari potest, sed solo Dei et pietatis amore, quid nunc erat tergiversandum, ubi Deus viam ostendit ac signum extollit, ubi pio meo

meo desiderio latissimum campum apertum video, hac praesertim aetate, quae et propter vigorem laboribus perferendis inprimis idonea est, et propter docilitatem fingi facilius atque formari in omnia potest. Iam itaque, quod felix atque faustum Academiae huic et mihi esse iubeat sapientissimus huius universi et inprimis Ecclesiae suae Moderator, ad obeundum novum munus me accingo, non quidem sine metu, non sine sensu perexiguarum mearum virium; at fretus tamen illo Divino auxilio, cuius praesentiam, per totum vitae meae curriculum, me toties expertum esse, grata et devota mente agnosco. Et cum more a maioribus ad nos devoluto, aliquid sub initium auspicato veluti dicendum sit, non diu neque sollicite de argumento, quale eligendum esset, deliberandum mihi esse putavi, verum quod res ipsa et muneris mei ratio ultro offerebat, sine cunctatione arripui. Etenim Theologi, seu is in cathedra Ecclesiastica, seu sit in Academica constitutus, primarium et summum officium est, loqui, erudire, persuadere. Si hoc officio rite fungatur, nihil est, quod praeterea in ipso requiras, verum dignus merito iudicatur, qui omne punctum ferat, qui omnium plausu, omniumque laudibus excipiatur.

Dum igitur id nunc ago, ut, quantum permittent temporis praescripti angusti limites, exemplar aliquod *Styli* vere *Theologici* mihi vobisque Audd. delineare contendam, aut saltem primas eius lineas ducam, vos interea me dicentem vestra benevolentia prosequimini, atque sic ad provinciam mihi demandatam recte inchoandam et diligenter administrandam promtiorem et alacriorem reddite.

De *Stylo Theologi* me dicturum pollicitus, magna vobis Audd. conari videbor, et si non omnino captu meo, saltem perexigua illa, qua in dicendo me pollere lubens fateor, facultate haud paulo maiora. Nam ut taceam, quanta sint illa, quae ad forman-

dum

dum et perpoliendum consummati Theologi stylum requiruntur, quam de me apud vos spem fore, ut promissa tela rite pertexatur, excitare potero, qui nec ingenio satis vivido, nec lingua ad dicendum exercitata sum instructus? Quis pictori operam suam in formandis discipulis addicenti fidem habeat, cuius picturae ne mediocrem quidem artem respirant? Quis sculptori semet imbuendum committat, cuius signa, statuas, aliaque opera nemo umquam laudavit? Verum nolite illico Audd. styli mei ruditate perturbari, nec vos mea in dicendo simplicitas aut etiam inelegantia deterreat. Non enim verba speciosa, sonora, anxie selecta, quibus res sacras proferatis, venio suppeditaturus, non concinnum singularum vocum situm, nec auribus gratum numerum monstratūrus, nam in illa arte me parum profecisse, haec mea vos satis admonet oratio. Animus potius est, mentem futuri Theologi formare, eamque ad apte et cum fructu res summi momenti eloquendas praeparare. Sunt praeterea quaedam artium disciplinae, quarum intimam rationem, quarum praecepta et regulas ipse tenere et cum aliis communicare possis, tametsi id ipsum, quod doces, exsequi natura tibi denegaverit. Quis nescit Horatium, in tradendis legibus Poëmatis Heroici, functum fuisse vice cotis, quae cum ipsa exsors sit secandi, ferrum tamen acutum reddere valet. Eodem modo liceat nunc mihi praestantem aliquam imaginem Oratoris Theologici, qualem mente mea concipio, vobis depingere, ad quam perficiendam quotidie et deinde imitandam vobiscum, Auditore, per totam vitam contendere possim.

Duae hic nobis sese offerunt imagines, rudi meo penicillo adumbrandae: una Oratoris Ecclesiastici, qui Pastor gregis Christi constitutus, illum docet, illum adhortatur; altera Oratoris Academici, qui iuventutem Academicam, ad munera sacra adspirantem,

tem, ducit, erudit ac format. Vtraque haec imago, separatim spectata, proprios sibi colores, diversa lineamenta poscit: fieri enim potest, ut quodammodo perfectus sit Orator Ecclesiasticus, cui multa desunt ad explendas debite partes Oratoris Academici, neque etiam non prostant exempla eorum, qui cum Academiarum bono videantur nati, dictionis aliquod genus adsciscunt, quod coetui populari non usquequaque placet, quodque ad homines plebeios aedificandos compositum non est. Verum, si utramque hanc imaginem, non dico, pro dignitate rei, sed pro tenuitate mea, adhibitis omnibus coloribus descriptam, seorsim vobis sistere vellem, quo me non abriperet argumenti vastitas. Me profecto dicentem tempus, vos audientes patientia deficeret. Quamobrem sequamur potius institutum vetusti cuiusdam pictoris, qui cum formosas multas videret mulieres, harumque omnium vultus et ora imitando, complures posset, easque praestantes, componere imagines, maluit tamen ex omnibus unam effigiem conficere, quae, quod pulcherrimae mulieres singulae in vultu habebant et in habitu corporis maxime spectandum, uno compendio iunctim exhiberet. Ita nos, cum plurima oratori utrique sint communia, cum utriusque virtutes in Oratore Academico desiderentur et saepe reperiantur, ex iis quae utrumque constituunt, ac auditoribus suis gratum non minus quam utilem reddunt, imaginem oratoris nostri formemus, et stylum Theologi conficiamus.

Recte Tullius, ille non tam eloquentiae Romanae parens, quam potius optimum exemplar, dicere parantem monet, ut, quid dicat, quo loco dicat, et quomodo dicat, probe perspectum habeat. Idem quoque Theologo nostro dictum volumus. Nosse hunc ante omnia oportet, excussisse eum penitus velim, quae et cuiusmodi sint illae res, quas audito-

ribus suis exponere aggreditur, quarum naturam vult explicare, veritatem confirmare, et contra incredulos asserere, quarum amorem ac studium omnibus cupit instillare. Quam non solliciti sunt oratores civiles, ut rerum, quas oratione persequi cogitant, nihil plane sibi incognitum sit. Si quem laudare sustinent, eius integram vitam, ab incunabulis ad ultimum usque halitum transactam, sibi familiarem ac praesentem reddunt. Nihil eximii is meditatus fuit, nihil ingeniose ore protulit, nihil praeclare ab eo gestum fuit, in quod non diligentissime inquirant, quod non, quantum possunt, ornatissime omnium oculis exponant Panegyristae. Quid, qui bellum aut pacem, aut similia suadent ac dissuadent, qui aliquem accusant, aut accusatum defendunt, an non ad minutissima quaevis attendunt, et sic demum omnibus accurate perpensis ad dicendum prodeunt? An vero minoris sunt momenti, quae Theologus loqui, quibus ille auditorum suorum animos pascere, erudire ac flectere debet? Non quaerit Theologus aliquam exquisitae eloquentiae laudem, qui saepe unicus fructus est, quem secularis orator sibi propositum habet. Non felicitatem aliquam paucarum horarum, aut etiam nonnullorum vitae huius annorum caducam auditoribus suis pollicetur, eiusque desiderium ipsis iniicit, non malum aliquod incertum et brevi duraturum a cervicibus illorum depellere nititur. Non unius cuiusdam privati crimina indicare, non unius famam et honores huius mundi conservare studet. Etiamsi haec non sint contemnenda, ea tamen, quorum causa Orator Theologicus ad fidei suae concreditos loquitur, multo his sunt digniora, multo maioris pretii, adeoque maiorem eius attentionem, maiorem industriam et diligentiam exposcunt. Nam ille laudes omnipotentis ac summi Creatoris, utinam semper digno ore! praedicat, quo ad amandum et to-

tota vita omnibus actionibus tantum Numen reverenter colendum, inflammentur hominum corda. Ille doctrina huiusmodi auditores suos imbuit, qua nihil est sapientius, nihil excellentius, quam a solo Deo revelari potuisse, nemo nisi pervicacissimus et occaecatus negabit, qua una salus aeterna impetrari potest, et sine cuius cognitione homines in tenebris volitant sicut umbrae, nec Deum, nec semet ipsos, nec viam salutis intelligentes, et propterea aeternum miserrimi. Ille nihil suadet, nisi vere honestum, aequum et pium, quod Deo placet et ab hominibus laudatur, nihil contra dissuadet, quam quod Deum fontem bonitatis et felicitatis laedit, quod inimicum est commodo societatum publicarum et domesticarum, quod animos hominum polluit, ipsosque Deo invisos, hominibus contemtos, brutis vero similes, sed praeterea iisdem multo infeliciores reddit. Ille denique piis viam ad aeternam et ineffabilem beatitudinem commonstrat, impiis vero terribile et nullis annorum myriadibus finiendum supplicium denunciat. Quam haec sunt ingentia et augusta, quantam in auditore attentionem, quantam in doctore curam et diligentiam efflagitant? Si ea semper, inprimis quoties ad dicendum publice prodit, animo penitus infixa haberet Theologus, videres eum continuo et ferventissimo zelo ardentem, pietatem ubique spirantem, similes quoque motus apud auditores suos producere, videres tum veritatem, pulso omni errore ac mendacio, triumphantem, videres religionem et sanctitatem, pacem et iustitiam, temperantiam et castitatem, quarum omnium virtutum multis nonnisi nuda nomina sunt cognita, laudari, amari, in pretio haberi et sincero affectu coli.

Nolo iam de loco et ordine, quo singula dicenda sunt, ut concinnus appareat nexus, ut quae legitime erant disposita, cum voluptate audiantur et non dif-

ficulter retineantur, quod Cicero posuerat secundo loco, aliquid in praesens addere. Quidquid enim eo pertinet, non tam ex Theologorum, quam ex Technicorum praeceptis erit hauriendum, et inprimis prudentiae dicentis relinquendum. Praecipua huius nostrae imaginis, cuius ducimus lineas, cum stylum Theologi describimus, vis in eo sita est, ut quo modo dicat Orator vere Christianus, rerum quas prolaturus est, probe memor, ordine edisseram.

In aliis dicendi generibus id unum maxime spectatur, ut persuadeas, utrum veris an ad veritatis speciem compositis rationibus, utrum ignorantem docendo, an incautum fallendo, id perinde est, dummodo auditorem in tuas partes pertrahas. Quinimo tanto insignior vis et ars Oratoris reputari solet, quanto magis res ab omni veri specie remotas probabiles et veris proximas reddidit. Id vero a Theologo quam longissime abest. Eius oratio, si dignitatem et conditionem muneris sui ob oculos positam habet, omnem fucum, verborum omnia lenocinia, quibus non veritas indiget, sed mendacium, procul a se esse iubet. Eius oratio persuadet quidem, sed sola rei veritate et evidentia, cuius tanta est vis, ut omnium oculos et mentem fulgore suo perstringat, ut omnes etiam invitos ac nequidquam renitentes ad assentiendum sibi validissime cogat.

Metam adeo pulchram et exoptatam facile continget Theologus, si ante omnia Scripturam S. ditissimam illam et limpidissimam omnis veritatis scaturiginem, multo usu et assidua lectione, adeo sibi reddiderit familiarem, ut numquam ex ore eius excidat aliquid, quod sanctissimae veritati, illic contentae, ullo modo repugnet. Hunc ego bonum iudico Christianum, et religionis suae probe gnarum, qui nec in pectore suo quidquam fovet, nec verbis exprimit contrarium concredito nobis Dei verbo. At

is demum Theologi vere diserti nomen meretur, qui sacris vacans, raro sine Scriptura loquitur, cuius sermo quidem S. Codicis, sed bene intellecti, neque male detorti, cento dici potest. Etenim, sive docendum, sive adhortandum sit, seu virtutem laudare, seu vitium castigare oporteat, unde fontes huius eloquentiae rectius petet Theologus, quam ex illo libro, quibus verbis ea omnia magis ad rem suam, quam habet prae manibus appositis, magis ad emolliendos auditorum animos accommodatis, aut praeclarum magis effectum habituris, quam verbis, quae ipse Dei sanctissimus et sapientissimus Spiritus in hunc usum dictavit. Turpe quodammodo est, de Deo, cum id possis, loqui sine Deo. Si Iurisconsultum pudet loqui sine lege, Theologus erubescat, quem in argumento suo deficit S. Scriptura, aut qui eam, cum in promtu habeat, negligat.

Postquam Theologus sanctissimum fidei thesaurum ita suum fecit, ita in succum et sanguinem convertit, ut pro re nata inde semper depromere possit, quibuscumque indigebit, ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum et erudiendum in iustitia, proximum est, ut studeat claritati et perspicuitati. Namque oratoris est, ea quae latent abdita, aut tenebris obducta, in lucem proferre, quae sunt involuta et dubia, ac propterea diiudicari nequeunt, evolvere, plana, certa et indubitata reddere. Quomodo enim sperare potest ille, se aliis quid persuasurum, cuius mentem nemo assecutus est, qui dubium reliquit, an ipse, quid dixerit, aut quid dicere voluerit, perfecte norit. Indicium est non optimae causae, ea, de quibus loquendum erat, sic obtegere et palliare, ut, cum ostendi et conspectui exponi videantur, simul tamen accurato auditoris iudicio ambiguitate sua subducantur, et is incertus dimittatur. Refert antiquitas, vixisse Philosophum quemdam, Heracli-

tum, alioquin non ignobilem, cui intricata et parum distincta methodus cognomen σκοτεινοῦ, *tenebricosi*, indidit. Indignum sane nomen Philosopho, indignius Oratore, cuius praecipua vis in perspicuitate sita est, indignissimum Theologo. Christus Servator lux vocatur, et lux quidem illuminans omnem hominem. Qui itaque vestigia Divini huius sui magistri se premere gloriantur, meminerint non tenebras inferre luci, sed lucem tenebris. Quod ut cum successu fieri queat, nihil proferat Theologus, nihil asserat, quod non antea diligenter exploraverit, quod non aut penitus intellexerit, aut de cuius Divina revelatione argumentis evidentibus persuasus et plene convictus fuerit. Summa enim haec et non toleranda praesertim in Theologo confidentia est, id alios docere, quod ipse nescit, quod non capit, aut ubi perpetuo haesitat. Plerumque usu venire videmus, ut obscuritatis genuina mater sit ignorantia, quod inprimis in Theologia Scholastica observare licet, quodque pluribus, nisi temporis habenda esset ratio adstruere possem. Ea deinceps, quae penitus intellexit, quae verissima esse, et auditoribus suis profutura certo scit, idoneo et quantum fieri potest, naturali ordine disponat. Ordo enim est anima rerum omnium, quo efficitur, ut cuiuscumque pulchritudo appareat, resque ipsa placeat magis. Ordine bene servato, non id modo obtinet orator, ut cum voluptate eum audiant circumstantes, sed ut iidem quoque amplissimum ex auditis fructum percipiant. Quae eleganter et ingeniose dicuntur, sed sine ordine, iucunda sunt illa quidem, sed cito pereunt. In quibus vero inest ordo quidam, quem ipsa res suppeditare videtur, illa durant et non facile e memoria evanescunt. Perspicuitatem adiuvabit Theologus, si vocibus utatur, non tam grandibus et longinque petitis, quam notis potus et usu fa-

familiari tritis, quae ideam rei, quam tractat, neque augent, neque minuunt, sed ipsam quam aptissime exprimunt. Eam ob causam perspicuitatem Theologi, ut soror uterina, ut comes individua stipabit simplicitas styli, sine qua perspicua non est oratio, sed fallax et ambigua, quae res non repraesentat, quales sunt, sed quales Orator, sub habitu et vultu ementitio, auditoribus suis apparere cupit. Multis quondam post Augustea secula in deliciis erat, nec hodie displicet quibusdam stylus quidam affectatus, numquam veritatem et naturam, ubique artem redolens. Rusticum illi hoc putant, rem aliquam vero suo et genuino nomine appellare, et veritatis ipsos pudet, quando non satis ornata, non cothurnis, non regali in ostro et auro incedit. Quasi Oratoris et Poëtae Tragici eaedem sint partes, cum hic tamen spectatores suos scientes volentes decipiat, ille nil nisi verum, nil nisi rationi et rei ipsi, quam docet, congruum promittat. Oratio est quaedam pictura, quae aut aliorum dicta, facta, mores, aut ipsius dicentis depingit animi sensa. Nulla vero pictura placet, nisi quae rem, quam pollicetur, exacte refert. Quo propius ad archetypum accedit, quantumvis deforme, eo habetur melior et perfectior: quo magis ab eodem recedit, licet elegantissimis etiam aucta ornamentis, eo minorem laudem consequitur. Pari ratione, quanto oratio est simplicior, quanto magis naturam imitatur, tanto est efficacior, tanto altiores in cordibus hominum radices agit, pigmentis illitis mox ab oblivione velut a vento dissipatis. Inprimis hoc Oratori Christiano observandum est. Saepe numero qui dicunt laudis et honoris causa, sciunt, ea quae loquuntur, oblivioni datum iri, et id, si recte sibi consulunt, etiam cupiunt. At vero non propter paucas aliquas horas, sed propter totam vitam, nec propter hanc tantummodo vitam, sed

propter aeternitatem loquitur. Zeuxidem accepimus, pictorem inusitatae solertiae, in pingendis imaginibus suis singulari industria et prudentia versatum fuisse. Nam pingere se aiebat aeternitati. Verum quis hodie in tanta eruditorum περιεργείᾳ et superstitiosa curiositate aliquod celebrati huius pictoris opus oculis suis subiecit? Quanto rectius Theologus, qui sine vanitate id de orationibus suis, si operam iis dat debitam, et cum non dat, praedicare potest, aut metuere debet. Ea igitur loquatur, quae tempus edax rerum non disperdet, quae coram iusto tribunali supremi Iudicis pulchrum ei testimonium perhibebunt, quae ipsum etiam in hac vita conscientia recte et sine fuco dictorum consolari queant. Nolim omittere, affectationem et ornatum commentitium prodesse nonnumquam posse; sed in prava causa. Numquam videmus adamantem aut alios lapillos pretiosos sollicite magis auro obtegi et quasi obnebulari, quam cum defectum aliquem naturalem resarcire, aut rectius dicam, sub his involucris celare cupiunt venditores. Quae formosae videri volunt mulieres, si naturam expertae sunt, ut ipsis quidem videtur, minus benignam, ad ornatum et nonnumquam ad pigmenta confugiunt. Quid vero Religio nostra sanctissima, quid veritates eius Divinae ornamentis indigent aliunde accersitis, quid opus est ipsi veritati pannum assuere mendacem? Numquam adeo floruit Christianismus, quam cum rudes homines doctrinam eius ubique propagarent, et nuda Euangelii veritate, de omni fucata Gentilium sapientia et eloquentia, facilem reportarent victoriam. Mirandum nobis videtur, quod fide dignissimi scriptores Ecclesiastici memoriae prodiderunt, in concilio Nicaeno primo Gentiles quosdam subacto ingenio et multa eruditione conspicuos, Episcopos Christianos ex toto orbe tum in unum congregatos

ad certamen provocasse. Illud vero multo mirabilius, quod, cum diu utrimque docte et subtiliter disputatum esset, unus repente senex, nulla doctrina clarus, indignantibus et pro causa sua timentibus doctissimis inter Christianos quibusque, surgeret, et simplici sua, sed zelo Divino plena oratione adeo pervicaciam gentilium frangeret, ut primum qui inter eos praecellebat eruditione et fama, mox ceteri huius exemplum secuti, cederent pio et simplici seni, et sacris Christi initiarentur.

Ita quod frustra tentavit eruditio, perfecit ipsa simplicitas. Tanta nimirum est vis veritatis, quae quo apparet simplicior, eo fortius hominum mentes illustrat et demulcet.

Huic tamen simplicitati haudquaquam adversatur sublimitas Theologi, sublimitas nempe, quam non ipse in rebus quibuscumque quaerit, sed quam in iis invenit, quaeque affectus eius tum non potest non evehere. Quis hanc sublimitatem iure carpserit, quae cum simplicitate, id est, cum nuda rei veritate, amice in una sede moratur. Vti veritas simplicitatem styli iu oratore efficit, ita quoque ipsa veritas, si res poscit, eum ad sublimitatem propellit, nec minus absonum haberi debet, de rebus summis et elatis humiliter, quam res humiles grandi stylo persequi. Quid vero sublimius est Religionis nostrae mysteriis, quae si quis mente attingere aut ore proloqui velit, vix verba invenit, quibus id digne exequi valeat. Cum in mentem venit Divinum illud Iobi vaticinium, quo et Sospitatoris sui et suam resurrectionem testificatur, affectus ille, quem Iobi prae se ferunt verba, quemque in me legente ac meditante illa excitant, me in sepulchrum Iobi primum deducit, mox in ipsum coelum rapit. Videor mihi rerum huius mundi abiectarum oblitus, vindicem omnium mortuornm contueri, exuvias fragilis huius et peccato obnoxii corporis primum contra adversarios

tuentem, mox easdem a vermibus corrosas et in cinerem redactas mutantem in corpus gloriosum et corruptionis posthaec omnis expers, ac tamdem ad aeternam felicitatem, ad adpectum et fruitionem Dei transferentem. Et quis tam ab omni sensu remotus est, cui hae meditationes non sublimes infundant cogitationes, non sublimes extorqueant locutiones. Hoc cogitabat Paulus, cum sublimem illam ad Philippenses epistolam exararet. Quid illa simplicius est, quid ea sublimius? Nam ea loquebatur, quae persentiscebat. Corpus tantum humo erat alligatum, mente sua iam domicilium illud Dei beatorum petierat. An miramur, verba eius nil nisi Deum, nisi coelum, nil nisi vere sublime, et quod homines huius mundi non capiant, spirare.

Ego igitur, qui fucum omnem, qui figmenta cuncta poëtica et delusoria a Theologo procul remota esse cupio, tropis tamen et figuris Rhetoricis in oratione eius persaepe delector; sed istiusmodi figuris, quas res ipsa et affectus dicentis, etiamsi taceret, exprimit. Non abs re viri eruditi observarunt, nullum esse tropum, nullam figuram, quae non aliquoties apud sacrorum voluminum scriptores occurrat, sed quam apposite! Nemo cum ea legit, artem Rhetoricam cogitat aut deprehendit, naturam ipsam videt, et aliter haec digne non exprimi potuisse iudicat. Nam quemadmodum affectatum quid est, et paene puerile, figuris Rhetoricis uti, ubi natura eas non postulat, ita etiam languet oratio et plane friget, ubi affectus silent, cum exserere se deberent, cum propter rei magnitudinem, quae omnibus patet, auditor oratorem sponte iam praevenit.

Neque adeo, nam et id hoc loco dicendum est, ipsam eruditionem profanam ex gentilibus petitam auctoribus, in oratione Theologi vituperandam esse opinor. Non sine causa in gentilium scriptis natu-

rae

rae et Dei ipsius dictamina miramur et amplectimur. Cum ipsa veritate coacti, inviti et inscii causam nostram et Religionis agunt, cur illis testibus veritatis non utamur, cur illorum testimonio non comprobemus multa, quae, quoniam S. Scriptura docet, a profanis quibusdam nomine Christiano indignis false exagitantur. Magno cum successu primi Ecclesiae Christianae doctores, Iustinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, aliique plurimi his armis adversus impietatem gentilium usi sunt. Et cur horum nominibus causam iustam defendimus, cum ostendere possimus Paulum, sanctissimum illum crucis Christi praeconem, qui nil scire praeter Christum crucifixum gloriabatur, quique tamen Poëtarum Ethnicorum testimonia, ubi res id exigere ipsi videbatur, in subsidium vocare non dubitavit, sentiens nempe, eos non felicius, quam suis ipsorum armis debellari posse.

Sentio nunc demum Audd. me, dum, qua possum fide, ideam styli vere Theologici vobis exhibere laboro, instituti mei, et temporis quod inter dicendum effluxit, oblivisci. Etiamsi igitur multa restent, etiamsi illa attente et sollicite considerare operae pretium sit, iam tamen, ne patientia vestra abutar, praecipua tantum et brevissime non tam commemorabo, quam verbulo duntaxat indicabo. Muniet igitur semet Theologus, postquam ea, quae hactenus persecuti sumus, menti suae inpressit, qua poterit summa cautione et circumspectione, ne offendiculum cuiquam praebeat, ne aedificationi ipse obicem ponat gravissimum. Non enim bonus tantum esse, sed et talis videri omnibus, et si fieri potest, in omnibus cupit. Quam impense idcirco ipse sanctissimus Servator sibi cavit, ne cuiquam scandalum praeberet. Quantopere idem divi Apostoli observarunt, et nobis observandum tradiderunt? Cui quidem

dem praecepto si morem gessisset Alexander Episcopus Alexandrinus, cum de S. S. Trinitate curiosius quam par est, et quam nosse datum est nobis, disputaret, non vidissemus forte natam haeresin Arianorum, quae et illo tempore mundum contagione sua infecit, et nunc etiamnum hinc inde serpit ac pullulat. Et quis non novit, quanta zelus inconsideratus et parum circumspectus damna dederit. Vt itaque zelus Theologi sit zelus quidam Divinus, ut doctrinam, quam annunciat, utiliter comitetur, nihil temere, nil nisi ab omni parte examinatum faciet dicetve.

Haud exiguam porro gratiam sibi et orationi suae conciliabit, si placidum se semper, benignum et pacificum ostenderit. Ipse praeco pacis est; exulet ergo ex ore eius bellum et rixa. Pacem et charitatem, quam Euangelium amatoribus suis instillat, spirent eius verba. Etiam cum vitia dictis castigat, patris instar hoc ipsum faciat, qui nonnisi coactus et cum moerore insigni in delicta liberorum animadvertit. Quis enim fructus castigationis alius spectari potest, quam resipiscentia et emendatio. Eam vero lenitas multo citius, quam severitas austera producere apta est. Corpus quidem catenis vincire, manum ne furto aiiquid auferat, ne telo aliquem vulneret, cohibere potest iudex, mens autem nonnisi persuasione ad bonam frugem reducitur.

Neque tamen ideo omnem semper severitatem seponendam esse censeo. Saepe Servator noster, nimiis et praegrandibus hominum, quibuscum vivebat, delictis lacessitus, intonuit: saepe idem fecerunt coacti sancti Apostoli. Sciat itaque Theologus non modo flores, sed et fulmina spargere. Sit ut plurimum Barnabas; sed induat quoque, ubi alio modo res peragi non potest, personam Boanergae, filii tonitru. Hoc tamen intersit discriminis, ut natura et ratione officii videatur placidus, nam ille est genius

Euan-

Euangelii, ut austerus et immitis flagitiosis hominibus appareat invitus, sola necessitate id exigente. Sed et in ipsa illa severitate lateat aliqua lenitas, ut sentiant homines, etiam cnm duriter excipiuntur, hoc suo bono fieri, suam utilitatem suamque salutem quaeri. Quodcumque enim dicet Theologus, commodo Ecclesiae, commodo omnium et singulorum dicat.

Non minimum quoque ad commendandum Theologum, ad eum cum fructu et voluptate audiendum conferet, si omnia quae dicet, exquisitum quemdam candorem, sinceritatem plane non fucatam et unicum veritatis studium referant. Magna laude cumulatus quondam Pericles Imperator idemque Orator Atheniensium clarissimus est, quod in ore eius sederet Πειθώ, dea persuasionis; quodcumque enim dicebat, id etiam persuadebat. Maiorem laudem merebitur Theologus, si in ore eius veritas domicilium suum fixisse dici queat. Non prodeant ex ore Theologi ficti sermones, quibus aut veritatem dissimulare, aut mendacio colorem inducere velit. Non ex illo audiantur immeritae laudes hominum improborum, multo minus falsae criminationes et calumniae: omnia tendant ad veritatem cognoscendam, eruendam, proferendam, iucundam omnibus et desiderabilem reddendam. Nam praeco est veritatis, et eius quidem veritatis, quae est secundum pietatem.

Atque hinc facile colligitur, coronidem Theologo imponere, si doctos eius, suaves et non inutiles sermones verum pietatis studium dirigat ac gubernet. Multum de vi sua amittit oratio, quae hac quasi anima destituitur. Fidem minuunt argumenta, quae alioquin illis haberetur, cum vita et actiones dicentis ostendunt, ipsum de iis, quae aliis persuadere vult, non bene fuisse persuasum. E contrario vita sine labe gesta eloquentissima magistra est. Hac primi Christiani totum orbem in sui admirationem rapue-

puerunt, hac sanctitatem et praestantiam religionis suae ignaris hominibus persuaserunt, hac denique omnia molimina dissertissimorum inimicorum fregerunt, vicerunt, pessumdederunt.

Videtis Audit. quid promittat Theologus, quid Deus ipse ab eo postulet, quid omnes in eo desiderent, quid velit ratio muneris eius, in quo ipsi per totam vitam omnibus viribus allaborandum sit. Parum ipsi prodest eruditio, fama, facundia, aliaque merita, parum egit, si in controversiis bene est exercitatus, si in velitationibus eruditis saepe victor discessit, si multos proferre potest rerum ceteroquin praeclare gestarum titulos, nisi ita munere suo functus sit, ut Dei honorem propagaverit, veritatem salutarem illustraverit, pietatem promoverit, auditorum suorum et Ecclesiae verae utilitati militaverit. Non enim hominibus vivimus, neque huic mundo, sed vivimus Deo, vivimus coelo. Eo et nos tendimus, eoque ut alios perducamus quoque, officii nostri est. Opera nunc inprimis mihi danda est, ut, cum ad munus istiusmodi sacrum iterato iam vocatus sim, officii eius, cuius non alios magis, quam me ipsum hodie admonui, sine intermissione memor vivam, ut quantum viribus meis datum est, id alacriter et diligenter exequar.

Cumque Tuo clementissimo mandato, Rex Augustissime et Potentissime, provinciam hanc Theologicam in me susceperim, Tibi quidem gratias pro continuata Tua in me benignitate humillimas devoto pectore ago habeoque. Quo vero alio pacto gratias debitas referam, quam munus, quod humeris meis imposuisti, fideliter ac diligenter obeundo. Respondeat exoptatus eventus piis illis Tuis et vere Regiis conatibus, quibus Ecclesiam Tuae tutelae commissam protegere, conservare et augere anniteris. Eveniat, Te regnante, vidente et gaudente,

ut

ut veritas et pax ſeſe amice exoſculentur, ut bonitas et fides in mutuos amplexus ruant, ut ſublata diſcordia fratres omnes in colendo vera pietate Deo conſpirent! Deus ille, cuius gloria Tibi curae cordique est, viciſsim Regni Tui fines tueatur et adaugeat, Te una cum Auguſtisſima throni atque tori ſocia, cum Principe Iuventutis, ſpe Patriae et noſtro deſiderio, cum tota ſtirpe Regia ſoſpitet et diu incolumem conſervet! Haud mediocriter vero veſter P. A. C. conſpectus me delectat, et in hoc rerum mearum ſtatu me conſolatur. Nam etſi grave est onus, quod in me translatum ſentio, uti pluribus iam teſtatus ſum, veſtra tamen benevolentia, quam ſaepe iam expertus ſum, illud haud paullo lenius efficiet. Pergite posthaec me, beneficium veſtrum in pectore grato repoſiturum, veſtro favore amplecti, eoque me ad munus meum laeto animo peragendum exſtimulate. Veſtro inprimis, Theologi Vniverſitatis noſtrae maxime Reverendi, veſtro inquam conſilio et auxilio mihi opus esſe intelligo. Vos complures annos cum ſumma laude et nominis fama in illo curriculo peregiſtis, quod ego hodie ingredior. Quod itaque mihi deëſſe lubens agnoſco, vos experientia veſtra facile compenſabitis, vos me currentem adiuvabitis et excitabitis. In me vero neque obſervantiam vobis debitam, neque docilitatem, neque gratum animum umquam deſiderabitis.

Quid vobis vero, nobilisſimi et praeſtantisſimi Iuvenes, qui laborioſo ſtudio Theologico vitam veſtram conſecraſtis, ego promittam hodie, quid a vobis exſpectem. Equidem veſtrum amorem, veſtrumque in me ſtudium illo, quod hic inter vos exegi, tempore non ſemel eſtis teſtati. Ego ut officio meo erga vos ab omni parte ſatisfaciam, omni ope contendam. Si quid in me est, quo ſtudia veſtra potero adiuvare, illud iam dudum vobis conſecravi.

Per-

Pergamus in mutuis ſtudiis, mutuisque officiis, nosque invicem excitemus.

Neque vos mihi praetereundi eſtis, Hoſpites O. O. H. Agnoſco illum veſtrum favorem, quo me et orationem meam honorifica veſtra praeſentia proſequi voluiſtis. Nullam praeterire patiar occaſionem, qua re ipſa vobis teſtari poſſim, quantopere me isthoc veſtrae benevolentiae argumento devinxeritis.

Vnde vero primordium capiendum erat, in eo nunc iam finio. Tibi nempe Deus O. M. cuius ſolius nutu et ſuprema voluntate res humanae gubernantur, pias ex intimis viſceribus perſolvo grates pro omnipotenti Tuo auxilio, quo me indignum meamque vitam, fortunas ac rem omnem ab ipſa nativitate in hunc usque diem clementisſime direxiſti ac protexiſti. Tui immenſi nominis gloriam ſpectavi, cum primum muneri ſacro me deſtinarem. Eumdem finem unicum ac ultimum propoſitum habui, cum Tibi ad Eccleſiam me vocanti ſine mora parui. Da inprimis, clementisſime Pater, ut illi nunc hoc munus, omniaque eius ſtudia, quin potius omnes vitae meae dies ſacrificem, quo nihil umquam neque Tuo nomine, neque meo officio indignum cogitem, eloquar et peragam! Sanctifica linguam meam, ut Te ante omnia celebret, ut magnalia Tua annunciet, ut veritatem doceat, pacem et omnia quae ad aedificationem conducunt, inculcet! Benedicito conatibus meis, benedicito conatibus auditorum, ut mutua alacritate opus Tuum peragamus, et operis huius promisſa apud Te aeterna mercede potiamur!

ORA-

ORATIO PANEGYRICA DE SANCTITATE ACADEMIARVM,

Habita d. 16 *Octobris a.* 1725, *cum munus* Rectoris *susciperet.*

Quintus nunc vertitur annus, Magnifice Vniversitatis nostrae Rector, ex quo, sub Tuis auspiciis, ex cathedra hac Academica suprema primum solemniter ad Vos P. A. C. publice verba feci. Fausto igitur prorsus ac laetissimo omine evenire reor, quod cum hodie locum huncce iterum solemniter conscendo, Te eumdem auspicem, Te ducem habeam, quem ego sequar. Tum quidem ante hos quatuor annos, et quod excurrit, huc me deduxisti, ut munus Professoris ordinarii publicum rite auspicarer, sicque in vestrum P. C. collegium cooptarer; nunc autem in istam cathedram disertis verbis me evocasti, ut sceptra Academica, summa cum laude et dignitate per spatium semestre gesta, mihi in manus traderes, ut publice, auctoritate Senatus Academici, me Rectorem designares, ac ut denique ego quoque meum ea de re consensum coram tota Vniversitate aperte declararem. Est sane munus, aut verius dicam, onus illud, quod nunc in humeros meos devolvis, multo gravius, multo periculosius, multo turbulentius eo munere, cui, Te mystagogo, iam pridem initiatus, et quo huc usque sic feliciter satis defunctus sum. Neque etiam, ut nunc taceam

plurima illa incommoda, quae a Rectore abesse nullo modo possunt, neque, inquam, animus meus umquam ab opinione Philosophi illius, ceterum non multum laudati, valde abhorruit, qui Philosophis, et omnibus omnino, qui ad literarum quarumcumque studia animum suum adiiciunt, hanc unam, aut praecipuam regulam praescripsit, Λάθε βιώσας, *Si vivere vis recte, si bene, si suaviter, vive tibi, vive privatus, vive obscurus ac latitans.* Et ego igitur, naturae quodam instinctu, semper, quantum quidem per rerum mearum circumstantias licebat, malui latitando vitam beatam ac iucundam transigere, quam prodeundo in publicum, in clarissimam hominum lucem, vitam vivere forte honoratiorem, at propter hoc ipsum etiam invidiae aliorum, multis calumniis, multis perturbationibus ac molestiis obiectam; maluissem praecipue honoribus et ornamentis Rectoris Academici me subducere, atque inter privatos parietes securus ab omni metu delitescere, quam cum sceptris Academicis gravissimum illud curarum et sollicitudinum pondus, quod ab illis pendet, quodque indivulso nexu cum illis coniunctum est, una in me suscipere.

Verum omnes has tamen cogitationes, quantumvis naturali meae propensioni blandientes ac iucundas, procul a me esse iussi, quoties mecum reputavi, nos homunciones non nobismet ipsis nasci, non nobis vivere, non nobis mori, vitamque proinde omnem instituendam esse non ad normam nostrae voluntatis, quae ut plurimum in devia nos seducit, sed ad normam voluntatis Divinae, quae in lucem hanc nos protrahit, quae unicuique nostrum per admirandam Providentiam pensa sua distribuit, sortemque assignat. Quamobrem postposito omni timore, remota omni cunctatione et dubitatione, en iterum Te praeeuntem sequor, Rector Magnifice, sequor quo

me

me vocas, quodque nuper in Concilio Senatus Academici professus Tibi sum, publice hic repeto. Suscipiam in me honorem Rectoris Academici, quem mihi decrevistis P. C., hac una re iucundum, quod brevis est; suscipiam hunc honorem fretus ante omnia Dei O. M. praesidio, quod per totum vitae tempus expertus sum praesentissimum, subnixus vestro, P. A. C., consilio et auxilio, quod numquam frustra imploravi, non mediocriter denique recreatus vestra benevolentia vestroque studio, generosissimi ac nobilissimi Iuvenes, quos in spem parentum, inque spem Patriae excrescere, et ad summa virtutis praemia alacri gressu contendere, cum summa voluptate, nec cum minori laude nostra contuemur. Paucis magna complexus sum, quae si consequar, faustum vobis omnibus, mihique Rectoratum ominari ausim, consecuturum autem me esse spero, quoniam non minima ex parte in potestate vestra sita sunt, quorum favorem non vano augurio mihi polliceor, quique dum famae huius Vniversitatis consulitis, vestrae etiam conscientiae, vestro honori, vestro quoque emolumento consulitis.

Antequam vero sceptra Academica capessam, more Maiorum de argumento aliquo, huic loco et huic diei attemperato, licet pro temporis ratione brevibus, disserendum mihi esse, memini. Quod ne operose et longiuscule conquiram, dicam istiusmodi de re, quam solemnitas huius diei sponte mihi suppeditat, quamque conditio nostrorum temporum saepe inculcare et recoquere nos iubet, dicam nempe *de Sanctitate Academiarum*, quam nosse, quam colere, quam pro viribus conservare, quinimo promovere, omnium nostrum interest. Dicentem igitur de materia haud ignobili, sed dicentem non tam pro rei dignitate, quam potius pro temporis angustia brevi-

ter et summatim, vos A. O. O. H. benevole et patienter audite.

De Sanctitate Academiarum dicere pollicitus, non multis neque subtilius primum explicabo, quid nomine Academiarum intellectum velim. Tales enim Academiae, aut, quemadmodum alias non inepte appellantur, Vniversitates, quales hodie in omnibus Europae Regnis atque Rebuspublicis insigni numero erectas novimus, suis legibus egregiisque privilegiis communitas, in quatuor, uti vocant, Facultates distributas, ubi dignitates Academicae indultu summi Magistratus Civilis aut vero Pontificis Romani petantur et concedantur, ignoravit penitus vetustas, neque hoc habitu exornatae ante seculum post Christum natum nonum aut decimum apparuerunt. Et Sanctitatem tamen Academiarum a temporibus multo remotioribus, quinimo ab ultima post hominum memoriam aetate repetendam esse, nec immerito contendimus. Nempe cum Academias nomino, nunc quidem omnia publica Literarum seminaria intelligo, in quibus tenera ingenuorum et liberaliter educatorum hominum ingenia excoluntur et formantur, quo ipsi aliquando prudenter Rempublicam administrare, aut civitatem sancte et honeste colere, aut spartam quamcumque sibi oblatam dexteritate sua ornare et Reipublicae emolumenta rite tueri possint. Facile iam vosmet ipsi intelligitis, Auditores, post Religionem coelitus demissam, quae ad utilitatem huius vitae promissionem vitae futurae et aeternum beatae adiunctam habet, nihil sanctius, nihil humano generi, nihil societatibus omnibus posse excogitari conducibilius, hoc ipso, de quo loquor, instituto. Illi haud dubie in acceptis ferendum est, quod artes omnis generis, literariae, civiles, bellicae, pulsa sensim pristina ruditate, ad hoc, in-

in quo nunc conſpiciuntur, faſtigium exſurrexerint; illius beneficio effectum est, ut cultiores ſtudiisque imbutae gentes, et olim, et hodie, alias gentes barbaras, pietate in Deum, prudentia in gubernandis rebus publicis, fortitudine et dexteritate in bellis gerendis, honeſtate, iuſtitia et aequitate in vita civili, tam innumeris paraſangis ſuperarent: illi, ut omnia in pauca contraham, incolumitas, felicitas, conſervatio et gloria ſummorum imperiorum fere unice debetur. Hoc ipſum, quod nos tot ſeculorum experientia, optima et tutisſima magiſtra, edocuit, pro ſagacitate ſua perſpexerunt prudentisſimi quique legiſlatores et glorioſisſimi Principes, ita quidem, ut apud omnes cultiores gentes, quarum ad nos notitia pervenit, ſalute Academiarum nihil paene ſanctius et inviolabilius habitum fuerit: quamvis fatendum ſit, hanc curarum publicarum nobilisſimam partem rudia quoque incunabula habuisſe, et ſucceſſu demum temporis perpolitam fuisſe. Omitto iam gentes, quas, etſi profecto rudes minime esſent, Graeci tamen et Romani nobis pro barbaris venditant, Aegyptios, Chaldaeos ac Indos, de quorum in ſcholas publicas propenſione ac nimia propemodum veneratione, tot nobis teſtes Graeca et Romana antiquitas exhibet. Aegyptii certe hanc literarum tradendarum curam tanti fecerunt, ut eam ſolis ſacerdotibus, hominibus maximo in honore habitis, commiſerint, ſicque cum cura rerum Divinarum ceterarum artium ſtudia arctisſimo vinculo copularint, quas praeterea ſcholas nemini niſi natis ex regio aut ex ſacerdotali genere patere voluerunt. Quod quidem etſi nemo veſtrum facile probarit, Auditores, indicio tamen luculentisſimo est, quantum gens illa pretium ſcholis publicis et Academiis ſtatuerit. Neque profecto illa disciplinarum profunda veneratio et ſedula cultura fructu ſuo caruit amplisſimo.

Ecquis enim est, quem lateat decantata illa Aegyptiorum ſapientia, quam ipſae ſacrae paginae indictam non praetermiſerunt? Cuinam ignota est gloria vetuſtisſimae illius gentis, antequam a vicinis barbaris ſubiugaretur, aut potius inteſtina discordia pesſumdaretur, cuius etiamnum post tot ſecula viſuntur ſtupenda et fidem omnem excedentia monumenta. Sed ante omnia id tacite praeterire haud posſum, quod omnes propemodum ſcientiae, Philoſophicae, Mathematicae, Phyſicae et Medicae, et cum his gloria quoque iſtius gentis in Graeciam, ex Graecia in Latium tranſierint, et ſic tamdem ad nos transmisſae fuerint. Qui enim in Graecia ſcientiarum fundamenta iecerunt, Solon, Pythagoras, Plato, alii, ex ſcholis Aegyptiorum, tamquam ex equo Troiano, inſtructi ac ornati prodierant. Verum enim vero vix viſi erant in Graecia, qui reportata ex Aegypto ſpolia inter populares ſuos dividere, quique literarum diſciplinis imbuere alios vellent, cum principes Graeciae viri his Muſarum antiſtitibus ultro veluti obviam procederent, loca commoda ad docendum publica auctoritate concederent, atque diſcendi cupidis ſcholas aperirent. Omnibus hac in re palmam praeripuerunt Athenienſes, quam non idcirco celebre, quam non omnibus paulo humanioribus gratum et venerabile nomen? Scientiis illi, alibi temporum immanitate ſic fere intermortuis, ut praeter ſolam famam pauca doctrinae eorum monumenta ad nos pervenerint, vitam quaſi et animam reddiderunt, ut posthac ſcientiarum fere omnium inventrix atque nutrix ſola haec urbs a Graecis Romanisque ſalutaretur. Athenienſes igitur, ut literas omnemque ingeniorum culturam in Graeciam inveherent, Platoni ad docendum publice concesſerunt ſuburbium nemoroſum et amoenum, a posſesſore ſuo nuncupatam Academiam, quod nomen no-

ſtris

ſtris quoque ſcholis publicis abinde permanſit. Iidem Ariſtoteli eiusque ſectatoribus aliud extra urbem Philoſophiae Gymnaſium, cognomine Lyceum, perquam libenter obtulerunt. Cynicae quoque ſectae *κυνοσάργες* locum ſuburbanum ita dictum, in quo publice dogmata ſua homines illi profiteri posſent, haud gravate aperuerunt, et denique Zenoni Cittieo, Sectae Stoicae conditori celebratisſimo *ποικιλὴν*, porticum picturis variis inſignem, in ludum literarium publicum tradiderunt, latis etiam quibusdam legibus, quibus de libertatibus Philoſophorum cautum erat, quae itidém horum arbitris committebant facultatem, ſuccesſorem pro lubitu ſibi deligendi. Et tanta quidem harum ſcholarum fuit fama ac celebritas, ut non modo undique ex toto orbe ad hoc Muſarum et artium domicilium confluerent homines, ſed memoria etiam ſuccesſorum, qui in gubernandis hisce Gymnaſiis ſibi invicem ſuccesſerunt, ſollicite admodum in annalibus conſervaretur, cum interea multae regnorum ſuccesſiones, multa Principum nomina negligerentur, et aeterna oblivione obruerentur. Multa hiſtoriam horum ſuccesſorum ſpectantia, ut uno intuitu a rerum harum ſtudioſis perluſtrari posſent, in Syntagma ſuum de Scriptoribus Hiſtoriae Philoſophicae congesſit eximium illud et invidendum Germaniae noſtrae decus, *Ioh. Ionſius*, quamobrem in re alioquin notatu digna, diutius non moror. Exemplum hoc Athenienſium non modo in Graecia ipſa, verum alibi etiam aemulos et imitatores brevi post excitavit, quos inter praecipue nominandi veniunt Graeci Aegypti reges, qui post Alexandrum M. regni huius aliquando florentisſimi gubernacula tenuerunt. Memores hi artium, quibus quondam ſteterat veteris Aegypti magnitudo, memores morum Graecorum, quos literarum cultura ſuper omnes gentes evexerat,

ſplendidisſimam artium ſedem, cui *Muſeum* nomen fecerunt, non modo in principe totius regni urbe, Alexandriae, verum etiam in regia ſua arce erexerunt, tamquam nihil aeque praeſidio Principum dignum foret, quam Literarum ſtudia, aut tamquam post Maieſtatem regiam, his ipſis ſtudiis nihil ſanctius et auguſtius cogitari posſet. Vti vero per hasce Academias artes ipſae longe lateque ſeſe diffuderunt, ita etiam amor literarum incrementa tum in dies cepit, quo tamdem factum est, ut in omni Graecia, et praecipue in Aſia Minori, multae nobilisſimae Academiae conſtituerentur, et diſcendi cupidis ſcholae aperirentur, quibus quantum aetas illa debuerit, vel unus Cicero, qui in ſcriptis ſuis Philoſophicis ſumma cum laudis praefatione earum ſemper meminit, teſtis omni exceptione maior esſe potest. Plura de Academiis Graecorum non dicam, ut ad alia attentione noſtra non minus digna posſit tranſire mea Oratio. Ille interim Graecorum amor, quo illi Academias ſuas proſecuti ſunt, contagione quadam laudabili Sarracenorum Muhammedanorumque gentem poſtea infecit, quamobrem cum multas praeclaras Graeciae, ſeu Orientis, regiones ſibi ſubiecisſent, a populis devictis id tamen didicerunt, adſciverunt, et ſuum fecerunt, ut artium diſciplinas foverent, alerent, promoverent, iisque commoda, ſuperba etiam atque magnifica domicilia dedicarent. Memorabile est, quod Iohannes Leo Africanus, clarisſimus et exactisſimus Africae deſcriptor, magnitudinem Maroca regiae urbis, et quae ibi attentam inſpectionem prae ceteris merentur, facundo ſtylo perſequens, de Academia quoque eiusdem urbis in haec verba ſcribit: *Habet et haec Arx nobilisſimum quoddam Collegium, cui triginta inſunt Aulae. Huius medio viſendae amplitudinis quaedam est, in qua publice, maximoque apparatu praelegere ſolebant,*

dum

dum adhuc apud illos literaria floreret Respublca. Qui in hoc Collegio recipiebantur, his victus dabatur et vestitus. Professorum alius centum, alius ducentos quotannis pro lectionis qualitate aureos accipiebat, (magnam tum temporis pecuniae vim) *neque quemquam praelectioni admittebant, qui non exactissime calleret, quae ad eam artem, quam profitebatur, pertinere putabant. Locus ornatissimus parietes habet opere vermiculato elegantissimos, eaque praesertim aula, in qua publice semper praelegere solent*, etc. Paria sunt, quae scriptor idem de Gymnasio Fessano in commentarios suos retulit, sed quae ego nunc brevitatis studio praetermitto. Potius de honoribus, de privilegiis Academiarum, de beneficiis, quae Principes optimi, Principes cumprimis Christiani, in Academias libera manu contulerunt, et quibus illi satis superque testati sunt, quam impenso affectu, quanto etiam honore has optimarum artium officinas prosequerentur, quaedam adhuc dicenda mihi esse puto, ex quibus de earumdem Sanctitate omnium optime iudicari poterit. Nam etsi a Graecis veteribus originem Academiarum omnium tutissime arcessi debere, ex supra dictis non obscure colligatur, magna tamen hocce institutum per secuta secula incrementa cepit, donec tamdem ante hos sexcentos quasi annos obstetricantibus piissimis Imperatoribus et Principibus perfectam aliquam maturitatem consequeretur. Principio Academiae inter Graecos hac una praerogativa gaudebant, quod civibus earum tuto et libere auctoritate publica convenire liceret, quod liberum esset Philosophis, quibuscumque de rebus, quaecumque vellent sentire, et animi sensa sine periculo profiteri, quod integrum itidem aliis esset, horum dogmata nemine prohibente audire et paulatim imbibere. Erat hoc profecto magnum illis temporibus, quibus doctri-

nas ab opinione vulgi discedentes non sine ingenti discrimine propalari potuisse, tristi nimis exemplo atque documento Socrates fuit, quibus tenues illae et angustis limitibus circumscriptae Respublicae Graecae nihil tantopere formidabant, quam factiones, discordias, conventicula et coitiones privatas civium suorum. Ceteroquin vero tempore illo Professores sapientiae victum aliunde sibi quaerere tenebantur, neque erat quidquam, quod auditores ad industriam excitare posset, nisi ipsa innata sapientiae et pietatis cupido. Neque tamen diu intra hosce fines, sapientiae Divinae humanaeque studium sese continere potuit. Artes quippe omnes, nisi alantur honoribus et praemiis, languorem paulatim ac maciem febrilem contrahunt, et sic tamdem confectae intereunt. Augusto Imperatori, Principum omnium et Monarcharum ad id usque tempus felicissimo, cuius tot in Imperium Romanum exstiterunt merita, illud etiam in Literas meritum reservaverat Providentia, ut is primus artium liberalium, inprimis vero artis Medicae Professores, a plebe, cum qua antea vivebant permixti, secerneret, iisque annulum aureum, dignitatis Equestris insigne, gestandum permitteret. Honori huic secuti mox Imperatores addiderunt emolumenta, commoda, salaria, ut nobilem hoc pacto inter scientiarum Professores excitarent aemulationem, ut sic etiam Musarum antistites, sepositis aliis curis familiaribus, hoc unum ad quod vocati erant, omnibus viribus agerent. Vespasiani enim Flavius et Domitianus, pater et filius, e fisco seu aerario publico Rhetoribus Graecis Latinisque lauta stipendia dinumerari iusserunt, qua liberalitate Romae quidem, quantum ex Chronico Eusebii constat, primus fruitus est Quintilianus, vir sine dubio summus, et, uti eum Martialis in quodam Epigram-

grammate compellat, Moderator Iuventae Romanae. Consimili munificentia in Philosophiae Professores deinceps usus fuit Antoninus Philosophus, quod hisce verbis in lepido quodam dialogo, quem Eunuchum inscripsit, tangit Lucianus Imperatoris illius aequalis: *Scis*, inquit, *Pamphile salarium, idque neutiquam exiguum, ab Imperatore fuisse constitutum singulis Philosophorum generibus, puta Stoicis Platonicis, Epicureis, Peripateticis praeterea, ita ut unicuique sectae praemium esset aequale. Ceterum demortuo ex his quopiam, alius in eius locum surrogandus erat, qui esset optimatum calculis comprobatus. Porro praemium non erat pellis bubula iuxta Poëtam, nec porcellus: verum singulos in annos decem millia nummorum* (i. e. quadringenti aurei Romani,) *quos accipiunt, ut doceant iuventutem.* Quod praemium Philosophiae Professoribus per universum orbem Romanum in Academiis, alibi pinguius, alibi vero etiam tenuius persolutum fuisse, ex historia illorum temporum satis constat. Accesserunt ad haec emolumenta multae aliae successu temporis immunitates et libertates, quae, cum paulatim Academiae formam peculiarium et separatarum Rerumpublicarum induerent, Professoribus pariter et eorum auditoribus perquam liberaliter indultae fuerunt, sed quas omnes iam recensere, vetat praescripti temporis angustia. Postquam orbis Romanus ex Gentili Christianus factus erat, Imperatores Romani sanctissimae nostrae Religioni addicti, non modo privilegia Academiarum, quae sub Imperatoribus Ethnicis concessa illis fuerant, non diminuerunt, sed eadem potius multis modis auxerunt, cumque viderent, Academias bene ordinatas et fulcra esse Imperii, et non minus columina verae Religionis, cuius se protectores esse inprimis gloria-

ban-

bantur, nihil omiserunt, quod ad ornandas, amplificandas, et perficiendas Academias ullo modo requiri posset. Quis tam angustis temporis limitibus circumscriptus, omia exquisita illa Privilegia recensere possit, quibus, praesertim post Caroli M. tempora, potentissimi per Europam Principes Academias certatim et ad invidiam usque ornarunt. Illa tamen eminentissima, qua hodie gaudent nostrae Academiae, praerogativa silentio obtegi non potest, quam munificentiae invictissimi Herois, Friderici Barbarossae, Imperatoris Romano-Germanici, debebunt Literae, quamdiu superstites erunt. Is enim sanctissimus Imperator, ut vere sanctae essent, inviolabiles, atque ab omni vi externa tutae Academiae, omni alienae jurisdictioni eas subduxit, suisque legibus vivere voluit, hoc addito decreto: *Qui vero ad alium Iudicem eos trahere tentaverit, etiamsi causa iustissima fuerit, a tali conamine cadat.* Videbat enim sapientissimus et sagacissimus Imperator, Musis etsi innocuis et pacificis suos tamen imminere inimicos, qui partim ignorantià, partim etiam odio et invidia, pacem illarum et tranquillitatem, sine qua salvae esse nequeunt, multis modis perturbare, et sic per cuniculos ipsam Reipublicae salutem subruere possent. At periculum hoc unice fortassis, sed nimium eheu! literatis societatibus metuendum, una hac lege, quae mox universalis omnium Academiarum lex evasit, a cervicibus Academicorum depulit felicissimus Imperator, eo fine, ut cives literatae Reipublicae otio suo secure frui, eoque ad perpolienda ingenia sua, ad perpolienda ingenia suae fidei commissa, ac ad incrementa praestantissimarum disciplinarum uti possent.

Sed satis iam Audd. de Sanctitate Academiarum dixi, quantum solemnitas huius diei postulat, quan-

tum-

tumque temporis ratio permittit. Dei Immortalis Providentia, fortisſimorum Principum Domus Brandeburgicae munificentia, et inprimis Regis noſtri clementisſimi gratia factum est, ut nos quoque in Alma hac noſtra Viadrina eodem beneficio fruamur. Danda igitur nobis omnibus etiam atque etiam opera est, ne quid noſtra culpa de Sanctitate huius Academiae decedat; in id potius omni ope annitamur, ut non tantum per plisſimorum Principum beneficentiam, verum etiam per noſtram virtutem, Academia haec vere ſancta diu posſit, ut ſit caſtae Palladis dignum domicilium, ut ſit Muſarum florentisſima ſedes, ut ſit rectae Religioni veraeque in Deum pietati conſecratum ſanctisſimum templum. Quid ſine hoc legitimo ſanctoque libertatis uſu aliud ſunt privilegia et immunitates, quam irritamenta, quinimo ptopugnacula inprobitatis omnisque generis malorum. Quamobrem laudatisſimi Principes, Patres Patriae piisſimi, cum hanc quoque Academiam plurimis inſignibus privilegiis locupletarent, cum eam alienae poteſtati ſubordinatae ſubtraherent, ſubesſe tamen eam voluerunt legibus ſanctisſimis a ſe latis, quibus parere ſumma hominum ingenuorum libertas est. Vtrumque hoc ſecuritatis et ſanctitatis noſtrae fundamentum, privilegia inquam Principum et leges Academiae, fidei meae hodie concreditum iri et nunc ſcio, et posthaec ſemper recordabor, quoad Rectoratum iam iam ineundum geram. Vtrisque ea fide, ea conſtantia, ea animi attentione invigilabo, ne quid haec pretioſisſima ſalutis noſtrae pignora, me Rectore et vitio meo, detrimenti capiant. Quod ut feliciter et ex voto noſtro eveniat, veſtrum P. C. auxilium et conſilium, ſine quo nihil agam, veſtrum generoſisſimi, nobilisſimi et optimi Cives Academici, favorem iterum mihi expeto. Vti ego amorem et af-

ſec-

fectum in vos meum quacumque occasione vobis re ipsa ita probabo, ut de illo dubitandi locus nullus futurus sit, uti non patiar, quantum per me licebit, ut aliquid iurium vestrorum vobis pereat, ita honorem quoque Almae huius Academiae, ita florem optimarum artium, ita sanctissimas religiosissimorum Principum leges, quibus ultra duo secula stetit Vniversitas nostra, quibus etiam salvis stabit diutius, vobis commendatas habete. Nihil iam superest, Magnifice Vniversitatis Rector, nisi ut more consueto sceptra Academica mih itradas, et iureiurando fidem meam Deo, Regi, atque Vniversitati obstringas. Etenin quae dicere et praemittere volueram, Dixi.

ORA-

ORATIO PANEGYRICA

DE VINCVLO VERITATIS ET PIETATIS;

Habita die Georgii anno 1726.

cum Magistratu Academico abiret.

Quotiescumque varias illas vicissitudines, quas aut in maximis Rebuspublicis, aut in quibuscumque aliis hominum societatibus evenire quotidie videmus atque audimus, animo meo revolvo, in mentem venire solet, quod ante haec septemdecim et quod excurrit secula, Horatius Poëta ingeniosissimus cecinit, *Fabulam semper eamdem, mutatis tantummodo nominibus et personis, ludi.* Quod non Poëtae commentum, sed naturae iudicium, temporis quod hucusque effluxit historia nos edocuit, idemque posteris nostris ventura confirmabit dies. Pervetusta equidem nostrisque auribus non inaudita est illa cantilena, tempora mutare etiam homines, omniaque labente aetate in deterius ruere, quam querimoniam, vulgi persuasionem tum sequens, etiam ille ipse Horatius (*a*), post Hesiodum et Aratum, Graecos vates, eleganter, ut solet, sic alibi expressit, suamque fecit:

Da-

(*a*) Carm. L. III Od. VI fin.

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Neque etiam inficias ire possumus, quaedam apud hos illosve populos vitia, paulatim pulsis virtutibus e diametro oppositis, animis hominum insedisse, tractu temporis altiores etiam radices egisse, et sic demum infausta quadam contagione totam veluti gentem infecisse. Cui enim, ut exemplo id illustrem, ignoti sunt sales Attici? Quem paulo humaniorem latet argutum illud et potens simul dicendi et scribendi genus, quo Graeci supra omnes alias gentes sese extulerunt, quod Cicero, summus ille in dicendo artifex, numquam tamen satis potuit admirari, et quo illi ad perniciem inimicorum suorum mirandum in modum abusi sunt. Et tamen illa ingenii vis iam dudum plane periit, nobilissimum illud acumen eum in modum seculorum decursu hebetatum est, ut nunc Graecos in Graecia frustra quaeras. Ita illic aetati politae, optimorumque ingeniorum feracissimae, successerunt aetates peiores, barbarae, quae homines produxerunt in iis, quae ad humanitatem et mentis culturam pertinent, tanto reliquis Europae populis inferiores, quanto ipsorum maiores, omnes in universum nationes antecellere, nec immerito visi sunt. Quanta et quam decantata non fuit illa priscorum Romanorum magnanimitas et fortitudo, quam nobilis, quam generosa, et ad praeclara quaevis, licet ardua, annitens animorum indoles, quae omnia ibi, ne diffitentibus Romanis hodiernis, ita sunt immutata et inversa, ut difficile dictu sit, quid mirari magis debeamus, utrum laetam speciosamque, (si externos mores spectes) faciem Romae gentilis, an

vero

vero lugubrem et deformem plane vultum Romae Christianae, ut de illa una urbe Horatius vere omnino dixisse, neque tam poëtam, quam vatem veridicum, et futuri nimis praescium egisse videri possit. Taceo alia exempla domestica magis, ne odiosus sim. Interim etsi perquam lubenter et ultro concedam, quaedam singularium vitiorum semina ab una gente propagari in aliam, illamque gentem, quam veneno suo infecerunt, contagione hac universali et peccandi consuetudine paulatim deteriorem deterioremque reddere, verissimum tamen illud manet, quod Horatium bene ac sapienter observasse diximus, eamdem semper et ubique, mutatis tantummodo nominibus ac personis, ludi fabulam. Vbique enim vivunt homines, quibus omnibus una natura est ingenita, rectae rationi, iuri et virtuti per se renitens, suo semper genio, suo proprio commodo, suae cupiditati indulgens, et ad huius normam omnia dimetiens atque definiens, nisi illa ingenita indoles recta institutione, salubribus praeceptis, et ante omnia illius gratia, qui corda novit, qui corda flectit, adeoque sincero verae pietatis studio emendetur. Quod verae pietatis sincerum studium cum paucorum haereat infixum pectoribus, cum bonis et probis ubique terrarum permixti vivant homines sibi tantum et affectibus suis viventes, quid mirum, si videas aetatem floridam et vegetam plerumque voluptatibus frenum laxare, virilem rebusque agendis idoneam aetatem πολυπραγμοσύνης morbo laborare, ac ambitione nimia inflatam, ad huius idoli leges et praescripta se ut plurimum componere, ac denique senilem aetatem avaritia et immoderata habendi cupidine duci; quid mirum igitur est, si videas, Respublicas iisdem artibus, quae olim obtinuerunt, etiam nunc administrari, et in universum in magno hoc mundi theatro actores quidem mutari quotidie, hos dece-

dere, alios accedere, fabulae vero idem semper manere et conspici argumentum. Haec ipsa, quae modo dixi, Audd., animo meo nuper quoque obversabantur, cum de solemnitate huius diei, quo sceptra Academica hactenus gesta, successori meo tradendá sunt, cogitans, ea quae elapso semestri, me Rectore, in hac Academia contigerunt, mecum breviter repeterem. Solent, qui Magistratu Academico sese abdicant, nec omnino citra rationem, saepe etiam non sine fructu, oratione sua comprehendere, quae in Rectoratu suo male, quae etiam bene in laudem et honorem huius Academiae, gesta fuerint. Quorum morem sane laudabilem si et ego sequi nunc vellem, nequaquam deessent, quibus eorum desiderio, qui haec exspectant, satisfacere possem. At nunc, cum Rectoratus meus novarum rerum non ita sterilis fuerit, quam initio quidem vano omine mihi praesagieram, malo tamen sententiae Horatianae memor, semper eamdem fabulam ludi, nunc a commemoratione earum rerum abstinere, quae mihi dictu, multis fortasse auditu molesta erunt. Gratulor nihilo minus mihi, gratulor vobis Audd., quibus Academiae nostrae salus curae cordique est, quod illa nostra Respublica Literaria detrimenti nihil ceperit, quodque eam, qualem ab excellentissimo antecessore acceperam, magnifico successori meo nunc salvam in manus tradere possim. Magnum equidem Divina Providentia, cuius sapientia plenissimas vias adorare, non perscrutari datum est, Vniversitati nostrae sub finem superioris anni vulnus inflixit, ubi incomparabilem Heroëm, virtutis et pietatis vividissimum exemplar, Regni Prussici decus immortale, nostrae Academiae quondam summum fautorem et protectorem, illustrissimum Printzenium, nobis eripuit. At illa tamen ipsa aeterni Numinis mirabilis Providentia in acerbo hoc atque luctuoso ca-

casu ostendit, quam benigne rebus humanis, quam benigne rebus quoque nostris vellet prospicere. Nam cum Heroëm quidem illum, post finitum summa cum laude et gloria molestum vitae huius curriculum, ad capiendum coeleste praemium evocasset, nos tamen tam desiderabili tutela, tam necessario praesidio diu orbatos esse non sivit. Mutato nomine et mutata persona, Praesidem Musis nostris reddidit, in quo certant pietas et sapientia, in quo miramur illam tam excelso fastigio dignissimam comitatem et facilitatem, in quo virtutes amissi Herois nostri grata recordatione colemus, qui pro suo in Literarum studia amore, et qua ille pollet apud Augustissimum Patriae Patrem gratia et auctoritate, Musas nostras, uti coepit, ornabit, proteget, inque maius provehet. Illo igitur ad gubernacula nostrae Reipublicae admoto, administravimus eam P. A. C., ut antea, hucusque satis feliciter. Qua in re vestrum P. C. pro bono publico studium, vestram quoque in me benevolentiam, qua me in administranda Rectura sublevastis, non possum satis oratione mea praedicare. Si quid feliciter et ex voto peractum est, id me omne vestro consilio, vestro auxilio, vestro labori indefesso debere libentissime profiteor. Neque etiam lectissimam hanc generosissimae et nobilissimae Iuventutis Academicae coronam sine insigni voluptate intueor. Sint forte quidam, qui exspectationi parentum, exspectationi patriae, nostro ardentissimo desiderio non satisfaciant. Et quae tamdem in orbe societas omni labe vacua, omnibus numeris absoluta fuit. Hos admonendos tantum esse censeo, ut respiciant ad exemplum plurimorum nostrorum civium, qui aut acceptum a parentibus generis splendorem propria virtute illustriorem reddunt, aut virtute sua ad maxima quaeque laudabili conatu enituntur, quique fausto omine ad laetissimam Reipublicae aut Ecclesiae spem excrescunt, ut meminerint, se cum his

in una societate vivere, iisdem iuribus et privilegiis frui, sibi idcirco operam quoque dandam esse, ut eorum exemplo sibi amorem omnium et inprimis favorem Numinis concilient, eorum exemplo conscientiae, famae, ac fortunae etiam suae consulant. Non existimo me illis, si qui sint, melius et candidius gratiam rependere posse pro illo studio et favore, quo me forte in Rectoratu meo prosecuti sunt. Neminem enim prorsus novi, cuius non quavis data occasione animum in me propensum et benevolum expertus fuerim, quod lubens publice agnosco, et semper agnoscam, quo nomine gratias ipsis omnibus plurimas ago, et ubicumque potero, reipsa referam.

Vereor, Auditores, ne patientia vestra abutar. Qui enim similibus solemnitatibus interfuistis, memoria vos, ut puto, tenebitis, more Maiorum ad nos derivato de argumento aliquo huic loco et tempori convenienti dicendum mihi esse. Antequam igitur ad designandum et auctoritate Senatus Academici publice renunciandum novum Rectorem, cuius rei gratia huc potissimum convenimus, procedam, et mihi adhuc quaedam ad vos verba facienda sunt, sed dicam brevibus et quam potero paucissimis de argumento a provincia mea Theologica, et a munere, quod hactenus gessi, publico, et ab hoc Literarum domicilio nequaquam alieno. Dicam *de vinculo veritatis et pacis*, pulcherrimarum et praestantissimarum rerum, quas homini novisse datum est. Vos dicentem breviter, quae vestra est facilitas, benevole et patienter audite.

Vt igitur a veritate exordiar, nemo est, Audd., qui non audito desiderabili hoc et venerabili nomine illico intelligat, nihil ea praestantius excogitari posse, nihil maiori studio, maiorive ardore quaerendum

esse. Etenim Deus ipse (quem nominasse, est perfectionem omnem nominasse) Deus ipse quid est, nisi veritas, quo etiam nomine semet ipse in verbo suo insignivit, et quae potest esse veritas, quae non ex hac prima scaturigine profluxerit, ut adeo quanto quis propius ad veritatem accedit, tanto propius quoque ad Deum, et ad lucem eius Divinam accedat. Nam Deus non modo ipse veritas est, verum etiam fons omnis veritatis, qui lucis illius, qua ipse sine omni tenebrarum et umbrae mixtura totus resplendet, radios quosdam in mentes nostras humanas demisit, ita quidem, ut, quemadmodum loquitur pulchre Divinus Psaltes, in luce Divina cernamus lucem. Deus, inquam, cordibus nostris digito suo omnipotenti veritatem inscripsit, quam quaerendo et excutiendo invenire possumus; inscripsit, ut paulo clarius me explicem, cordibus nostris veritates aeternas, quas homines omnes, si secum habitent, agnoscunt, quae sunt principia reliquarum veritatum, principia legum, principia iusti, aequi et honesti: quae omnia tanto sunt meliora, quanto veriora. Ipsa igitur nostra ratio, qua summi Creatoris imaginem circumferimus, qua sola reliquis animantibus, pronis et ventri tantum obedientibus, praestamus, nihil aliud est, quam complexus primarum et aeternarum veritatum, ex quibus, inprimis si una cum altera recte coniungatur, aliae veritates ratiocinando facile elici possunt, ut proinde veritatem indagare, veritatem tenere, veritatem excolere, nihil aliud sit, quam ipsam humanitatem, meliorem nostri partem, excolere, perfectiorem et Deo similiorem reddere. O miseram igitur Platonicorum in hac parte, miseram Scepticorum omnium sortem! qui cum se profiteantur philosophari, id est, verum quaerere, verum tamen inveniri posse negant, et id ip-

ſum etiam argumentis evincere conantur. Ita nimirum, ut verbis utar magni gentium Apoſtoli, homines illi, cum aliis volebant esſe ſapientiores, revera ſtulti facti ſunt, aut ſibi viderentur ſapientes, aliis non recuſarunt ſtultitiam ſuam prodere. Quid enim ſtultius est, quam quaerere, quod tamen inveniri non posſe credis, et ſcire te profiteris. Bene igitur est, quod ipſi negant, quod perſuadere nobis conantur. Si enim nihil verum est, quod ipſi dicunt et contendunt, neque id verum erit, veritatem inveniri non posſe. Et vero ſi ratio nulla ad probandam veritatem praeter ſolam ſpeciem veri quidquam ac ſolidi continet, fatentur ipſi ultro, ſua argumenta nihil aliud esſe, quam deliria et illuſiones. Et cur tamdem nobis probare conantur, nihil omnino probari posſe, niſi ut pro vanis et mendacibus hominibus ab omnibus agnoſcantur. Permittamus igitur hos inſanientis ſapientiae conſultos et magiſtros, qui cum lucem habeant, tenebras quaerunt, qui non veritati modo, ſed et humanitati, et ſibi ipſis bellum indicunt, permittamus illos infelici ſuo genio: illorum tamen exemplo cauti nos diſcamus, quantis quamque denſis tenebris ille Divinae lucis radius, vitio quodam nunc hominibus omnibus naturali, in mentibus noſtris circumſeptus ſit ac obnubilatus, ut tanto ardentius, tanto diligentius, tanto maiori ſtudio ſincerae veritatis cognitioni operam demus, ſine qua profecto homines non ſumus, ſine qua non posſumus esſe homines in hac vita felices, ſine qua non posſumus esſe Chriſtiani in futura vita beati. Oculus ille mentis noſtrae, intellectus, quo veritatem quaerimus, et quaſi e profundo elicimus, quo veritatem inventam cernimus, multis morbis et ante omnia pravo voluntatis affectu mirum in modum vitiatus est. Quoties in veritatem, inprimis in ve-

veritates salutares et morales aciem suam convertit, acies illa hebescit, oculus ipse languet, affectu quippe et ardore, qui actionibus nostris omnibus vitam animamque indit, plane destitutus. Instar lippientis oculi, non modo quae sunt, non cernit, sed et quae non sunt, cernit, aut cernere sibi videtur, quemadmodum de lippientibus oculis eleganter Tertullianus *Lippientibus*, inquit, *etiam singularis lucerna numerosa est.* Quod vitium, annuente, excitante, et adiuvante Divina gratia, cuius auxilium veritatis scrutatori ardentissimis precibus expetendum est, tum demum corrigemus, ubi seposito omni partium, omni praeconceptarum opinionum studio, sincero et non fucato veritatis amore ducemur. Quot non in omni praestantissimarum scientiarum genere eruditissimi viri, quorum pudendos errores in apricum aetas protulit, veritatem sibi absconditam facillime assequi potuissent, si tam veritatem, quam semet ipsos, sua commenta, suum lucellum, suam gloriolam sincero affectu prosecuti fuissent. At nunc cum sub specioso veritatis, et in veritatem amoris nomine et titulo, saepius, quam credi potest, pertinacia defendendi, quod edoctus es, prava ambitio cedere nescia, pudor male opportunus, cui erroris confessio nullis machinis extorqueri potest, turgida et ventosa, sed inanis famae cupido, dissidia privata, aliaque huiusmodi latere soleant, quid miramini, Audd., veritatem ab iis, qui eam se quaerere profitentur, plerumque amitti. Huic tamen veritatis sincero amori comes individua adiungenda est indefessa in quaerenda veritate diligentia et attentio. Non male quondam nec citra causam Plato querebatur, veritatem in profundo puteo demersam iacere, male tantum negabat, ex puteo hoc posse in lucem protrahi. Certe multis modis veritas nostris oculis subduci-

 tur,

tur, partim noſtra propria, partim etiam aliorum culpa. Multa enim inquirentibus nobis in veritatem ipſa mens noſtra impedimenta obiicit, vitia nempe omnia cuiuscumque ſint generis, et vitiorum ſemina, quae uti bonitati et veritati ſunt oppoſita, ita a veritatis ſtudio et a veritatis cognitione nos continuo arcent et retrahunt. Homo igitur ſuperbus, homo iracundus, veritatem intaminatam plane asſequi non poteſt. Et haec quidem impedimenta nonniſi ſolida pietate tolli e medio posſunt. Sed multa quoque inquirentibus nobis in veritatem impedimenta obiiciuntur ab aliis, qui ſub veritatis ementito et nonnumquam ſplendide ſatis exornato nomine innumera putida aegri ſui cerebri commenta orbi obtruſerunt. Quibus niſi poſt ſedulam et attentam valde perſcrutationem larvam detraxeris, nubem pro Iunone facillime amplecteris, fumum pro veritate, inque erroris ſocietatem deducere. Coronidem imponet maſcula illa pro tenenda veritate recte cognita et ab omni parte excusſa, conſtantia. Non ille veritatem, ea qua decet attentione, perſcrutatus eſt, qui non inconcusſa eius fundamenta vidit. Aut veritas illa veritas non eſt, quae non certa et ſtabilia fundamenta oſtendit. Non hanc conſtantiam cum pertinacia confundimus, quarum haec nullum, illa ſolidum habet fundamentum, ſed damnamus pruritum illum et laſciviem ingeniorum novaturientium, quae inſolitis et inexſpectatis inhiant, et avide ea imbibunt. At certe, uti veteres errores metu novae veritatis defendere, indoctae prorſus pertinaciae eſt, ita novos errores faſtidio veteris veritatis amplecti, temeritatis et levitatis, ne quid aſperius dicam, indicium, utrumque veritatis ſtudio inprimis inimicum eſt.

Pauca dixi, Audd., ſi munus meum publicum do-

cendi, si auditorium hoc, si rem ipsam ob oculos mihi pono. Plura tamen dixi, quam initio volueram, et quam praescripti mihi temporis limites permittere videntur. Sed praestantia argumenti, quod semel mentem meam occupavit, torrentis instar me volentem nolentem secum paulisper abripuit.

Superest nunc aliud idque non indignius argumentum, quodque, fateor, animum inprimis meum suavitate sua valde demulcet. Dicendum est de pace, et de pacis studio, deque huius cum veritate necessario connubio. Sed promissi memor ero, Auditores, neque diu vos detinebo. Est autem, ut brevibus id dicam, pax, quam veritatis studioso commendandam esse putamus, aut quam potius natura ipsa omnibus hominibus, quam lex sanctissimi Salvatoris omnibus Christianis etiam atque etiam commendat, placidus ille et benignus mentis nostrae affectus, quo alios homines, quippe ex uno sanguine nobiscum procreatos, eiusdem imaginis Divinae nobiscum participes, eodem inprimis Religionis vinculo nobiscum consociatos, eamdem fidem, eamdem spem profitentes, uti nostros prosequimur, iis in omnibus bene cupimus, bene etiam iisdem, ubi possumus, facimus, quo cum illis in omnibus, prout ferunt circumstantiae, amicam continuo communionem et conspirationem animorum mutuam colimus. O quantum et quantopere hominibus exoptandum bonum! Si pax illa vere Divina occuparet mentes hominum, quam felices certe forent Respublicae et hominum societates! Omnis tum cessaret iniustitia, oppressio, rapina, caedes, omnes cessarent iniuriae et contumeliae, exularet tum omnis invidia et superbia, foecundae istae vitiorum et calamitatum genitrices, nulla videres bella publica, nulla dissidia privata, nullam egestatem et miseriam. Omnes prosperitatem

ſuam mutua inter ſe communicatione multum augerent; omnes mala quaevis, a Deo coelitus et ſapienter immisſa, mutua commiſeratione et mutua in ſinum ſuum depoſitione, incredibilem in modum imminuerent. At isthaec felicitas coelitibus demum reſervata est, neque tanta felicitate dignos ſeſe reddunt mortales. At dices forſitan, quidnam veritati cum pace, ut utriusque inter ſe vinculum commendetur. Quinimo videtur pax veritati inimica esſe, quia veritas ſine contentione et ſine concertationibus ſaepe obtineri nec conſervari potest. At nihilo tamen minus, Audd., tanta inter veritatem et pacem intercedit cognatio, ut niſi in una ſede morentur, omni ſuo fructu careant, ut veritas potius ſine pace, et pax ſine veritate, noxiae iudicandae ſint et damnoſae. Aurea est obſervatio Pauli Apoſtoli, quam is 1 Cor. VIII. 1. ſcriptam reliquit, *ſcientiam* (quae est veritatis cognitio) *inflare*, *amorem vero et pacem aedificare*. O praeclaram et Apoſtolo Domini Ieſu vere dignam vocem! Ita est, Auditores; ſcientia nuda etiam praeſtantisſimarum, etiam rerum Divinarum, natura ſua nos ducit ad ſuperbiam, matrem fere vitiorum omnium. Quanto enim magis homines in cognitione veritatis proficiunt, quod ſane est iucundisſimum, tanto etiam ſibi placent magis, tanto magis alii ipſis displicent, quos deſpiciunt, quibus diffidunt, quos a ſua eruditione pendere, quibus ſuas notiones obtrudere cupiunt. Si mala, quae ex hoc fonte in orbem terrarum derivata ſunt, enarrare vellem, me quidem dicentem, vos audientes dies et patientia deficeret. Pax vero et amor, ardor Deum glorificandi, deſiderium hominibus pro virium modulo inſerviendi, ſcientiam omnem ſanctificat, vereque utilem reddit. Et hic profecto est etiam finis veritatis. Quemnam enim in finem Deus coeleſtem

ſuam

ſuam veritatem hominibus ſuis revelavit, niſi ut homines ſacro aliquo vinculo, quod Scriptura multis emphatice urget, cum Deo et ſecum invicem coniungantur. Finis enim omnis noſtrae Theologiae est communio illa ſanctorum, quam ſancti cum Deo, et quam iidem ſecum invicem colunt, hic quidem in terra inchoandam, perfectisſimo autem modo in coelis conſummandam. Et an non idem quoque est finis ſcientiae et ſapientiae humanae? Nam quamobrem edocemur iura, quamobrem alias quoque quasvis diſciplinas, niſi ut hominibus in ſocietate bene ſit, ut pax publica inter omnes conſervetur, ut omnibus prodesſe, omnium corporibus et valetudini, omnium iuribus et fortunis, omnium conſcientiis et mentibus conſulere posſimus. O felices igitur Respublicae, ubi veritas amatur, et pax colitur! o praeſtantes Literarum officinas! ubi diſcentes ſic inſtituuntur, ut, loquor cum Apoſtolo, in tota vita ἀληθεύωσι ἐν ἀγάπῃ, veritatem condiant pacis ſtudio, ut omnes animi ſui vires conferant ad gloriam Dei, ad hominum emolumentum, ad propriae conſcientiae tranquillitatem, adeoque ad aeternam ſuam aliorumque ſalutem.

Sed tempus tamdem est, Audd., ut ad vos eloquar, quod potisſimum huius diei ſolemnitas efflagitat. Sceptra Academica, quae hucusque gesſi, ſuccesſori meo traderem, et ego illum nunc ritibus conſuetis, vobis praeſentibus, inaugurarem, niſi morbus aliquis improviſus eum lecto adeoque domi ſuae affixum teneret. Igitur illum, auctoritate Senatus Academici, nunc publice deſignabo et renunciabo. Est autem is Vir Amplisſimus et Excell. Dominus *Arnoldus Weſenfeld*, Philoſ. Rat. et Mor. Prof. in hac Vniverſitate P. O. et Facultatis ſuae h. t. Decanus, urbis item noſtrae Conſul primarius, qui ſuam de

ſuſci-

ſuſcipiendo hoc munere ſententiam nuper in Concilio Vniverſitatis aperte declaravit, quique ibidem mox fidem ſuam more Maiorum iuramento obſtringet. Eum igitur habetis Rectorem, Cives Academici, lectisſimum, cui, prout ſtipulata manu iuramenti loco ſancte promiſiſtis, omnem obedientiam et reverentiam, quae legitimo Magiſtratui debentur, ſedulo et ſemper praeſtabitis. Deus vero haec omnia fauſta evenire iubeat, votisque noſtris clementisſime annuat!

ORATIO

IN MEMORIAM CONFESSIONIS AVGVSTANAE;

Habita d. 27 Iunii a. 1730.

Etsi frequens ille et splendidissimus vester consessus, Auditores, qui circumspicientis ex hoc loco oculos percellit, mihi in dicendo parum exercitato, et ingenii subtimidi, metum non omnino inanem incutere iure posset, hodie tamen praeter morem meum, dum rostra haec Academica conscendo, dum vultus vestros intueor, nescio qua laetitia et secreta mentis fiducia me totum animari sentio. Est nempe tanta, tamque iucunda omnibus gloriae Dei et rei Euangelicae studiosis huius diei solemnitas, ut vel meticulosissimo animum, ignavissimo ardorem indere queat. Me certe memoria ingentis illius beneficii Divini, quod pia recordatione iterum hodie recolimus, tam dulci voluptatis et gaudii sensu semper demulcet, ut et nuper iussis vestris, Patres Academiae conscripti, quando hoc dicendi munus mihi demandastis, sine mora libentissime paruerim, et nunc ad eadem exequenda, si non ea ingenii virtute, ea linguae facundia, ea rerum copia, quae in oratore vestro desiderabuntur, instructus, illa tamen alacritate, quam hodiernae celebritatis religio bo-

bonis omnibus, et praesertim Theologo inspirare debet, in conspectum vestrum prodeam. Rediit heri memoria immortalis et hoc anno secularis illius diei, quo post Constantinorum et Theodosiorum tempora laetiorem, ac verae religioni salutarem magis, orbis Christianus non vidit, diei inquam XXVI Iunii, quo ante hos ducentos annos, Confessio fidei Christianae, a faecibus et scoriis errorum, quos superiora secula invexerant, opera magnorum in Ecclesia heroum repurgatae, feliciter adornata, atque consensu, quin et subscriptione Principum quorumdam et Ordinum Imperii Germanici roborata, singulariter Deo annuente, Carolo V Caesari in Comitiis Augustae Vindelicorum oblata fuit, unde et Augustanae Confessionis nomen traxit, et Protestantibus posthaec innumerabilium commodorum occasio, origo, causa extitit. Equidem, si temporis illius, in quod memorabilis haec Confessionis Augustanae oblatio incidit, faciem exteriorem contemplamur, non erat utique illa laetissima. Quorsumcumque sese verterent gloriosi veritatis Euangelicae confessores, qui nobis haec otia fecerunt, quibus nunc gaudemus, nil nisi pericula gravissima et saevas malorum procellas capitibus suis imminentes prospiciebant, et causa illa, quam fremente tenebrarum principe, ringeutibus regni eius administris, iratis Principibus terrae, in augustissimo orbis Christiani theatro susceperant defendendam, ipsis quidem videri poterat desperata, nisi causam Dei esse, certo scivissent. Hoc, neque enim est, quod dubitemus, hoc, inquam, solabatur doctrinae coelestis propugnatores fortissimos; hoc mentes ipsorum in re alioquin incerta erigebat et confirmabat. Eumdem omnipotentem et veracem Deum, qui ex tenebris ignorantiae, superstitionis, impietatis, splendidam veritatis ac pietatis lucem eduxerat, et in excelso omnibus conspi-

ſpiciendam collocaverat, ſciebant poſſe pariter e tenebris curarum et ſollicitudinum lucem proferre ſalutis certisſimae atque durabilis incolumitatis, eumdemque cauſae ſuae non defuturum, pie confidebant. Erat tamen mens eorum, futuri quippe et conſiliorum Dei neſcia, ſpem inter metumque veluti ſuſpenſa; certaminis, quod ingresſi erant, eventum; Euangelii, quod intrepide, at non ſine fortunarum et ipſius adeo vitae ingenti diſcrimine confesſi erant, felicia incrementa ſperare demum, et a ventura die, cuius dubia ſors est, exſpectare debebant. Quanto laetius nos iam illuſtris huius diei memoriam ſecularem celebrare posſumus, quando, quod illo tempore in votis tantum habuerunt pii Reformatores, eorumque magnanimi Protectores, id nos videmus, et Maiores noſtri iam ante nos viderunt: quando non modo nemine interdicente, ſed et Patriae Patre iubente, Magiſtratu adhortante, fratre fratrem et vocibus et exemplo excitante, in domibus noſtris coimus, in templa et auditoria publica confluimus, ut gloriam Dei et miracula verbi eius concelebremus: quando ſementis, quam Auguſtanae Confesſionis conditores tum fecerunt, mesſem uberrimam, fructumque amplisſimum, quae est Divinae miſericordiae immenſitas, etiam in noſtris oris cum gaudio obſervamus: quando rectam doctrinae coeleſtis confesſionem, praeſertim ubi innocentia morum et vitae pietate corroborata est, non modo manet iucunda etiam in adverſis conſcientia, et praemium apud Deum repoſitum, ſed conſequitur etiam laus, amor, et benevolentia hominum: quando, ut in pauca omnia contraham, (*a*) *pietas* iam vere *promisſionem habet vitae, quae nunc est, et futurae.* Quis

(*a*) 1 Tim. IV 8.

Quis non haec maxima Dei beneficia ſeria aeſtimatione penſitans, affectu quopiam Davidico, id est, Divino percitus, in voces eius erumpat: (*b*) *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et pſalmum dicam. Exurge gloria mea, exurge pſalterium et cythara: exurgam diluculo. Confitebor Te in populis, Domine, et pſalmum Tibi dicam in gentibus. Quoniam magnificata est usque ad coelos miſericordia Tua, et usque ad nubes veritas Tua. Exaltare ſuper coelos, Deus, et ſuper omnem terram gloria Tua.* Est profecto hoc noſtrum officium, ad quod Deus ipſe nos invitat, qui tam admiranda infinitae ſuae virtutis et benignitatis ſpecimina in operibus ſuis edit, ut illa hominem dulcedine ſua pelliciant, ad tantum Opificem laudibus celebrandum, quique, cum ipſe quondam Rempublicam gentis Iudaicae ordinasſet, et ſacrorum leges dedisſet, ne homines, prae ignavia quadam ſibi congenita, operum ſuorum memoriam animo excidere paterentur, eorumdem, quod et hiſtoria docet, et (*c*) Vates regius obſervari a nobis cupit, *memoriam fecit*, inſtituitque *mirabilium ſuorum* memoriam publicam a piis Iudaeis religioſe celebrandam, aliam die quovis ſeptimo, aliam diebus menſtruis, aliam ſingulis annis, aliam ſeptimo, aliam denique quinquageſimo anno, nempe Iubilaeo, redeuntem. Non ignoramus quidem feſtum Iubilaeum, quod in Eccleſia Chriſtiana ante finem ſeculi XIII. celebratum nemo vidit vel audivit, cuiusque ratio a Pontificibus Romanis variis modis posthaec mutata est, nomen quondam fuisſe ſuperſtitionis teterrimae, quod proinde teſtes veritatis, qui Reformationem antecesſerunt, Walden-

(*b*) Psalm. LVII. 8, etc.
(*c*) Psalm. CXI. 4.

densès, Wiclefus, Husfus, neque minus Reformationis in Germania praecipuum inftrumentum, B. Lutherus, vehementer averfati funt. Sed nobis cum Iubilaeis Pontificiorum, quae non in honorem, fed in opprobrium potius apertum Divini nominis, Pontifices avaritiae fuae fummaeque, quam aucupabantur, in Ecclefia poteftati et auctoritati litantes, confecrarunt, quaeque nil aliud funt, quam deteftanda indulgentiarum nundinatio, nobis, inquam, cum hisce Iubilaeis nihil commercii esfe volumus. Pertinebat tamen omnino ad gloriam repurgationis facrorum Chriftianorum, a piis Reformatoribus tam feliciter coeptae et perfectae, ut etiam Iubilaea, ad primitivam fuam ac Divinam inftitutionem reducta, omnique fuperftitione paganica et romanenfi exuta, inter fefta Chriftiana Deo placitura locum habere, nosque gloriofae libertatis noftrae per Euangelium recuperatae admonere posfent. Satisfecimus hinc officio noftro heri in templis huius civitatis, quae hymnis, precibus, laudibus, et gratiarum actionibus tota perfonuerunt, in quibus audivimus (*f*) *Magnalia Dei*, quae etiam in Ecclefia renata, ut olim in Apoftolica recens fundata, illuftri modo confpicua fuere, fideliter ad excitandum grati animi fenfum recitari, et ad infpirandam veram pietatem accommodari. Tametfi autem et nos hisce bonorum Euangelicorum partibus heri defuncti fimus, reftat tamen, quod et ipfius rei dignitas fuadet, et religiofisfimi Patriae Patris expresfum mandatum nobis iniungit, ut folemni hac Academica panegyri pietatem quoque noftram teftemur, et ficuti ex communi laetitia, partem quisque fuam decerpimus, ita figillatim, quae ex Confesfionis Auguftanae publica obla-

(*e*) Actor. II 11.

oblatione, et ex felici Ecclesiae Reformatione, in hanc non minus, quam in alias Vniversitates, redundarunt emolumenta, grato ore commemoremus. Neque enim existimandum est, per beatam Reformationem Ecclesiae, in articulis tantum scitu necessariis fidei Christianae, et in modo cultus, quo sub N. Foedere a nobis Deus est colendus, emendata fuisse, quae tolerari diutius salva conscientia nullo modo poterant. Res ipsa enim docet, universam rempublicam, et Civilem, et Ecclesiasticam, et Literariam, ab illo tempore aliam penitus et, exuta priori, laetiorem et amoeniorem multo faciem induisse. Quod enim et vos, honoratissimi commilitones, valere iussis libris sententiarum, rosariis, marialibus, repertoriis, quodlibetis, speculis, cum suis auctoribus, Theologiae et Philosophiae Scholasticae magistris, pulsa barbarie, atque explosis meris inanibus, quantumvis sesquipedalibus vocabulis, quibus praeter sonum mirificum rei nihil inest, sic omnes artium disciplinas excolitis, ut vere proficere vos in cognitione Divinae ac humanae sapientiae, vobis conscii esse possitis, id ad gaudium huius nostrae festivitatis pertinet, id omne, quantum quantum est, quod sane maximum est, Reformationi in acceptis ferendum esse, constat. Adeo hinc etiam constare potest, esse aliquod secretum literarum omnium inter se vinculum, et, quod (*g*) Divinus Psaltes, et post eum (*h*) sapientissimus regum, suo iam aevo verissime cecinerunt, *initium sapientiae* esse cognitionem et *timorem Domini*. O felicem igitur et auspicatam Academiis Ecclesiae Reformationem! Illa dies, quae Ecclesiae pristinum nitorem restituit, eadem literis quoque et literarum se-

(*g*) Psalm. CXI. 10.
(*h*) Proverb. I. 7.

ſedibus genuinum ſuum honorem, veramque dignitatem attulit. Diutius his immorarer, quae et perſequi amoenum eſt, et huic loco cum primis conveniunt, niſi illa ipſa ratio, quae me paululum a via abduxit, gradum revocare iuberet. Etenim plurimorum veſtrum exſpectationi et meo officio nondum mihi reſpondisſe videor, niſi de Confesſione Auguſtana, cuius memoriam hodie percolimus, cuiusque iam ſaepe facta eſt mentio, atque fieri debuit, quaedam diſtinctius et evolutius dixero, ut iubilaturis cauſa et occaſio iubilandi primum recte cognita ſit, utque perſpecta beneficii, quod Deus in nos contulit, magnitudine, ad ea, quae ſeria illius meditatio a nobis efflagitat, tanto ſimus alacriores et paratiores. Quamvis autem omnes tabernae librariae iſto tempore ſcateant hiſtoricis et homileticis de Confesſione Auguſtana commentationibus, quarum nonnullae magna ſane cum voluptate ab omnibus leguntur, egoque non habeam, quod ex ſcriniis, ſitu oppletis, novi vobis aliquid afferam, Auditores, dabitis tamen hoc tantae huius diei celebritati, dabitis etiam veſtrae in me benevolentiae, ut me breviter de Auguſtana Confesſione, deque eximiis emolumentis, quae ab illa in cauſam Proteſtantium profecta ſunt, dicturum, placide audiatis. Ego pro viribus operam dabo, ne patientia veſtra abutar.

Quis fuerit Eccleſiarum ubique et praeſertim in Germania noſtra ſtatus, antequam pii Reformatores, a Deo ad tam ſalutare opus excitati, eis ſubvenirent, nemo ignorat, et ut nemo ignorare posſit, Reformatio effecit. Doctrina a Chriſto per Apoſtolos tradita, iam dudum ex memoria hominum evanuerat. Oraculorum Divinorum Sacer Codex longe maximae Clericorum parti, ſi omnino notus erat, non erat niſi nomine. Religio Chriſtiana, qua nihil ſanctius, nihilque gravius eſt, converſa

fuerat in scenam histrionicam, ad decipiendum miserum populum, qui dum spectaculo sibi apparato non illepido inhiabat, argento emungi et duci egregie poterat. Ecclesia formam induerat regni Monarchici, tanto invenustioris adspectu, quod supremus huius Monarchiae Gubernator, nec ratione, nec legibus, seu Divinis seu humanis, sed solo arbitrio suo standum esse omnibus ediceret, quodque non tantum in actiones externas, sed in ipsam adeo conscientiam, summum imperium sibi arrogaret. Quidquid Iupiter ille Capitolinus sibi suoque imperio consultum iudicabat, id sine mora supremae legis vim obtinebat, non aliter atque de Iove (*i*) Poëta canit:

Iupiter esse pium statuit, quodcunque iuvaret.

Si quis hiscere contra auderet, tantam indocilitatem nonnisi flammis expiare poterat. Adeo Christianismum in ipso Christianismo quaesivisses. Nec superarat aliquid eius, quod ex praecepto aut instinctu Christi docuerant et instituerant Apostoli, nisi hinc inde tenuia quaedam lineamenta, novis tamen et peregrinis coloribus eum in modum variegata, ut vir antiquorum temporum et morum ea haud facile agniturus fuisset. Et erat profecto, quocnmque oculos verteres, foedissima Ecclesiae facies, quam optimi quique, etiam ante Lutheri tempora, sed nequicquam, deplorarunt. Quotquot sunt seculo XIII,

(*i*) Ovidius Heroid. Epist. IV. 133: et Poëta quidem hoc loco agit de amoribus incestis, quales permisisse Martinum V. Angelus de Clavasio, Pontifici huic aequalis, scribit: *re cum suis Doctoribus communicata, cuidam permisit, ut germanam sororem uxorem duceret*, apud *Mornacum* in Historia Papatus p. 501.

XIII, XIV et XV, ſcriptores paulo ingenioſiores et candidiores, ne altius iam adſcendam, miſerandam Eccleſiae ſuae corruptionem et agnoverunt facile, et cordate indicarunt, eiusque emendationem et reformationem enixis votis expetiverunt. Quorum teſtimonia magna et diligentia et fide *Matthias Flacius Illyricus*, operi immortali, quod Catalogum teſtium veritatis inſcripſit, ut commode et coniunctim ab unoquoque inveniri posſint, inſeruit. Seculo XV eo res redierat, ut ipſi Eccleſiae, quemadmodum appellari avent, Principes, quamvis ipſorum intererat, ut familiae eorum crimina et dedecus obtegeretur, diutius tamen tam foeda vulnera, tot luxationes et diſtortiones corporis ſui tacere non posſent. Itaque in Concilio Piſano, Cardinales utriusque obedientiae, Gregorii XII et Benedicti XIII, Anti-Paparum, concinentibus reliquis Concilii Patribus, ſolemniter teſtati ſunt, opus (*h*) esſe reformatione Eccleſiae, in capite et in membris, quam etiam Pontifici iam iam eligendo, ante alia omnia, et praeſertim ante Concilii disſolutionem, procurandam ſummopere commendarunt. Cumque Iohannes XXIII, qui Alexandro V, a Piſanis Patribus electo, ſed brevi poſt mortuo, ſucceſſerat, ut votis et ſpei orbis Chriſtiani aliquo modo reſponderet,

(*h*) In Actis Concil. Piſani Sesſ. XVI. (collect. Harduin. Tom. VIII. col. 88.) hoc habetur iuramentum, quo Cardinales omnes ſeſe obſtrinxerunt: *Nos omnes et ſinguli Epiſcopi, Presbyteri et Diaconi Cardinales, congregati in Civitate Piſana — promittimus in verbo veritatis Deo, S. Romanae Eccleſiae et S. Synodo — quod ſi quis noſtrum in ſummum Romanum Pontificem eligetur, praeſens Concilium continuabit, nec disſolvet aut disſolvi permittet, quantum in eo erit, usque quo per ipſum cum conſilio Concilii eiusdem ſit facta debita, ratio-*

ret, Concilium Constantiense coëgisset, (*i*) multa de reformatione Ecclesiae Patres Concilii dixerunt, pauca, (*k*) aut potius, nihil effecerunt. Quem even-

tionabilis et sufficiens reformatio universalis Ecclesiae et status eius tam in capite, quam in membris, etc. Collect. Labbei tom. XI col. 2203.

(*i*) Docent id Concilii huius Acta. Ipse Iohannes XXIII. Pontif. in Epistola, quae ipso praesente lecta fuit in Concilio, fassus est, *Reformationem Ecclesiae* finem esse huius Concilii. Vide Collect. Harduin. t. VIII. col. 231, et 233. In Sessione I. Cardinalis Florentinus nomine totius Concilii edixit, hanc esse mentem Concilii, *quod Sacrum Concilium non debet dissolvi — quousque Ecclesia sit reformata in fide et moribus, in capite et membris*, col. 247. idem plane testatur Sess. IV. col. 252. Vbi notabit lector, actum fuisse non tantum de reformatione Disciplinae Ecclesiasticae, sed etiam *Fidei*, ut loca postremo citata conceptis verbis testantur. Ipse quoque Papa Iohannes in Epistola sua, cuius modo facta est mentio, id non obscure confirmat. Sic enim scribit col. 232: *Considerantes, quod praecipuum agendum in Concilio generali, secundum laudabiles consuetudines antiquorum Conciliorum, esse debet de his, quae concernunt Catholicam* fidem; et quibusdam interiectis: *Vt tempore opportuno possint ea determinari, quae videbuntur tenenda vel repudianda pro utilitate et incremento ipsius Catholicae Fidei*. Similia habentur etiam in Actis Concilii Pisani. Ex quo manifestum est, strenue nobis imponere voluisse celebrem *Bossuetum*, Meldensem Episcopum, quando reformationem disciplinae multis votis expetitam fuisse concedit, de reformatione doctrinae et cultus cogitatum fuisse negat; *Histoire des Variations*, Liv. I. n. 2, 3, 4, 5. Contrarium luculenter patet ex his Concilii Constantiensis Actis, quae citavimus. Id ipsum aliis argumentis confirmari posset, qnae huius loci non sunt. Vide tamen *Basnage Histoire des Eglises Reformées* Part. II. c. 1 et 2

(*k*) Non sine voluptate legi possunt Protestationes Car-

eventum fuisse pariter Concilii Basileensis, nemo est, qui ignoret, aut in dubium vocet, quantumvis (*m*) pollicitationibus magnificis egregiam de se spem

Cardinalium et trium nationum, contra Imperatorem et Nationem Germanicam contendentium, ut electioni novi Pontificis consultatio de Reformatione Ecclesiae praemitteretur, Sess. XXXVIII. col. 847 etc., et protestatio Nationis Germanicae facta contra Cardinales et tres Nationes optantes, ut electio Papae praemitteretur Reformationi, col. 852. Quamvis autem Natio Germanica tum vicerit, et Sessione XXXIX, XL, ac XLI, de Reformatione Ecclesiae esset actum, capita tamen Reformationis fuerunt pauca et levis momenti. Nec illa Reformatio postea locum habuit. Eratque consultatio magis de reformatione, quam reformatio, quae futuro Pontifici potius reservabatur. Vide Sess. XL. col. 861. Sed *Martinus* V. electus Pontifex Reformationem Ecclesiae in novum Concilium distulit. Bene igitur ac sapienter *Henr. Spondanus*, Apamiensis in Gallia Episcopus ad a. 1418. § 3. p. 767, probat calculo suo iudicium illud auctoris anonymi Burdegalensis, *de Reformatione multa tractata fuisse, pauca conclusa.*

(*l*) In Intimatione Concilii Basil. Sess. I. col. 1105 haec habentur: *Ad laudem omnipotentis Dei, exaltationemque Fidei Catholicae, nec non tranquillitatem et pacem totius Christianitatis, reformationem quoque Ecclesiae universalis — intimatur per praesentes omnibus et singulis*, etc. In eadem Sessione I. haec intentio Concilii omnibus declaratur: *Tertio, ut cum multiplicibus vitiorum tribulis et spinis Christi vinea iam quasi sylvescat prae nimia densitate, ut illis debitae culturae studio resecatis, euangelico agricola coelitus operante, refloreat.* Qualia plura in sequentibus occurrunt, et in ipsis quoque *Eugenii* IV. Pontificis literis, quae habentur Sess. XVI. col. 1172, etsi is talem reformationem metuens, nihil relinqueret intentatum, quo Concilium Basileense dissolveretur, aut in Italiam transferretur. Et sane de reformandis quibusdam abusibus cogitarunt Patres illius Concilii Sess. XX. et seqq. Verum de hac refor-

ſpem omnibus fecisſet. Nolite tamen exiſtimare, Auditores, Patribus hisce purpuratis cordi umquam fuisſe, ut luxus et faſtus Clericorum intolerabilis, ut dogmata, quae culinas ipſorum atque cellas inopiam pati, aut etiam metuere non ſinebant, Eccleſiâ pellerentur, ut priſtina in doctrina puritas, in cultu Divino ſimplicitas, quae nullam nummorum congeriem promittebant, postliminio reducerentur. Ab hoc illi ſemper fuere alienisſimi, niſi paucos for-

formatione idem omnino dicendum est, quod de reformatione Concili Conſtantienſis obſervatum iam fuit. Finito Concilio, Reformatione magis opus erat, quam umquam antea. Quis non ſubſcribat iudicio candidisſimi Du Pinii? ita pronuntiantis ad Secul. XV. cap. IX. p. 153. b. *Neceſsitatem Reformationis Eccleſiae in capite et membris — agnoverunt Concilia Conſtantienſe et Baſileenſe. Sed vani erant conatus eorum huc tendentes. Reformatio quippe ſemper differebatur et eludebatur.* Itaque posthaec Ordines Imperii Germanici inſignem gravaminum adverſus Eccleſiam Rom. numerum Maximiliano I. Imperatori obtulerunt a. 1510, quae legi posſunt in *Flacii* Catalogo Teſtium. Verit. p. 482. etc. etc. Eademque gravamina multis aliis auxerunt (quae legi posſunt apud *Goldaſtum* Parte II. fol. 197.) publice oblata in Comitiis Norimbergenſibus a. 1523. Ad Principes in illis Comitiis congregatos miſerat *Adrianus* VI. Pontifex Legatum, *Franciscum Cheregatum*, cui formulam actionis (Inſtructionem dicunt) dederat, in conſesſu Principum praelegendam, qua candide agnoſcit, ſuperesſe in Eccleſia abuſus abominabiles, et opus esſe Reformatione in capite et membris Eccleſiae. Vide *Sleidan.* L. IV. p. 38. b. et *Seckendorfii* Lutheran. L. I. num. 137. Et poſtea iusſu Pauli III. Pontificis a Cardinalibus et aliis Praelatis ad id delegatis conſilium de emendanda Eccleſia conſcriptum est A. 1538, quod ſubnectitur P. Suavis [P. Sarpii] Hiſtoriae Concilii Tridentini, in quo habentur egregia multa, ſed quae non ſufficiunt.

forte excipias, qui numerum non faciunt, quique in huiusmodi rebus nihil posſunt. Quod in oculos omnium incurrebat, id quidem diffiteri, impudentiae modum omnem ſupergredi videbatur. Fatebantur itaque, quod etiam ſe diffitentibus, et maiori cum dedecore ſuo, omnibus notum esſe, et ab omnibus credi ſciebant. Vt igitur bonam exiſtimationem ſuam, quam in non mediocri diſcrimine verſari, etiam vulgi rumores prodebant, aliqua ratione tuerentur, voce quam poterant altisſima clamitabant, Eccleſiam esſe reformandam. Sed intra hosce clamores ſubſtitit omnis illius, quam meditabantur, reformationis conatus. Quoties in Conciliis, etiam eo fine indictis, de re tam ſalutari tamque exoptata deliberandum esſet, erat autem illa ſemper deliberationum omnium ultima, ut nempe finis coronaret opus; en! tempus invidum effluxerat, et reformatio novum ſibi depoſcebat Concilium, ut tamdem patres puderet, et mundum taederet cantilenae toties fruſtra repetitae. Nempe et aliis inſtrumentis ad opus tam Divinum uti, conſtitutum erat ſapientisſimo rerum Moderatori, et alii ſeculo, ſeculo XVI, gloria Eccleſiae emendatae reſervata erat. Quod Principes Eccleſiae doloſe promiſerant, cum interea temporis morbos Eccleſiae quotidie ingraveſcere, totum corpus invadere patienter ferrent, quodque, ſi ipſi etiam manus operi tanto admovisſent, fructus evaſurus erat abortivus, quod boni omnes precibus ardentisſimis a Deo quotidie efflagitabant, id tamdem Deus O. M. per *Martinum Lutherum*, Monachum Auguſtinianum et Theologiae Profesſorem Wittebergenſem, fama tum non illuſtrem, dignitatibus non eminentem, non Principum favore ſuffultum, praeter omnium ſpem et opinionem perfecit. Ita in *Luthero* quoque, neque minus in aliis, qui in opere Reformationis ipſum aut adiuvarunt, aut ſecu-

cuti sunt, videmus evenisse, quod de se, deque Apostolis generatim, Paulus observat (*m*): *Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confunderet sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia; et ignobilia mundi et contemtibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Nemini vestrum, Audd., ignotum est, quaenam *Luthero* ad opus tam arduum suscipiendum occasio suborta fuerit, infamis illa indulgentiarum mercatura, quae cum per se iam omnibus offendiculo esset, tum impudentiorem praeconem Tezelio nancisci non potuit, cuius blasphemas voces ipse Pontifex Romae, et per Legatum suum in Saxonia Miltitium, publice improbavit, quique cum bilem suam frustra evomuisset in *Lutherum*, eo quod is impietatem suam toti mundo exposuisset, haud ita multo post, omnibus contemtus, plurimis invisus, ex moerore hinc contracto, Lipsiae vitam misere finivit. Iam aliquot annis ante hoc cum Tezelio certamen, insigniter lectione S. Scripturae captus fuerat *Lutherus*, quo in studio, ut felicius pergeret, Linguas Graecam et Hebraicam, passim in Germania tum excoli coeptas, non indiligenter didicerat. Eoque factum erat, ut Scripturam iugiter legendo, meditando, ruminando, doctrinae de Iustificatione, non per opera, sed per fidem, diu iam in Ecclesia alta oblivione sepultae, principia degustaret, primasque in mente sua lineas sibi duceret. Dici vix potest, quanto hae curae et vigiliae ipsi postea subsidio fuerint in controversia cum Tezelio, quod etiam ex primis ab ipso editis scriptis intelligitur, quam facile ineptias omnes, omnemque impietatem indulgen-

(*m*) 1 Cor. I. 27.

gentiarum detegere, quam ſolide eas refutare, quam diſtincte et explicate veritatem oſtendere, quanto robore veritatem, oſtenſam ex unico veritatis coeleſtis fonte, ad conſcientias hominum probare potuerit. Veritas est veritatis index, ſicuti dato uno abſurdo, uno mendacio, conſequuntur plura. Quare cum *Lutherus* Scripturam omni auctoritati humanae praeferre coepisſet, cum disputando adverſus Tezelium doctrinam Chriſti et Apoſtolorum de Iuſtificatione peccatoris, quae uti est fundamentum totius in univerſum Chriſtianismi, ita fundamentum quoque evaſit Eccleſiae repurgatae et renovatae, ex veris ſuis principiis eruisſet, dies diem docuit, profligato uno errore, hoc ipſo ad convellendum alium directus est, cumque igne quodam Divino arderet, pro honore Dei et ſalute Eccleſiae Chriſtianae, quam nec promisſiones, nec comminationes, nec ſpes, nec metus, nec omnino quidquam reſtinguere poterat, in tam laudabili curriculo per totam vitam indefesſo labore perrexit, gratia Dei eum iuvante et corroborante, ut magnum Reformationis opus, non modo in incunabulis, ſed etiam in flore et vigore conſpiceret, antequam post bene peractos labores, ad Deum emigraret, et moriens idem aliis conſervandum et perpoliendum laetus relinquere posſet. Cum ita feliciter magnus *Lutherus* in Saxonia negotium hoc auſpicatus fuisſet, in aliis orbis Chriſtiani partibus Divinitus ad hoc vocati viri Dei, quaſi ſigno dato, conſurgunt, et ad opem ſibi mutuo, aut Euangelio potius, ferendam concurrunt. In Helvetia *Huldericus Zwinglius*, (*n*) qui iam aliquamdiu errorum et ſuperſtitionum Eccleſiae Romanae impatiens fuerat, et impatientiam ſuam publice teſtatus erat, ſuccesſu pro-

(*n*) Vide *Sculteti* Annal. Euang. ad A. 1516.

prospero, quo *Lutherum* uti cognoverat, inflammatus, ad emendanda similiter sacra magno animo atque nisu et ipse se accinxit. Vtriusque et scriptis et exemplo calcaria sibi addi patiebantur viri pii, Basileae (*o*) *Iohannes Oecolampadius*, Constantiae in Helvetiorum confiniis *Ambrosius Blaurerus*, Argentorati *Iohannes Creutzerus*, *Martinus Bucerus*, *Wolfgangus Franciscus Capito*, et *Casparus Hedio*, ut opus Domini, quibus modo possent viribus, aggrederentur. In Gallia (*p*) *Stephanus Machevillius*, *Stephanus Renecius*, *Guilielmus Farellus*, et ex ipsorum Episcoporum ordine (*q*) *Guilielmus Briconne-*

(*o*) De Capitone refert *Scultetus* in Annal. Euang. p. 9., eum Basileae *docendo et disputando prima Ecclesiae Euangelicae semina iecisse, quod non solum Epistolae Capitonis, sed etiam versus Auditorio Theologico Basileensi inscripti testentur*, sed Oecolampadio gloriam hanc vindicat Epitaphium ipsi in Ecclesia Cathedrali positum, in haec verba: *D. Ioh. Oecolampadius, professione Theologus, trium linguarum peritissimus, Author Euangelicae Doctrinae in hac urbe primus, et Templi huius verus Episcopus.* Refert Epithaphium *Rocoles* Histoire du Calvinisme Liv. I. p. 30.

(*p*) *Machevillius* ex Germania redux iam A. 1521 Nonnaci in Provincia Vivariensi Euangelium praedicavit, cumque persecutionis metu urbem illam reliquisset, Renerius doctrinam illam propagavit ore, et morte confirmavit. *Rocoles* Histoire du Calvinisme Liv. VI. p. 220. Sed *Theodorus Beza*, qui *Machevillium* vocat Machopolin, praedicationem eius ad A. 1528. refert, Histoire des Eglises reformées de France Tom. I. p. 1: et sic videtur corrigendum apud *Rocolesium*. De *Farello*, qui iam A. 1521 Euangelio operam dedit, omnia nota sunt. Vide tamen le Dictionaire de *Bayle* artic: *Farel.*

(*q*) Hic ab a. 1521 et iis, quibus purior doctrina cordi erat, favere coepit, et ipse Euangelium praedicavit, usque dum exorta a. 1523 persecutione veritatem eiura-

netus, Meldensis Praesul, Meti in Lotharingia (*r*) *Iohannes Castellanus*, qui et illic locorum martyrium passus est, ac (*s*) *Franciscus Lambertus Avenio-*

raret. Vide l'Histoire des Eglises de *Beze* Tom. I. p. 5. *Ioannis Crispini* Acta Martyrum p. 334. *Rocoles* Hist. de Calvin. p. 50.

(*r*) Is in Gallia primum, deinde in Lotharingia Metis, et in urbe Vicensi, sede Episcopi Metensis, puriorem Christianismi doctrinam annunciavit, et a. 1525 martyrio donatus est. Martyrium descripsit eius paulo ante socius et amicus *Franciscus Lambertus Avenionensis* in Farragine rerum Theologicarum eodem anno edita cap. v tmem. 108), et in Commentariis in Hoseam, qui pariter illo ipso anno prodierunt, in dedicatione ad *Fridericum Saxoniae* Electorem. Vide et *Crispini* Acta Martyrum p. 180 etc.

(*s*) *Franciscus Lambertus Avenionensis*, nobili stirpe satus, iuvenis Franciscanorum ordinem ingressus est. Cum Franciscanis pietas ipsius et doctrina suspecta essent, cum praeterea libros Lutheri ab ipso lectitari deprehendissent, patrium solum vertere coactus est. Contulit se ad *Sebastionem de Montefalcone*, Episcopum et Principem Lausannensem, cui postea Farraginem suam rerum Theologicarum dedicavit, testans, ipsum tum praedicationi Euangelicae benignas aures praebuisse. Hinc Basileam, et Basilea Wittebergam petiit a. 1523, ubi et Lutherum cum voluptate audivit, uti postea testatus est, et edidit regulam Minoritarum. Witteberga Metin profectus est, cumque illic persecutio ingravesceret a. 1525, quae et Castellanum absumsit, Argentinam concessit, amicitia gaudens Buceri et Capitonis, quos in Dedicatione praemissa Farragini rerum Theologicarum p. 3 b. fin. et 4 a. init. vocat *charissimos et vere a Deo edoctos Fratres*. Cum anno post 1526. *Philippus Hassiae* Landgravius Reformationem in Hassiam introducere vellet, *Lambertus* ille, ceu vir ad negotium hoc inprimis idoneus, ipsi commendatus est. Publice adversus Pontificios in conventu quodam *Lambertus* disputavit propositis Para-

nionensis, quem postea Hassia, voluntate *Philippi Magnanimi*, primum habuit Euangelii doctorem publicum, et quot non alii aliis in locis, strenuam et

doxis quibusdam, in titulos seu capita XXIII divisis. Cumque Pontificii nihil possent adversus *Lambertum*, *Philippus* monachos et virgines velatas monasteriis secedere iussit, eorumque reditus fundandis Academiis et scholis impendit. In Academia recens condita Marpurgensi primus Theol. Professor *Lambertus* extitit, qui ibi cum laude docuit usque ad a. 1530, quo peste, cum Academiam relinquere nollet, extinctus est. In paradoxis, quae *Lambertus* una cum Adamo Cratone publice defendit, occurrere quaedam pensitanda, subinnuit *Seckendorff* in den historie des Lutherthüms II buch § 31 p. 804, et clarissimus *Funccius* in der Reformations historie ad a. 1526 p. 778. Sane videntur illa doctrinam Helvetiorum, aut salteni Argentinensium, Buceri et Capitonis, proponere. Praesertim in Farragine rerum Theologicarum mentem suam non obscure prodidit, ut proinde celeberr. et vener. *D. Loescherus* in Historia Motuum L. III c. VI p. 59 de illo iudicet, *cum in hoc libro de Sacramento non pure docuisse*, cap. X. *De mensa Domini* Tmem. 231 ita scribit de fidelibus: *Illis toties signo certissimo moritur*, *id est*, *mortis suae fructus illis tribuit*, *quoties ex fide panem hunc manducant*, *et sanguinem bibunt*. Vid. et Tmem. 232. Tmem. 239: *Tametsi hoc sacrum convivium*, *itidem et baptismus sunt certissima signa fidelibus*, *Divinae gratiae percipiendae*, *nihilominus etiam absque eiusmodi signis*, *quisque fidelium veritati credens*, *idem percipit*. Tmem. 363: *Signa non conferunt gratiam*, *sed Dominus*. Tmem. 364: *Neque ob signa confertur*, *sed ob fidem*. Tmem. 366: *Denique signa haec absque fide nihil sunt*. Ex quibus et pluribus aliis de sententia *Lamberti* unicuique constare potest. Etiam observavi, *Lambertum* cum *Carolostadio* ursisse necessitatem absolutam coniugii in Episcopis. Sed in aliis tamen, quae sunt magis fanatica, ab eodem dissentit. De hoc nostro *Lamberto* vide et Kürtze historie der Gelehrtheit Trimest. I n. II pag. 24 etc.

et amplissimis fructibus laetam Euangelio operam navarunt. Fidem profecto omnem superat numerus civitatum in Germania, et hominum in Livonia, Polonia, Bohemia, Silesia, Vngaria, Belgio, quos iam a. 1522. doctrinam ab erroribus Romanensium defaecatam probasse, ex indubiae fidei monumentis (*t*) constat. Quod sic Euangelio accedebat, id regno suo decedere existimabant, nec immerito, Papa et Papicolae. Neque certe ab illo tempore umquam illam auctoritatem in Principes, illam regna opulentissima orbis Christiani pro lubitu expilandi effrenem licentiam recuperare potuit Pontifex, quam post seculum XI, conniventibus partim, partim reclamantibus, sed frustra, Principibus, impudenti et felici nimium conatu sibi arrogaverat. Quis igitur credat, Leonem X, Pontificem R., quamvis alioquin Religio fabula ipsi esset, ceterosque, quos aut communis utilitas, aut caeca superstitio Pontifici totos devoverat, haec Lutheri primum et aliorum deinde Reformatorum conamina rectis oculis et aequis animis adspicere potuisse. Quanto maiores hi in cognitione et in propagatione purioris doctrinae pariter et cultus faciebant in dies progressus, tanto vehementius in eos ira ac odium Pontificum horumque fautorum quotidie exardescebat. *Lutherus* ipse, qui rabiem inimicorum Euangelii ante alios sentire debuit, cum ad silentium nullis aliis machinis adhibitis redigi posset, a Leone Papa Romam citatus, et eo proficisci renuens, mox ad colloquium cum Caietano Cardinale habendum, Augustam Vindelicorum invitatur. Venerat ad illam urbem, ne causae suae diffidere videretur, sed et cum, ut unica tantum salutis via,

(*t*) Vid. inprimis *Sculteti* Annal. Euangelicos ad a. 1522.

via, retractatio dogmatum ipsi proponeretur, brevi rebus infectis discessum est. Quomodo hoc et alia istiusmodi tentamina leniora, cum nihil proficerent, exceperint fulmina ex arce Capitolii in *Lutherum* missa, sed ab ipso, non sine ludibrio Pontificis, contemta; quomodo posthaec *Lutherus* in Comitiis Wormatiensibus, fide ab Imperatore sibi data fretus, coram ipso Imperatore et Principibus Imperii heroica vere et divinitus inspirata constantia, non pertimescens *Iohannis Hussi* triste exemplum, spernens excelsa mente consilia amicorum iter illud dissuadentium, causam suam et Euangelii intrepide dixerit; quomodo Imperator eum, invitis ipsis Curiae Romanae fautoribus, secure abire permiserit, sed tamen post discessum una cum sectatoribus et defensoribus edicto publico proscripserit; quomodo severi huius edicti executionem consiliis prudentibus Principes Euangelici complures annos declinaverint, Reformatione Ecclesiae longe lateque interim augmenta capiente; quomodo in Comitiis Spirensibus a. 1529 Principes Imperii, quibus Pontificis auctoritas cordi erat, quique suffragiorum numero Evangelicis multum erant superiores, incremento verae doctrinae edictis Comitialibus modum et finem ponere, atque Euangelicorum potestatem, qua hucusque gavisi erant, doctrinam et cultum reformandi arctis valde limitibus circumscribere moliti fuerint; quomodo denique Euangelici adversus hoc edictum, tamquam et ab aequitate, et a modo in Comitiis agendi abhorrens, protestati fuerint, et ad Caesarem tum absentem appellationem interiecerint, unde *Protestantium* nomen ipsis adhaesit, unico verbo tetigisse nunc quidem sufficiat, ut ad Confessionem Augustanam accedere propius possim. Scissa in duas partes erat tota Germania, hinc Euangelicis doctrinam salutarem, ex verbo Dei haustam, libere profitenti-

bus

bus et publice docentibus, ritus itidem Ecclesiasticos ad genium primorum Christianismi seculorum conformantibus, illinc Pontificiis detectionem errorum ac fraudum suae Ecclesiae, et consecutum exhinc sui contemtum, templorum insuper ac monasteriorum, et bonorum quorumcumque Ecclesiasticorum amissionem aegerrime ferentibus, ira et indignatione frendentibus, et pro retinendis avitis sacris lapidem omnem movere paratis. Vt tantis igitur malis obviam iret Caesar, Comitia Imperii in annum trigesimum seculi XVI Augustae Vindelicorum indixit, in quibus ne quid frustra ageretur, ipse praesentibus omnibus Imperii Ordinibus de doctrina et de tota Protestantium caussa accurate sese cogniturum pollicitus est, ut, quid tamdem in tam arduo negotio agendum esset, mature deliberari et prudenter definiri posset. Itaque iam tamdem, dirigente ita summo Numine, doctrina Protestantium, postquam per complurium annorum incrementa iustam maturitatem consecuta esset, Augustae in Vindelicis, non ut antea simpliciter condemnanda et retractanda, sed coram augustissimo totius orbis Christiani tribunali examinanda, et, utrum esset a Deo, an vero ab hominibus, prudenter diiudicanda erat. Quid, quaeso, poterat esse doctrinae coelesti honorificentius, quid salutarius tam illustri examine, quod experiri debebat, si iudices expectare potuisses Dei et religionis, veri rectique amantes, quique tranquillitati conscientiae bene exploratae omne aliud commodum postponere edocti essent. Protestantes, interim eventum tanti negotii, quod non praeter rationem in causa religionis fore decretorium existimabatur, Deo commendantes, in id consilia sua, omnemque mentis aciem intendebant, ne aut gloriae nominis Divini, aut honori doctrinae Euangelicae, aut denique suae ipsorum innocentiae de-

fuisse, iure argui possent. Aderant itaque mense Maio Augustae Vindelicorum (*u*), quod vix sperare poterant Pontificii, *Iohannes* pius, Saxoniae Elector, *Philippus* magnanimus, Hassiae Landgravius, ceterique Protestantium in Germania Principes atque Ordines, et cum illis Theologi, quorum opera utilis et necessaria iudicabatur. *Luthero* ipsi, quippe proscripto, praesenti esse non licebat, quamvis ea, quae uberius declaranda et pro rerum circumstantiis calamo expolienda erant (*v*), articulis XVII antea iam complexus esset. Sed ceteroquin non deerat Ordinibus Euangelicis copia doctissimornm Theologorum, quos inter primas tenent *Philippus Melanchthon*, *Iustus Ionas*, *Georgius Spalatinus*, *Iohannes Agricola*, *Iohannes Brentius*, *Erhardus Schnepfius*. Horum omnium consensu, et communicatis consiliis, cumprimis vero (*w*) *opera studioque et cura atque immenso labore Philippi Melanchthonis*, cuius, utpote multo rerum usu et eleganter scribendo plurimum exercitati, prudentiae et dexteritati rem omnem committere placuit, elaborata et postea Ca-

(*u*) *Coelestinus* Hist. Comitior. T. I p. 31 a. *Dux Elector Saxoniae* —— *praeter opinionem et expectationem Papistarum, primus omnium tum Electorum, tum Principum, Augustam est ingressus. Plane enim sibi persuaserant, et pro certo statuerant omnes Pontificii, Illustrissimum Principem Electorem non venturum ad Comitia, sed diffidentem causae, omnem rei legitimam cognitionem et actionem subterfugiturum esse.*

(*v*) Res aliunde satis nota est. Vide tamen Epistolam ea de re *Iohannis* Electoris Saxoniae ad *Lutherum*, in venerandi *Cypriani* Historia Confess. August. Part. II p. 168. Latine extat in *Coelestini* Historia Comitior. T. I p. 42 b.

(*w*) Verba sunt *Ioach. Camerarii*, in vita *Melancht.* p. 123 edit. primae Lips.

Carolo V Imperatori, Augustam ingresso, oblata est celeberrima Confessio Augustana, primus dehinc Protestantium liber Symbolicus; siquidem, ut (*x*) *Camerarius* recte monet, *ab hoc tempore certa et explicata ratio doctrinae coelestis veritatis uno scripto exposita, coepit extare.* Quando huc iam perventum est, Auditores, temperare mihi non possum, quod et religiosa festivitas huius diei per se suggerere mihi videtur, quin vos rogitem, ut ad luculentissima indicia singularis et Ecclesiae Protestantium amicae Divinae Providentiae, quae in hoc negotio enituit, animum vestrum advertatis. Quid quaeso ipsa Confessione, nam ab illa ordiri aequum est, quid inquam illa Confessione eo tempore perfectius et melius expectari a quoquam potuit? Nam cum brevi (*y*) paucorum dierum spatio a *Melanchthone*, quem norunt omnes pectoris fuisse adversus fortunae procellas non usque adeo obfirmati (*z*), inter anxias curas et sollicitudines non sine metu instantium periculorum gravissimorum fuerit composita,

(*x*) In vita *Melancht.* l. c.

(*y*) Die 2. Maii Elector venerat *Augustam* et die 11 ad *Lutherum* missa iam fuit Confessio, ut iudicium de illa suum perscriberet.

(*z*) *Melanchthon* scribens ad Camerarium p. 135 his verbis utitur: *Exercet haec quoque sollicitudo animum meum, tot alioqui miserrimis occupatum curis*; et p. 138 *Animus est occupatus multo miserrimis curis.* Ad *Lutherum* in haec verba scribit: *Versamur hic in miserrimis curis et plane perpetuis lachrymis. Quaeso te, ut reputes, quo loco, quanto in periculo simus, ubi praeter tuam consolationem, nihil quicquam solatii habere possumus;* in Collectione Peuceriana Tom. 1 p. 9 et 10, multa de periculis refert, sic concludens: *Adhuc is status fuit nostrarum rerum, ut magnam partem temporis in lachrymis hic consumserimus.*

ta, cum in tam brevi tempore complurium censuras experiri debuerit, quod in re adeo ancipiti periculosae plenum opus aleae esse, nemini obscurum est; satis profecto mirari non possum, quomodo illa Confessio, et merito suo, punctum omne tulisse omnibus visa fuerit. Non iam commemorabo, quod verbo etiam supra tetigi, hoc primum fuisse compendium totius doctrinae Christianae ab erroribus, qui post seculum IV paulatim sese insinuaverant, perpurgatae; non dicam, errores Pontificiorum notabiliores summa et brevitate, et perspicuitate, et soliditate, et prudentia discussos, omnium oculis obiici. Vnum vero si tacitus praeterirem, plurimorum reprehensionem non sine aliqua mea culpa incurrere forsitan possem. Exortum nempe erat annis circiter quinque ante Comitia Augustana, infelix illud inter *Lutherum* et *Helvetios*, atque nonnullas Germaniae civitates, quae dogmati Helvetiorum favebant, dissidium de modo praesentiae Domini in S. Coenae administratione. Hoc unicum erat, quod tum temporis, inprimis post colloquium Marpurgense a. 1529 *Lutherum* inter et *Zwinglium*, et utriusque socios et amicos nonnullos institutum, animos Euangelicorum, prout huic vel illi parti studerent, ab invicem disiungeret, cum ceteroquin coniunctis viribus et pari ardore egregiam et salubrem regno Christi operam navarent. *Melanchthon* ipse, auctor Confessionis, eo quidem tempore, non magis, quam Theologi reliqui, quorum consiliis adiuvabatur, sententiae Helvetiorum favebant. Quid enim hoc diffiteremur, aut dissimularemus? Eo tamen non obstante, cum articulus de Coena Domini concipiendus esset, huiusmodi verbis id faciendum esse putarunt Confessionis conditores, *Melanchthon* praesertim, quae Helvetios non offenderent, aut exacerbarent, eo quod hi pacis ineundae, et dissidii

tol-

tollendi viam iam quaesiverant, eidemque porro instituturi esse videbantur. Quod cum ex Confessionis ipsius inspectione iam sic satis colligi queat, tum etiam testimonio nititur *Erhardi Schnepfii*, Theologi minime suspecti, quique consultationibus Theologorum, Confessionem Augustae recognoscentium, assidue interfuit. Cum enim verba articuli x sic habeant: *De Coena Domini docent, quod corpus et sanguis Christi* vere *adsint, et distribuantur vescentibus in Coena Domini, et improbant secus docentes*; quae verba (*a*) a Protestantibus omnibus promiscue admitti recte possunt, edocemur a *Schnepfio* (*b*), pla-

(*a*) Vid. *Rud. Hospin.* Histor. Sacram. Part. II p. 156. a. et 157.

(*b*) In Confessione de Eucharistia, Ienae a. 1556. Verba adduxit etiam vener. *D. Cyprianus* in Historia Confess. Aug. p. 56. Addit quidem *Schnepfius* caussam huius rei fuisse, *quod nemo omnium, qui in hunc deliberantium congressum admissi essent, cum* Zwinglianis *sentiret*. Nempe haec caussa fuit, cur, quod placebat plurimis, tanto facilius admitti posset, cum doctrina eorum, qui articulum condiderant, suspecta non esset. Sed ceteroquin notandum est, quod ex *Schnepfii* verbis recte colligimus, 1) vocem *vere* a multis inter conditores Confessionis habitam fuisse pro ambigua, idque 2) respectu Zwinglianorum, qui eadem voce commode et libenter usuri essent, 3) et tamen placuisse, ut vox illis non e diametro opposita, sed ambigua adhiberetur. Cur vocem ambiguam clarae et omnibus modis perspicuae praetulissent, nisi lenitatis et moderationis studio? Accedit et illa ratio, quae videtur fuisse ex primariis, quod existimarent, *Philippum Hassiae* Landgravium, Principum Euangelicorum post Saxonem praecipuum, a sententia Helvetiorum non adeo fuisse alienum. Id apparet iam ex studio, quo *Lambertum*, de quo supra diximus, semper est prosecutus. Et multo clarius id indicat *Philippus Melanchthon*, de Hasso sic ad *Lutherum* scribens.

placuisse eo tempore, solo adverbio vere, *quamquam ambiguo, ut tum a multis disputabatur, uti.* Vehementer istam in hoc negotio *Melanchthonis* lenitatem et mo erationem novimus probatam fuisse magno vir o *Gregorio Pontano*, Electoris Saxoniae Cancellario, quem consiliorum in Comitiis Augustanis agitatorum animam fuisse, neminem fugit. Quamobrem, cum quindecim annos post, ad Electorem *Iohannem Fridericum* scriberet de formula quadam Reformationis universalis Ecclesiarum Pontificiarum non minus quam Protestantium, Wittebergae concinnata (*c*), laudat primo scripti illius lenitatem, quodque *Augustanam Confessionem pro fundamento retinuerint, et de Sacramentis purissime, suavissime, et brevissime scripserint:* suadet porro, ut illius versio Latina *Melanchthoni* potissimum committatur adornanda, cuius moderationis fama per to-

Nunc Macedo (ita Hassum tecte vocat, alludens ad nomen *Philippi Macedonis*) *agit, ut orationi nostrorum subscribat, ac videtur posse retrahi ad nostros, sed opus est tuis literis*, in Epistolis a *Peucero* editis Tom. I p. 3. ibidem pergit: *horteris eum, ne oneret conscientiam suam alicuius impii dogmatis* (ita tum scribebat) *defensione*; et p 5. *Venit una* Sneppius, *vir optimus, tuique amantissimus, qui nobis aliquam spem ostendit, Principem suum in officio posse contineri, quamquam non dissimulet magnum esse periculum. Narrat quantam dimicationem sustineat cum illo* περὶ δείπνου Κυριακοῦ (*de Coena Domini*) etc. etc. Vid. praeter allata *Scultetum* in Annal. Euangelicis ad a. 1529 p. 233, 234. Quibus observatis melius intelligentur, quae de *Philippo* Landgravio referunt *David Chytraeus* in Hist. Confess. August. et *Rud. Hospin.* in Hist. Sacram. part. II p. 149, 156.

(*c*) Vide *Seckendorffs* Lutherthum IV büch, num. LXVI p. 2377 et sq. et clariss. *Wimmeri* Vitam *Gregorii Pontani* p. 230, 231.

totum orbem notissima sit, tamdemque rationem hanc subnectit, scire Electorem, *quam utilis illa Melanchthonis lenitas in stylo Augustanae Confessionis et Apologiae fuerit.* Quae lenitas et prudens moderatio conditorum Augustanae Confessionis effecit, ut, cum, *Zwinglio* brevi post mortuo, *Bucerus* partium illarum, quae postea Reformatae dici amarunt, antesignanus in Germania, dissidium omne inter Protestantes removeri enixe cuperet, eaque de re cum *Luthero* et *Melanchthone*, et scriptis et coram, praesertim in celeberrimo conventu Wittebergensi a. 1536, sine intermissione ageret, Confessionem Augustanam, tamquam concordiae stabilis fundamentum, libentissime admitteret. Quamvis igitur haberent Argentinenses, quorum erat *Bucerus* publicus doctor, Confessionem sibi peculiarem Tetrapolitanam (*d*), quam una cum tribus aliis civitatibus in Comitiis Augustanis *Carolo* V seorsim oblatam voluerant, post id tamen temporis (*e*), suae non penitus repudiatae, Augustanam praetulerunt.

(*d*) Ex eo, quod *Zwinglius* suam propriam Confessionem, et quatuor civitates aliam suorum studio confectam Confessionem in Comitiis Caesari offerri vellent, non pauci concludunt, his Confessionem Augustanam displicuisse. Sed *Zwinglius* et quatuor civitates egerant more aliorum Principum et Ordinum Euangelicorum, qui, cum Confessio Augustana nondum publici juris esset facta, singuli fere de Confessione conscribenda cogitabant. Ita *Camerarius* in vita Melanchth. p. 124: *Qui in causa hac coniungebantur, ii iusserant suos quique Theologos aliquid conscribere. Quae legenda cognoscendaque erant Philippo.*

(*e*) Videatur viri doctissimi *C. A. Saligii* Historia Augustanae Confess. L. II c. XII § 19, 20 et c. XIII § 1, 2. Conf. *Sculteti* Annal. Euangel. ad a. 1531 pag. 342.

runt. Huic idcirco, qui deinceps in Argentinensium vel Ecclesia vel Academia docendi publico muneri admoti essent, *Iohannes Calvinus* (*f*), *Petrus Martyr* (*g*), *Hieronymus Zanchius* (*h*), non inviti

(*f*) *Calvinus* in Epistola ad *Mart. Sehalingium*, Pastorem Ecclesiae Ratisbonensis, Genevae a. 1557 p. 182 scribit: *Nec vero Augustanam Confessionem repudio, cui pridem volens ac libens subscripsi, sicuti eam auctor ipse interpretatus est.* Ibidem paulo ante dixerat: *Quin fideles carne et sanguine Christi vere et substantialiter in Coena alantur, non nego, si tantum definiatur modus, arcana Spiritus virtute fieri, ut vim suam caro et sanguis Christi in nos transfundant.* Idem ad Polonos eodem anno scribens p. 186, dehortatur secessionem ab Augustana Confessione. In Epistola ad Principem quemdam Germaniae a. 1561, in haec verba scribit p. 237: *Ego certe in eorum numero sum, qui Augustanam Confessionem sequi et probare volunt, cum in aliis omnibus, tum etiam in illo capite, quod est de Coena Domini, etc.* Et locutiones *Calvini* in doctrina de S. Coena cum Augustanae Confessionis expressionibus non levem convenientiam habere, operose iam dudum probare conatus est *Bossuetus*, Histoire des Variations Lib. IX T. II p. 14, 15, etc. etc.

(*g*) *Iosias Simlerus* in Oratione de vita et obitu *Petri Martyris*, quae praemittitur locis eius communibus, satis indicat, *Petrum Martyrem* Argentinae cum *Bucero* per omnia fecisse: *Paruit* Bucero *ille, et iisdem cum eo loquendi formis usus est.* Etsi ibidem testetur, postea *Martyrem* omnes *Buceri* loquendi formulas non probasse, nec retinuisse. Ex eadem oratione *Simleri* liquet, *Martyrem* subscripsisse Confessioni Augustanae. Vnde cum post reditum ex Anglia accusatus esset, *quod in doctrina de Coena Domini a sententia Augustana discessisset, Senatui scripto oblato se purgavit, et docuit, Confessionem Augustanam, et alias, quae ab ea non discrepent, si recte ac commode intelligantur, se libenter amplecti, profiteri, ac velle pro viribus tueri.* Cumque

ti subscripserunt. Et si magnanimus *Lutherus* in vivis, prudens *Bucerus* in Germania diutius mansissent, coniicere fas est, futurum fuisse, ut vinculum pacis inter omnes Protestantium Ecclesias, quod iam non infeliciter necti coeperat, ad maiorem Dei gloriam, et uberiorem Reformationis Euangelicae fructum, indissolubili vinculo constringeretur. Sed aliter Deo visum est. Voluit, ut etiam secuturae aetati cos acuendae virtutis Christianae et argumentum exercendae pietatis pacificae superesset. Quoties tamen posthaec inter utramque Euangelicorum partem de restauranda tam salutari concordia actum est, nostrarum Ecclesiarum et (*i*) in Germania et

que postea proferretur etiam ei Concordia Wittebergensis inter *Lutherum* et *Bucerum*, *respondit se huic non subscripsisse*, subinnuens sic, se tantum Confessioni Augustanae subscripsisse.

(*h*) *Zanchium* subscripsisse Confessioni Augustanae, etsi cum conditione addita, ex controversia celeberrima, quae ipsi cum *Marbachio* Argentinae intercessit, notissimum est. Sed idem saepe testatus est, se nulli scripto humano simpliciter et sine conditione subscripturum esse. Et in illis initiis haec omnia nondum satis firmiter fuerunt constituta. De cetero testatur, se Confessionis Augustanae invariatae artic. X de Coena Domini amplecti, et convenienter illi *docere*, Opp. T. VII col. 351. Illud *ceteroquin* hic notandum quoque est. Anno 1541 in Colloquio Wormatiensi nomine Theologorum Confessionis Augustanae comparuisse *Martinum Bucerum*, *Iohan. Calvinum*, *Ioh. Sturmium*, et *Wolfg. Capitonem*, in Colloquio Ratisbonensi eiusdem anni, *Martinum Bucerum*, cui et cum *Melanchthone* et *Pistorio* partes praecipuae colloquendi cum Pontificiis datae fuerant, et *Ioh. Calvinum*, quod et posthaec aliquoties factum esse, historia docet.

(*i*) Nota sunt Acta Colloquii Charitativi Lipsiae a. 1631 instituti. In illis enim *statim principio Brandenbur-*

et (*k*) in aliis regionibus Theologi pacis verae et stabilis fundamentum non modo acceperunt, sed et ultro agnoverunt et libenter obtulerunt Augustanam Confessionem.

Tam-

burgici et Hassiaci Theologi ultro professi sunt, se ore et corde Augustanam a. 1530. *Imp. Carolo* V *exhibitam Confessionem amplecti, sineque ullo scrupulo, quandocumque desideraretur, eidem subscribere paratos esse, adeo, ut ne detrectaturi quidem sint, Exemplaris eius, quod in pupilla Saxonica extat, subscriptione, consensum suum testari; idque eo libentius, quod sicuti ad munus suum, nonnisi approbata prius Confessione Augustana, admissi fuerint, ita et eidem Confessioni in Electoratu Brandenburgico et Ducatu Hassiae, non minus ac ipsi Principes sui publice semper adhaeserint, inque Ecclesiis ac Scholis suis eamdem constanter tradiderint.* Acta Colloquii Lipf. ex editione *Ioh. Duraei* in Prodromo Irenic. Tractat. p. 93.

(*k*) Sic in Polonia in celeberrima Synodo Sendomiriensi a. 1570 Reformati Confessionem Augustanam receperunt, ut unio inter utramque Protestantium partem iniri et durabilis esse posset. Vnde in Conventu Thoruniensi a. 1645 habito, Reformati in generali sua Professione ita loquuntur: *Profitemur ei nos accedere sententiae, quae tum in Augustana Confessione — sive eam invariatam, sive repetitam aut emendatam dixeris, tum etiam in Bohemica et Sendomiriensi, ex Scripturis explicata* est, *et in Ecclesiis huius regni Reformatis integrum iam fere seculum obtinuit; Prout tres illae Confessiones, quamvis verbis nonnihil discrepantes, tamen et re ipsa cum Scripturis et inter sese, in capitibus fidei necessariis, consentientes, Sendomiriensi consensu* a. 1570 *in Ecclesiis nostris receptae unitaeque sunt, atque etiam Confoederatione pacis et securitatis publicae in hoc Regno firmatae ac munitae.* Hanc eamdem Augustanam Confessionem, ceu fundamentum pacis solidae inter Lutheranos et Reformatos, obtulit Theologus Helvetiorum clarissimus *Ioh. Henr. Heideggerus* in peculiari Dis-

Tametsi autem pii hi irenicorum conatus hucusque successu exoptato destituti fuerint, neutiquam tamen Reformati eam ob rem Confessioni huic illustrissimae, quae certe doctrinam Protestantium continet, modo, quo augustior excogitari non potest, toti orbi exhibitam, nuncium miserunt Quanto enim in pretio sit apud Reformatos omnes, vel ex eo unicuique constare potest, quod in Confessionum suarum, quas pro suis agnoscunt, syntagmate, Augustanae etiam locum esse voluerint. Quo vero loco nostrates in Germania eamdem habeaut, hoc unum tam luculenter testatur, ut nihil possit magis, quod nimirum in Academiis ipsorum illa doctrinae Divinae tradendae, post S. Scripturam, normae alicuius instar et regulae sit. Ego certe legibus Facultatis nostrae Theologicae in hac Alma Viadrina obsecundans, et vestigiis piorum meorum praedecessorum insistens, Augustanae Confessioni, *Carolo* V a. 1530 oblatae, iurato subscripsi. Quod meum de me ipso testimonium videbor quibusdam ab alio Ecclesiae nostrae Theologo, et quidem celebri admodum, *Heideggero* mutuatus esse. Nam haec sunt illius verba (*l*): *Subscripserunt hactenus Theo-*

Dissertatione *de Augustanae Confessionis cum Fide Reformatorum consensu*, quae edita est inter selectas eius Dissertationes Tomo II num. VIII p. 150 etc., nec minus in *Manuductione in viam concordiae Protestantium Ecclesiasticae*, in qua argumentum hoc prolixe et solide persequitur Diatr. I § IX et sqq. Quam viam ingreditur etiam Theologus Gallus, qui in Belgio docuit, *Petrus Iurieus* in *Consultatione de pace inter Protestantes ineunda*, praesertim c. XIII p. 269: cuius inscriptio est: *Confessionem communem a Confessione Augustana diversam non esse necessariam; huic Confessioni omnes Reformati subscribere possunt.*

(*l*) *Heideggerus* de Concordia Protestantium Eccles. Diatrib. I § XII p. 28.

Theologi Reformati, quotquot in Germaniae Academiis ad gradum et brabeon ſupremi in Theologia honoris promoti ſunt. Quos inter meum quoque nomen profiteor. Quod idem de Academiis ſuis Theologi Brandenburgici et Hasſiaci, in Colloquio Lipſiaco (*m*), publice testati ſunt. Quae cum ita ſint, mirum videri nemini poteſt, ſuo iure Reformatos ſemper postulasſe, ut pro Confesſionis illius, cui ſubſcribant, ſociis habeantur, ac proinde, quod et magnus Elector Brandenburgicus, *Fridericus Wilhelmus* (*n*) tempore conſultationum de pace Westphalica graviter urſit (*o*), quodque Acta Comitiorum Imperii publica confirmant, ipſis omnia illa iura, quae Auguſtanae Confesſioni addictis ex ſanctionibus Imperii religioſis propria ſunt, ſtudio Ordinum Euangelicorum Imperii, quidquid contra molirentur Pontificii, ſancte conſervata fuisſe, ſarta ac tecta manſisſe; *Electorem adhaec Palatinum* (verba recito *Friderici Wilhelmi*) *inter Euangelicos Ordines, nemine contradicente, Directorium exercuisſe, ac ſi*

(*m*) Verba ex Actis Colloq. Lipſ. ſupra iam adducta ſunt.

(*n*) Iuſtructio Electoris ſuper hac re, quae multa lectu digna continet, habetur apud *Puffendorff.* de rebus *Frid. Wilhelmi* Lib. I § 30 p. 75, 76 etc.

(*o*) Solidisſime omnia, quae huc pertinent, perſecutus eſt, et in celſisſima luce collocavit Auctor anonymus das Berichts, wie die Gerechtſame der Euangeliſch Reformirten in dem Herzogthum Scihleſien, ihr Religions-Exercitium, und desſelben Reſtitution, mittelst jure et facto wohlgegründeter ſchriſtliche und mundliche vorſtellungen — verſchiedentlich darthun und deduciren lasſen. Gedruckt im jahr 1711. Cuius ſcripti auctorem accepimus esſe virum quondam illuſtrem, *Henricum* L. B. à *Coccei*, Regiae Maieſtatis Prusſieae Conſiliarium intimum, et in hac Academia Facultatis Iuridicae Profesſor ordinarius.

si quid publicis Imperii conventibus nomine Electorum Augustanae Confessionis addictorum conclusum fuerit, id Palatinum semper subscripsisse; quinimo, ut omnis contradicendi Pontificiis occasio penitus praescinderetur, in pace Westphalica, non modo iura, quibus antea gaudebant, confirmata, sed cum iuribus etiam nomen Sociorum Augustanae Confessionis publica auctoritate concessum fuisse. Possem, Auditores, multa nec forte memoratu indigna afferre, de eximia veneratione, qua Reformati extra Germaniam, in Anglia, in Gallia, in Belgio, in Helvetia, (*p*) in Polonia, excellentem Confessionem Au-

(*p*) Reformati in Polonia Augustanam Confessionem non modo in pretio habent, quod et faciunt alibi Reformati, sed et eidem adhaeserunt in Conventu, ut supra dixi, Sendomiriensi, idque solemniter in Conventu Thoruniensi repetierunt. Quare etiam pro sociis Augustanae Confessionis haberi voluerunt, et publice agniti sunt. Itaque hoc nomine insigniuntur in Instrumento Pactorum Welawiensium de a. 1658, cuius artic. VIII ita sonat: *Serenissimus Rex Poloniae, et Respublica, pro se et successoribus suis promittunt, quod in casu Devolutionis, nihil in praeiudicium tam Augustano-Lutheranae, quam Augustano-Reformatae Religionis innovabunt, aut attentabunt.* Quae pacta cum in Comitiis proxime secutis confirmata, et Regni Constitutionibus inserta sint, haec non est denominatio privata, sed publica et authentica. Ceteroquin iam a. 1645. *Wladislaus* IV Reformatos, quos ad Colloquium Thoruniense invitavit, in illis literis patentibus *Augustano-Reformatos compellat.* Cumque postea lis oriretur, frater eius et successor *Iohannes Casimirus* a. 1651 Gedanenses literis regiis monuit, Reformatis nomen hoc utique competere, idque argumentis aliquot probavit. Eodem nomine in publicis Diplomatibus postea insigniti sunt a *Iohanne* III et *Augusto*, hodierno Rege: quae omnia pluribus adstructa videbis in ven. Patris mei *Historia consensus Sendomiriensis*, quam sub prelo sudare didici.

Augustanam prosecuti semper sunt, quamvis ex eius professione illi commoda huius vitae nec expectent, nec sperare possint; possem producere (q) Confessiones nostratium peregrinas, quarum doctrina de

(q) Confessio Augustana docet, *corpus et sanguinem Christi vere adesse in Coena Domini, et vescentibus distribui.* Apologia Confessionis haec addit: *Decimus articulus approbatus est, in quo confitemur, quod in Coena Domini vere substantialiter adsint corpus et sanguis Christi*, ubi particula *vere* explicata est per *substantialiter.* Ab hac locutione Reformati alieni non sunt, eamdem potius non paucae ipsorum Confessiones ῥητῶς retinent. *Marbachius* testatur, Wormatiae a *Theod. Beza* sibi *exhibitam fuisse Confessionem Ecclesiarum Gallicarum, quae in omnibus propemodum articulis cum Lutheranarum Ecclesiarum doctrina conveniebat, et in negotio Eucharistiae parum quoque dissentiebat.* Vide Disceptat. inter duos Theologos, in Operibus *Zanchii* Tom. VII col. 225. Et sane aliter *Marbachius* iudicare non potuit. Haec enim sunt verba Confessionis, quam tunc nomine Ecclesiarum Gallicarum exhibuit *Beza: Fatemur in Coena Domini non omnia modo Christi beneficia, sed ipsam etiam filii hominis substantiam, ipsam veram carnem — in qua natus et passus est, resurrexit et ascendit in coelos: et verum illum sanguinem, quem fudit pro nobis, non significari duntaxat, aut symbolice, typice vel figurate, tamquam absentis memoriam proponi, sed vere ac certe repraesentari, exhiberi, et applicanda offerri symbolis minime nudis, sed quae, quod ad Deum ipsum attinet, promittentem et offerentem, semper rem ipsam vere ac certo coniunctam habeant, sive fidelibus proponantur*, apud *Hospin.* Hist. Sacram. Part. II p. 433. Confessio publica Ecclesiarum Gallicarum communi consensu a. 1559 condita Parisiis, sed desumta, quod ad plurima, ex Confessione antiquiori. (Vide Mr. *L'Enfant* Discours sur les Confessions de Foy, joint à l'innocence de Catechisme de Heidelberg demontrée p. 145, 146.) quae habetur Gallice dans l'his-

de S. Coena ne verbo quidem ab Augustanae Confessionis tenore secedit, ut appareat candor, quo se Confessionem Augustanam recipere, illi testantur. Sed dignitas huius argumenti, quod nostro huic

l'histoire des Eglises Reformées de France par *Beze*, Liv. II p. 173 etc., et Latine in Commentariis de statu Religionis et Reip. in regno Galliae Part. I Lib. I pag. 38, 39 etc., nec minus in syntagmate Confessionum Ecclesiarum Reform. Part. I p. 77, Art. XXXVI de Coena Domini sic habet: *Non est duntaxat mortuus semel, et excitatus a mortuis pro nobis, sed etiam* vere *nos pascit et nutrit* carne sua et sanguine, *ut unum cum ipso facti, vitam cum ipso communem habeamus. — Credimus eum arcana et incomprehensibili Spiritus sui virtute per fidem apprehensa, nos nutrire et vivificare* sui corporis et sanguinis substantia. Et ne putes forte fortuna evenisse, ut haec verba in Confessionem sese insinuarent, certum est, in compluribus Synodis Gallicis ea de re fuisse deliberatum. Semper tamen conclusum fuit, verba haec esse orthodoxa, et neutiquam mutanda. Vide Beati *L'Enfantii* Discours sur les Confessions de Foy p. 148, 149, et ipsum *Bossuetum* (caute tamen legendum, et cum *L'Enfantio* conferendum) Histoire des Variations Liv. XII num. I—II. In eamdem sententiam *Theod. Beza* in colloquio Possiacensi a 1561 coram Regina nomine Reformatorum locutus est d. XXVI Sept. Vide l'histoire des Eglises de *Beze* Lib. IV p. 595 et Commentar. de statu Relig. in Gallia Part. I p. 138 b. In eodem colloquio inter Reformatos et Pontificios convenerat de hac doctrina formula: *Credimus in usu Coenae Dominicae vere et re ipsa, ac substantialiter, id est, in ipsa substantia verum corpus et sanguinem Christi, spirituali et ineffabili modo esse, exhiberi, sumi, a fidelibus communicantibus. Beze* l. c. p. 604 fin. et *Fayus* in vita *Bezae* p. 47. Tamdem hanc formulam placuit proponere: *Confitemur, Iesum Christum in Coena nobis offerre, dare, et vere exhibere substantiam sui corporis et sanguinis, operante Spiritu Sancto: nos*

huic conventui apprime convenire videbatur, iam sic effecit, ut dum illi hucusque immoratus fui, citatiori gradu nunc mihi opus sit, quo promissorum memor, quae etiamnum supersunt, brevibus absolvam. Non minor, Auditores, Providentiae Divinae industria eluxit in Principibus et Ordinibus Euangelicis, qui Confessioni Augustanae manu sua subscripserunt, eamque ut suam *Carolo* V Imp. per administros et Cancellarios Saxoniae, *D. Gregorium Pontanum*, et *D. Christianum Bayerum*, praelegi et praelectam tradi curarunt. Maximum erat discrimen, cui capita sua obiiciebant optimi et piissimi Principes, ceterique Ordines Euangelici, eo quod Imperator cum Papa et Principibus nonnullis, Papae decreta venerantibus de exstirpandis Euangelicis, secretam conspirationem fecisset. Sed Deus Ecclesiam suam, nunc certe, si umquam alias, gravissime periclitantem, non deseruit, atque ne Principes eam desererent, animum illis inspiravit usque adeo impavidum, ut illo tempore non ducatuum et ditionnm, non fortunarum, qnin ne capitis quidem, sed una tantum verae Religionis cura eos tangeret. Quo factum est, ut cum alii tale exemplum pari constantia imitarentur, omnesque Imperatorem rogare non desisterent, ut se praesentibus sinceram et integram doctrinae suae professionem benevola attentione audiret, quod et factum est postridie eius diei, qui *St. Iohanni Baptistae* consecratus est, et Imperator de doctrina Protestantium nunc demum recte

nosque recipere et edere spiritualiter et per fidem verum illud corpus, quod pro nobis mortuum est, etc. sed a Pontificiis Episcopis formula haec reiecta fuit. Vide *Fayi* historiam de vita *Bezae* p 39, Comment. de statu Relig. in Gallia Part. I Lib. III p. 141 b. fin. sq. Plura jam non addo.

recte perſpecta, multo lenius, quin imo magnificentius, quam antea ſentiret, et molimina inimicorum cruenta, aut ſaltem Euangelio exitioſa, eluderentur, et tamdem post nubila phoebus, post disſidia tristia ancipitesque eventus, pax blanda et ſalutaris emergeret.

Et hoc ipſum est, in quo praecipue inenarrabilis Divinae Providentiae benignitas omnibus manifestum fecit, quam grata ſibi esſet Proteſtantium profesſio, quam acceptus eorum cultus, quam provida cura ipſorum Eccleſiis invigilaret. Nulla umquam fidei purioris profesſio publice facta oſtendi potest, quae, contra nitentibus veritatis inimicis, tam ſplendidum ſortita ſit triumphum, quae eventum habuerit cum eventu Confesſionis Auguſtanae comparandum. Ipſa quidem Comitia Auguſtana ſub exitum Protestantibus videbantur parum laeta, nec futurae etiam proſperitatis et incolumitatis meliorem certamve ſpem ipſos concipere ſinebant. Caeſar etſi dispulſa calumniarum nebula, et cognita genuina Proteſtantium doctrina, ipſis aliquantum esſet reconciliatus, nondum tamen ita aut praeconceptis de religione ſua opinionibus liber erat, aut importunis Pontificiorum petitionibus reſiſtere poterat, quin a Protestantibus exigeret, ut doctrinae, quam in Comitiis Theologi Eccleſiae Romanae propoſuisſent et asſeruisſent, ſubſcriberent ſine tergiverſatione, et ab omni ulteriori in religione mutatione et innovatione abſtinerent. Addiderat Caeſaris interpres, *Ioachimus*, Elector Brandenburgicus, Princeps magnus et multis nominibus laudatisſimus, ſed placitorum Eccleſiae Romanae mirum in modum tenax, Protestantibus, ſi ſecus facerent, militem Imperatoris metuendum esſe. Nil igitur profecerant Augustae Ordines Euangelici, niſi unum hoc, ut genuina ipſorum doctrina et Imperatori et toti Germaniae

innotuisset, quod nonnullorum iram lenierat, aliorum mentibus latentia pietatis et veritatis semina inseverat, inter quos *Ioachimus* Princeps Electoralis, et aliquanto post Elector Brandenburgicus, atque *Fridericus*, postmodum Elector Palatinus, interiecto aliquo tempore, accessione sua Collegium Principum Protestantium non modo locupletarunt, sed et insigniter ornarunt. Finitis Comitiis utraque pars bellum meditabatur, aut inferendum alteri, aut, quod erat consilium Protestantium, vi propellendum. Quod etsi variis artibus diu satis suppressum ac inhibitum fuisset, tamdem tamen anno decimo septimo post Confessionem oblatam, cum anno superiori *Lutherus* ex hac vita ad meliorem placide migrasset, in nervum erupit, captis in ipso fere belli primordio *Iohanne Friderico* Saxoniae Electore, et *Philippo* Hassiae Landgravio. Triste hoc videri poterat praesagium belli infeliciter coepti. At mox meliora Deus ostendit. Imminebant Ecclesiae halcyonia, aderat dies, quo manumittenda et in plenariam libertatem vindicanda erat. Infelici illo casu, quem modo memoravi, non ita accisae erant vires Protestantium, quin *Carolum* Caesarem, et fratrem eius *Ferdinandum*, Regem Romanorum, quinto post gestum bellum anno cogerent, ut transactione Passaviensi, quae elapso biennio in publicis Imperii Comitiis Augustanis, et cum per bellum tricennale turpiter infracta esset, pace Westphalica solemnissime stabilita est, omnibus Augustanae Confessioni addictis illa iura, illa privilegia, illas libertates addicerent et sancte promitterent, quibus etiam nunc in Imperio Romano Germanico gaudent.

O quam dignum igitur, Auditores, nostri iubili, nostrae laetitiae, sed ante omnia grati in Deum animi argumentum, quod hodiernus dies nobis suppeditat! Cernite fratres vestros, quos Confessio-

nis

nis eiusdem purioris multo arctius quam ſanguinis vinculum vobiſcum coniungit, in Gallia, Italia, nonnullis Germaniae partibus, Hungaria, Polonia, Bohemia, et ex iſtorum oppresſione, metu continuo, qui ipſorum pectora obſidet, periculis, quae capitibus eorum impendent, veſtram metimini felicitatem. Haec omnia et duriſſima quaevis etiam maioribus noſtris metuenda erant, cum exitus Confesſionis Auguſtanae anceps adhuc penderet. Sed, quae per Dei Providentiam benignam noſtra eſt felicitas, hisce malis maiores, horum malorum metu nos hucusque liberavit Deus, nobis indulſit, quod multi fortunarum ſuarum et ipſius capitis iactura tum vellent, copioſam et liberam Euangelii uſuram, ut, quod pie credimus, ſine metu posſimus profiteri, ut cultu, quem putamus ſolum Deo acceptum, nobisque ſalutarem, ab omni coactione immunes, laeta conſcientia operari posſimus. Quas igitur grates Deo noſtro, tot bonorum auctori, rependemus? Eum aſſiduis precibus invocemus et flectamus, ut coeleſtis Euangelicae lucis copiam nobis noſtrisque poſteris concedat et conſervet, quamdiu ſol et aſtra lucebunt in coelo. Is praeſertim nos impleat illo ſpiritu Euangelico, qui beatos Reformatores in toto vitae ſuae curſu direxit, ut fidem, Divinitus per ipſorum miniſterium nobis traditam, professſionis conſtantia et vitae pietate condecoremus. Vnicum laetitiam huius diei noſtram nonnihil diminuit, quod Auguſtanae Confesſionis ſocios et nominibus et cultu ſacrorum videmus adhucdum inter ſe esſe disiunctos. O quis pacem et concordiam Sioni Proteſtantium non ex intimis cordis visceribus apprecetur et exoptet? Sed uti Reformationis, ita hoc etiam unionis negotium, eſt opus ſolius Dei, qui fructus Reformationis et Confesſionis Auguſtanae quovis ſeculo inter nos voluit extare il-

illustriores et laetiores. Seculo XVI ante ducentos annos Confessio Augustana paucos in his oris habebat fautores, et ex scholis publicis in universum erat eliminata. Seculo XVII cum recurreret illustris illius Confessionis memoria secularis, recepta quidem ubique in nostra Patria erat, sed bellici tumultus impediebant, quo minus memoriam tam iucundam avi nostri hic celebrare possent. Celebramus nos nunc hanc memoriam laeti quidem et hilares; sed animis nondum ab omni parte sociatis et coniunctis. Rogemus Deum, ut, quod huic Iubilaeo deest, ad cumulum gloriae Divinae, honoris Confessionis Augustanae, salutis Ecclesiarum Protestanticarum, videant nati nostri, celebrent cum debita gratiarum actione proximo Iubilaeo nepotes.

INDICES.

INDICES.

Loci Codicis Sacri, quibus lux affertur.

Scriptores veteres Graeci et Latini, qui illuſtrantur, emendantur, vindicantur, caſtigantur.

Voces Graecae, Latinae, Peregrinae, quae illuſtrantur.

Index rerum praecipuarum.

Sacra

Menda

Menda operarum — sic corrigenda.

Pag. 9 (*h*) *Larroquamus*	*Larroquanus*
16 r. 10. Chistianum	Christianum
46 (*p*) celeberrimis criptor.	celeberrimi ſcript.
69 (*c*) *Longerue*	*Longuerue*
70 (*d*) Masſeti	Masſueti
75 fin. tom. IV	tom. II.
209 r. 7. quasque	quaeque
303 [* r. penult.] 127	157.
524 [*] promittere	promittitur

Reliqua vitia typographica, quae meis aliorumque oculis ſe ſubduxere, pro humanitate ſua lectores benevoli haud difficulter emendabunt.